EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

INDEX

DE FRISIIS BATAVISQUE PATRIAE NOSTRAE INCOLIS.

SCRIPSIT

J. H. HOLWERDA.

Nomina haec tam clara sunt in historia Romana ut mirandum esse videatur de ipsis populis, Romanis amicissimis, quorum cohortes totum fere orbem terrarum perlustraverint, tam paulum compertum nos habere.

Satis scimus eos in patria nostra, quasi in orbis terrarum recessu degisse, sed id ipsum admirationem movet, quod populi tam remoti iam inde ab initio Romanorum socii esse potuerunt atque inter Germaniae gentes locum tam insignem obtinere. Unde haec amicitia? Quo tempore populi illi in patriam nostram migraverunt? Unde Batavi, unde Frisii oriundi sunt? Tacet historia aut tacere videtur.

Monticulis tamen illis, quas „terpen'' nominare solemus, Frisia terra ipsa quasi totam suam historiam servavit. Cacumina saepius pagos hodiernos portant, viscera quasi e variorum temporum reliquiis coacervatis exstructa esse videntur, ita ut in imis monticulis ea inveniantur quae primi incolae reliquerunt. Etiam Batavorum insula eiusmodi monticulos nobis exhibet, multo tamen humiliores, etenim saeculis iam mediaevalibus cultoribus vacasse videntur, ita ut posteriorum temporum reliquiae, e quibus Frisiorum monticulorum strata superiora exstructa sunt, hic desint.

Priorum autem Frisiae Bataviaeque incolarum vita atque cultus nobis reliquiis illis ante oculos ponitur. Videmus eorum

instrumenta domestica, rudia satis, ex argilla, ossibus pecoris aut cervorum cornubus fabricata et praesertim vascula, quorum fragmenta ab archaeologis diligenter collecta apud imperitos saepius risum movere solent, quae se tamen certissimos duces in temporis illius remoti tenebris praestiterunt. Vascula illa, sine rotae usu fabricata, ollae ad cibos coquendos factae, oris paululum exstantibus, ansis parvulis, urnae cylindriformes rudissimae, corpore et praesertim ora digitis impressa gerentes ornamenta [1]) neminem fallere possunt qui semel eorum formas oculis imbuerit. Non solum autem in ipsis Batavorum Frisiorumque monticulis reliquiae eorum inveniuntur sed saepissime etiam easdem eorum urnas ossa humana combusta continentes patriae nostrae terrae arenosae sepultas conservant. Reliquiis illis humanis urnis inclusis addita sunt nonnumquam ornamenta ex aere facta, quae nos de tempore quo sint sepulta paulo certiores facere possint. Sic saepius fibulae Romanae, haud dubie quondam a mercatoribus Romanis ad indigenas importatae, in hisce urnis inventae sunt [2]).


Praeterea artis huiusce vasculariae fragmenta etiam in castris Romanis olim apud Vechten vicum reperta sunt et permulta ipse inveni in castello apud Arentsburg in vico Voorburg effosso [3]), ita ut iam dubium esse non possit quin Batavi Romanorum socii saeculo primo post Chr. n. eadem illa supellectile usi sint.

Batavorum autem Frisiorumque instrumenta domestica et artem vasculariam spectantibus duae res praesertim memoratu dignae nobis esse videntur. Primo duo illi populi prorsus eisdem usi sunt instrumentis, prorsus easdem vasculorum formas eodem modo fabricabant iisdemque ornamentis ornabant; quod fieri non potuit nisi ex eodem fonte amborum ars atque cultus redundavit. Quia autem neque in Frisiorum („terpen") neque in Batavorum („woerden") monticulis quicquam hisce vasculis instrumentisque antiquius invenitur, sequitur ambo eos cum in patria nostra sedes suas occuparent secum cultum suum artemque ex antiqua quadam patria portasse. Luce clarius igitur esse videtur ambo eos eodem fere tempore in terram nostram venisse

1) Vide librum meum „Nederl. vroegste besch. Tab. IV, V".

2) Vide librum meum citatum p. 57.

3) De ea re fusius egi in „Oudheidkundige Mededeelingen van het Rijksmuseum van Oudheden" V.



Urnae et fragmenta in Chattorum (2, 5) Batavorumque (1, 3, 4) terra effossa.

e communi quadam patria, ubi fons communis artis amborum profluxerit. Neque id tempus multo ante Chr. n. fuisse, fibulae illae Romanae in eorum urnis inventae et vascula in Romanorum castris inventa iam nobis monstrarunt.

Porro magni momenti esse videtur quod nusquam in regionibus quae nostrae sunt confines patriae, neque in Germania neque in Belgia, quicquam invenitur quod Batavorum aut Frisiorum instrumentis domesticis aut arti vasculariae sit simile. Fons igitur ille communis in regione quadam satis remota nobis quaerendus est. Iam ante aliquot annos [1]) quaerenti mihi ubinam terrarum aliquid inveniretur quod Batavorum Frisiorumque arti vasculariae simile esset, nihil aliud sese obtulit nisi urnae et vascula in terra Nassauensi reperta et a Quilling („Nassauer Funde") edita, quae haud dubie sunt saeculi primi exeuntis ante Chr. n. Feriis autem aestivis huiusce anni eius regionis, quam Chattos habitasse satis notum est [2]), antiquitates ipse examinavi, de quibus paucis referre mihi liceat. Mons Taunus pluribus cacuminibus fert arces vallo circumdatas, quas Chattorum, Romanorum hostium receptacula fuisse satis constat [3]). In hisce autem arcibus artis vasculariae fragmenta inveniuntur nostris Frisiis Batavisque prorsus similia. Praeterea in montis radicibus plurimis locis urnae nostris simillimae, iisdem ornamentis ornatae, etiam mortuorum ossa continentes effossae sunt. Oculos ferit haec similitudo comparanti e. g. urnam et fragmentum in vico Fechenheim prope Francofurtum effossa, quae tabula nostra (2 et 5) depingimus cum nostratibus, quarum imagines tabula eadem (1, 3, 4) expressimus. Prorsus eadem est non modo forma urnarum (1 et 2) sed ambo superficiem exhibent eandem rudissimam quasi argillae glebulis superiectis. Eandem regulam ex argilla digito impressa quae collum urnae Nassauensis ornat (2) oramque eandem digito impressam videmus in urna Batava (3); praeterea fragmentum Nassauense (5) et urnam Batavam (4) prorsus iisdem marginibus in diversas partes abeuntibus ornata videmus. Ecce unum exemplum e permultis [4]). Terra igitur Chattorum

1) Vide librum meum cit.
2) Vide e. g. Tac. Germ. 30, 32.
3) Vide e. g. Schulze Römische Grenzanlagen. Cf. Frontin. Strateg. I, 3, 10.
4) Plura apud Quilling l.l.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

J. VAN LEEUWEN J.F., J. J. HARTMAN.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUADRAGESIMUM PRIMUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1913.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

INDEX

DE FRISIIS BATAVISQUE PATRIAE NOSTRAE INCOLIS.

SCRIPSIT

J. H. HOLWERDA.

Nomina haec tam clara sunt in historia Romana ut mirandum esse videatur de ipsis populis, Romanis amicissimis, quorum cohortes totum fere orbem terrarum perlustraverint, tam paulum compertum nos habere.

Satis scimus eos in patria nostra, quasi in orbis terrarum recessu degisse, sed id ipsum admirationem movet, quod populi tam remoti iam inde ab initio Romanorum socii esse potuerunt atque inter Germaniae gentes locum tam insignem obtinere. Unde haec amicitia? Quo tempore populi illi in patriam nostram migraverunt? Unde Batavi, unde Frisii oriundi sunt? Tacet historia aut tacere videtur.

Monticulis tamen illis, quas „terpen" nominare solemus, Frisia terra ipsa quasi totam suam historiam servavit. Cacumina saepius pagos hodiernos portant, viscera quasi e variorum temporum reliquiis coacervatis exstructa esse videntur, ita ut in imis monticulis ea inveniantur quae primi incolae reliquerunt. Etiam Batavorum insula eiusmodi monticulos nobis exhibet, multo tamen humiliores, etenim saeculis iam mediaevalibus cultoribus vacasse videntur, ita ut posteriorum temporum reliquiae, e quibus Frisiorum monticulorum strata superiora exstructa sunt, hic desint.

Priorum autem Frisiae Bataviaeque incolarum vita atque cultus nobis reliquiis illis ante oculos ponitur. Videmus eorum

instrumenta domestica, rudia satis, ex argilla, ossibus pecoris aut cervorum cornubus fabricata et praesertim vascula, quorum fragmenta ab archaeologis diligenter collecta apud imperitos saepius risum movere solent, quae se tamen certissimos duces in temporis illius remoti tenebris praestiterunt. Vascula illa, sine rotae usu fabricata, ollae ad cibos coquendos factae, oris paululum exstantibus, ansis parvulis, urnae cylindriformes rudissimae, corpore et praesertim ora digitis impressa gerentes ornamenta [1]) neminem fallere possunt qui semel eorum formas oculis imbuerit. Non solum autem in ipsis Batavorum Frisiorumque monticulis reliquiae eorum inveniuntur sed saepissime etiam easdem eorum urnas ossa humana combusta continentes patriae nostrae terrae arenosae sepultas conservant. Reliquiis illis humanis urnis inclusis addita sunt nonnumquam ornamenta ex aere facta, quae nos de tempore quo sint sepulta paulo certiores facere possint. Sic saepius fibulae Romanae, haud dubie quondam a mercatoribus Romanis ad indigenas importatae, in hisce urnis inventae sunt [2]).


Praeterea artis huiusce vasculariae fragmenta etiam in castris Romanis olim apud Vechten vicum reperta sunt et permulta ipse inveni in castello apud Arentsburg in vico Voorburg effosso [3]), ita ut iam dubium esse non possit quin Batavi Romanorum socii saeculo primo post Chr. n. eadem illa supellectile usi sint.

Batavorum autem Frisiorumque instrumenta domestica et artem vasculariam spectantibus duae res praesertim memoratu dignae nobis esse videntur. Primo duo illi populi prorsus eisdem usi sunt instrumentis, prorsus easdem vasculorum formas eodem modo fabricabant iisdemque ornamentis ornabant; quod fieri non potuit nisi ex eodem fonte amborum ars atque cultus redundavit. Quia autem neque in Frisiorum („terpen”) neque in Batavorum („woerden”) monticulis quicquam hisce vasculis instrumentisque antiquius invenitur, sequitur ambo eos cum in patria nostra sedes suas occuparent secum cultum suum artemque ex antiqua quadam patria portasse. Luce clarius igitur esse videtur ambo eos eodem fere tempore in terram nostram venisse

1) Vide librum meum „Nederl. vroegste besch. Tab. IV, V”.

2) Vide librum meum citatum p. 57.

3) De ea re fusius egi in „Oudheidkundige Mededeelingen van het Rijksmuseum van Oudheden” V.



Urnae et fragmenta in Chattorum (2, 5) Batavorumque (1, 3, 4) terra effossa.

e communi quadam patria, ubi fons communis artis amborum profluxerit. Neque id tempus multo ante Chr. n. fuisse, fibulae illae Romanae in eorum urnis inventae et vascula in Romanorum castris inventa iam nobis monstrarunt.

Porro magni momenti esse videtur quod nusquam in regionibus quae nostrae sunt confines patriae, neque in Germania neque in Belgia, quicquam invenitur quod Batavorum aut Frisiorum instrumentis domesticis aut arti vasculariae sit simile. Fons igitur ille communis in regione quadam satis remota nobis quaerendus est. Iam ante aliquot annos [1]) quaerenti mihi ubinam terrarum aliquid inveniretur quod Batavorum Frisiorumque arti vasculariae simile esset, nihil aliud sese obtulit nisi urnae et vascula in terra Nassauensi reperta et a Quilling („Nassauer Funde") edita, quae haud dubie sunt saeculi primi exeuntis ante Chr. n. Feriis autem aestivis huiusce anni eius regionis, quam Chattos habitasse satis notum est [2]), antiquitates ipse examinavi, de quibus paucis referre mihi liceat. Mons Taunus pluribus cacuminibus fert arces vallo circumdatas, quas Chattorum, Romanorum hostium receptacula fuisse satis constat [3]). In hisce autem arcibus artis vasculariae fragmenta inveniuntur nostris Frisiis Batavisque prorsus similia. Praeterea in montis radicibus plurimis locis urnae nostris simillimae, iisdem ornamentis ornatae, etiam mortuorum ossa continentes effossae sunt. Oculos ferit haec similitudo comparanti e. g. urnam et fragmentum in vico Fechenheim prope Francofurtum effossa, quae tabula nostra (2 et 5) depingimus cum nostratibus, quarum imagines tabula eadem (1, 3, 4) expressimus. Prorsus eadem est non modo forma urnarum (1 et 2) sed ambo superficiem exhibent eandem rudissimam quasi argillae glebulis superiectis. Eandem regulam ex argilla digito impressa quae collum urnae Nassauensis ornat (2) oramque eandem digito impressam videmus in urna Batava (3); praeterea fragmentum Nassauense (5) et urnam Batavam (4) prorsus iisdem marginibus in diversas partes abeuntibus ornata videmus. Ecce unum exemplum e permultis [4]). Terra igitur Chattorum

1) Vide librum meum cit.
2) Vide e. g. Tac. Germ. 30, 32.
3) Vide e. g. Schulze Römische Grenzanlagen. Cf. Frontin. Strateg. I, 3, 10.
4) Plura apud Quilling l.l.

nobis eandem hanc Batavorum Frisiorumque artem ostendit cuius exemplum apud confines frustra quaesivimus. Inde hanc artem esse oriundam, hic fontem esse illum communem, Chatticam terram amborum populorum remotam illam patriam fuisse, archaeologia nos docere videtur.

Audiamus nunc Tacitum conclusionem nostram confirmantem Hist. IV 12: „Batavi donec trans Rhenum agebant, pars Chattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicae orae vacua cultoribus simulque insulam iuxta sitam occupavere" et Germ. 29: „Batavi non multum ex ripa sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus."

Quod igitur nos archaeologia de Frisiis Batavisque, quique fortasse alii simul terras nostras coluere docuit, de altera saltem duarum nationum historicus nobis narrat, de altera tacet. Sed quod alio loco de Canninefatibus et ipsis Rheni ostii accolis nobis affirmat, „origine pares esse Batavis" (Hist. IV 15), instrumenta domestica artemque vasculariam amborum contemplantes etiam de Frisiis nullo modo in dubium vocare potuimus. Omnes hi populi Germani quondam a Chattis profecti terras nostras occupaverunt.

Quo tempore in sedes suas in patriam nostram pervenerunt? Iam supra demonstratum est artem hanc vasculariam rudissimam, qua nihil antiquius in sedibus Frisiorum Batavorumque inveniatur, saeculo primo post Chr. n. adscribi debere; sedes igitur illae ipsae non multo antiquiores esse possunt. Praeterea iam diu in Frisiorum monticulis („terpen") etiam artis Romanae fragmenta inventa sunt et per hosce annos vir doctissimus van Giffen non modo magnam eiusmodi fragmentorum copiam collegit sed etiam de singulis annotavit ubinam in monticulo, quaque altitudine inventa sint. Fragmenta autem ipsa examinare mihi concessit et affirmare potuit omnes illas Romanas reliquias, neque eas solas quae saeculi sint primi sed maxima ex parte quae secundi tertiive, in imis monticulis, immo in fundis eorum ipsis esse inventas, primos igitur monticulorum incolas saeculo primo p. C. n. et sequentibus, vasculis et instrumentis illis a Romanis acceptis usos esse. Sequitur igitur, quod iam supra vidimus, non multo ante Chr. natum primos illos incolas, Frisios Batavosque, sedes suas occupasse.

Caesar nobis primus de Batavorum insula loquitur loco in B. G. IV 10. Mirum tamen esse videtur eundem alio loco in libri de B. G. initio (I, 1), ubi haec leguntur: „Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in Septentrionem et orientem solem", sic loqui quasi nulli iam Batavi ad inferiorem Rheni habitent partem.

Tamen etiam Lucanus (Pharsal. I 431) nobis inter Caesaris auxilia Batavos nominat: iam anno 49 a Chr. n. Romanorum socios fuisse Batavos verisimillimum esse videtur; iam tum vigebat antiqua illa Batavorum societas, de qua nobis narrat Tacitus (Germ. 29).

Caesarem autem primum Romanorum ducum Rhenum transiisse satis notum est. Incredibile igitur est iam ante eum societatem cum populo tam remotas sedes tenente exstitisse. Ipse igitur Caesar cum Batavis foedus hoc icit. Nihilominus tamen rogatur quomodo fieri potuerit ut Caesar cum populo in insula quadam remotissima inferioris Rheni fluminis, quo ipse haud dubie numquam pervenisset, societatem tam firmam tamque honorificam [1]) iniret, neque intelligi potest cur de extremis Galliae finibus et inferiore fluminis Rheni parte loquens (B. G. I, 1), quemadmodum iam observavimus, de sociis suis ibi habitantibus taceat. Tum demum causam perspicere mihi viderer, si accipiendum esset Batavos, nondum insulam suam remotissimam, sed propiorem terram habitantes, Caesari innotuisse atque cum eo societatem iniisse et postea demum sedes in inferiore Rheni parte occupasse, ipsum igitur Caesarem eos in novis collocasse sedibus. Neque hoc ex mera coniectura erit accipiendum. In mentem nobis revocemus partem Chattorum Batavos fuisse; etiam ipsi Chatti quondam novas sedes a Romanis acceperunt. Etenim Cassius Dio (54, 36, 3) nobis narrat de Chattis qui anno 10 ante Chr. n. *τῆς χώρας αὐτῶν, ἣν οἰκεῖν παρὰ τῶν Ῥωμαίων εἰλήφεσαν, ἐξανέστησαν.* Quodsi quaerimus quisnam Romanorum ducum Chattis novas sedes monstrare ante Drusum potuerit, duo tantum nobis in mentem veniunt, Caesar qui primus et Agrippa qui anno 37 a. Chr. secundus

---

1) Vide Taciti locum.

Romanorum Rhenum transiit (Dio 48, 49, 2). Agrippa tamen nihil aliud nisi Ubios ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου collocavisse videtur. Solus igitur Caesar restat, de quo etiam compertum habemus non solum „ab his nationibus qui trans Rhenum incolunt legatos missos esse ad eum, qui se obsides daturos imperata facturos pollicerent" (B. G. II 35), sed etiam trans Rhenum fuisse civitates ab eo pacatas, quique equites et levis armaturae pedites ei administrarent (B. G. VII 65). Num dubitare possumus quin ipse fuerit Caesar qui Chattis novas sedes monstraverit simulque partem eius nationis, Batavos, „seditione domestica" pulsos, ab altera parte in insulam traduxerit, quae ab eo inde tempore Batavorum insula dicta sit? Frisios autem simul in hasce regiones transmigrasse, quamvis tacente historia, docuit archaeologia.

Nunc ad Germaniae locum iam supra citatum redeamus (Tac. Germ. 29). Batavi in novas suas sedes transgressi sunt, „in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos et antiquae societatis insigne . . . exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi velut tela atque arma bellis reservantur". Non solum haec vocabula opinioni nostrae favent, sed coniunctivus ille „fierent" clamare mihi videtur Batavos non, ut vulgo creditur, quondam sua sponte in patriam nostram migrasse sed in imperii finibus collocatos esse, ut pars imperii fierent eiusque fines protegerent. „Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens" sic Tacitus pergit. Mattiaci igitur illi transrhenani, quos apud Wiesbaden — et ille locus in terra Chattorum — habitasse satis notum est, etiam cum Romanis societatem inierant eodem tempore quo Batavi atque hoc eodem Romanorum consilio ut imperio propugnaculo essent. Hi tamen in ripa sua manere poterant, ut ab hac parte fines protegerent, „ipso terrae suae solo et caelo acrius animabantur". Batavis vero, quibus illi „cetera similes" erant, alia imperii pars erat tuenda, quamobrem in novis sedibus erant collocandi. Neminem nisi Caesarem Mattiacis Batavisque munus hoc imperii defendendi imponere potuisse iam vidimus, qui primus Romanorum regiones transrhenanas attigerit, quique primus ipse postea de Batavorum insula loquatur.

Atque hoc propugnandi munere barbaris populis imponendo,

Batavisque in novis sedibus super Rheni ripam collocandis novam imperii defendendi rationem iniit, in qua postea successores eius perseverasse videmus. Sic Agrippam Ubios in Rheni ripam traduxisse iam vidimus neque minus Drusus e Germanorum populis devictis „Suebos et Sigambros dedentis se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocavit" (Suet. August. 21). Atque huius consilii rationem nobis ipsis verbis Tacitus enarrat (Germ. 28): „Ne Ubii quidem origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur".

Ecce igitur imperii defendendi rationem a Caesare coeptam et ab Augusto peractam. Novi imperii fines, tam producti, contra barbaros transrhenanos ipsorum Romanorum legionibus defendi nullo modo poterant, sed populis ex ipsis barbaris, sibi amicis quorumque ipsorum interesset hostes transrhenanos arcere, in finibus supra Rheni ripam collocandis Romanus suum tutum reddebat imperium. Mattiaci, Ubii, Suebi et Sigambri cisrhenani, Batavi et Frisii quasi continuum propugnaculum imperii defendendi causa erectum efficiebant. E quibus Frisios in terrae angulo tam remoto sepositos mox imperium Romanum parum curasse minime mirum esse videtur. Sed quod vulgo creditur, a Druso demum esse subiectos, id e loco Dionis (54, 32, 1) male intellecto effici videtur: Drusus *διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας τούς τε Φρισίους ᾠκειώσατο*, quae vocabula non „subiecit Frisios" sed „Frisios sibi conciliavit" significare videntur. Frisii, simul cum Batavis ante 40 annos in sedes suas e Chattorum terra a Caesare traducti, sed mox longo terrarum spatio alienati, Druso non subiiciendi sed conciliandi erant et mox etiam (Dio 54, 32, 3) Romanorum exercitu servando veteres populi Romani amicos se praestiterunt.

Sed haec hactenus; iam satis mihi monstrasse videor Frisios et Batavos circa annum 55 ante Chr. n., quo anno Caesar primum Germaniam attigerit, in patriam nostram venisse e Chattorum terra, e qua communem suum cultum atque artem secum in novas suas sedes transportaverint.

AD TITULOS QUOSDAM RHODIOS NUPER REPERTOS.

SCRIPSIT

H. VAN GELDER.

Inscriptiones paucissimae e Peraea Rhodiorum hucusque innotuerunt. Omnium primam ante multos annos edidit Hamilton (Researches in Asia Minor II 1842, app. epigr. n⁰. 301). Quattuor deinde anno 1880 (in diario graeco, quod appellatur Παρνασσός, IV p. 834 sqq.), quibus paulatim alias adiunxit, publici iuris fecit Demosthenes Chaviaras Symaeus. Numerum auxerunt Benndorf, Durrbach-Radet, Diehl-Cousin (Arch. ep. Mitt. aus Oest. VII p. 147 sqq.; Anz. der phil.-hist. Classe der Wiener Akademie XXIX, 63 sqq.; Bull. Corr. Hell. X, p. 245 sqq.; p. 424 sqq.). Nunc filii Demosthenis Chaviarae, Nicetas et Michael, denuo solitudine illarum regionum lustrata et perquisita, novas inscriptiones attulerunt (Ἀρχαιολογικὴ Ἐφημερίς 1907. p. 209—218; 1911. p. 52—69). Quae quamvis numero magis quam rebus et argumentis excellant (sunt enim non minus septuaginta septem, pleraeque perparvae), tamen acceptae et exoptatae nobis venerunt. Doctas annotationes editores addiderunt. Restat nihilominus quod observare possis. Ego quae mihi, novos titulos dum cognoscebam, in mentem venerunt, cum aliis communicare haud prorsus inutile esse duxi.

Titulus omnium primus, quem ediderunt N. et M. Chaviarae (A E 1907. p. 210), etsi mutilissimus ad nos devenit, sine dubio catalogus est victorum in certamine nescio quo. Nomina

quoad potuerunt restituerunt editores. Haereo in versu 7, ubi ΑΚΕΣΤΙΛ — est in exemplari; non „'Ακεστίλ[ας]" ibi supplendum esse censuerim, sicut placuit Chaviaris, verum „'Ακεστί[ας]". Nam nomen proprium 'Ακεστίλας ne unico quidem exemplo exstat; praeterea non apte conformatum esse videtur. 'Ακεστίας nomen ab „ἀκεστός, sanatus" recte derivatur (cf. Bechtel-Fick Personennamen[2] p. 51); deinde nomen occurrit in insula Rhodo ipsa (duo exempla parata sunt, GDI 5104_{16} et BCH 14. 408).

Ad nomen proprium „'Αρετακλῆς" (vs. 13) annotare fortasse debuerant editores, hucusque nondum inventum esse.

Titulus sextus (AE 1907. p. 212), uti iam adscripserunt Chaviarae, coniecturam probat, quam ante decennium fere feci. Inesse in lapide aliquo (quem ediderunt Durrbach-Radet BCH X. 245) hoc elogium videbatur: ΑΤΙΑ 'Αγησιδάμου καθ' ὑοθεσίαν δὲ 'Αγησάρχου. Mulieris nomen latere existimaverunt Durrbach-Radet [Τ]ατίας; ego virum memorari proposui 'Αγίαν (genetivo casu). Nunc autem iterum idem homo prodiit, cui nomen re vera fuisse apparet 'Αγίᾳ 'Αγησιδάμου κτλ.

Titulus duodetricesimus (AE 1911. p. 56) elogium est Δωριέως Δωριμάχου. Nihil exhibet lapis nisi haec duo vocabula. Nomen Δωρίμαχος dignum est quod nos detineat. Nam sitne scribendum „Δορίμαχος" (cum substantivo „δόρυ" aperte nomen cohaeret) an „Δωρίμαχος", iamdudum ambigitur; et inscriptio nostra, quae liquido formam per ω ostendit, ad rem diiudicandam aliquam vim habet. Polybius memoriam servavit Dorymachi, praetoris Aetolorum (± 210), cuius saepius mentionem facit, de quo vide apud Pauly-Wissowa V p. 1562. Eius nomen in codicibus vulgo scribitur per ο, non per ω. Ahrens De graec. ling. dialectis II 1843, p. 171, et Boeckh (ad titulum Theraeum CIG 2458, nunc IG XII 3. 485), quamquam in titulis duobus, ubi nomen idem recurrit (hodie IG IX 1. 486 et IG XII 3. 485 ii tituli designantur), „Δωρίμαχος", non „Δορίμαχος" exarari sciebant, tamen veram formam per ο scribendam esse duxerunt. Bechtel Griech. Personennamen[2] pp. 102 et 197 utramque formam recte usurpari censuit; exempla affert GDI 747*d* (= IG VII $2223)_2$ (Δωρίμαχος) et titulum rhodium IG XII 1. 46 (= GDI $3791)_{204}$ (Δορίμαχος). Dittenberger formam per ω potiorem esse iudicavit. Ad DS[2] 425_2, quo loco Δωρίμαχος

aliquis Calydonius introducitur, haec annotat: „Nomen in titulis (IG IX 1. 486_6), ut in optimo Polybii codice vaticano, scribitur per *ω*, cum vulgaris forma *Δορίμαχος* in alios libros manuscriptos irrepserit". Equidem ab eius partibus steterim et formam per *ω* unice rectam esse habuerim. Cum tamen ad eius opinionem confirmandam duos tantum lapides laudet, quibus opponi potest lapis rhodius IG XII 1. 46_{204}, operae pretium est, etiam alia subsidia conquirere. Primo loco inspicienda videtur pagina 102 apud Bechtel Gr. Pers.[2], ubi nomina graeca collata sunt, quae ab voce „*δόρυ*" sunt derivata. Haec occurrunt: *Δορυκλείδας*, *Δορύλαος*, *Δορυμένης*, *Δορυξενίδης*, *Δορύφιλος*; deinde *Δωρικλῆς*, *Δορίμαχος* et *Δωρίμαχος*, *Δωρίμας*, *Δωρίτιμος*. Quae si inspexeris, statim in suspicionem venias fere necesse est, „*Δορίμαχος*", quod nomen non nisi uno lapide fulciatur, „incuriose insculpto", uti annotavit Hiller von Gärtringen, qui postremus lapidem edidit, e catalogo esse tollendum; errori enim deberi sive eius, qui ante multa saecula lapidem inculpsit (hoc verisimilius est, nam in eodem vocabulo alius error inest, *Δοριμάχου* incisum est, cum incidi oportuisset *Δορίμαχος*), sive eius, qui nostris temporibus (Rhodi in urbe asservatur) eum legit. Praeter illa nomina, quae attulit, afferre quoque potuisset Bechtel „*Δωρίθεος*" (Pergamen. Inschr. n⁰. 1011 et 1012), „*Δωριφάνης*" (GDI 3792_{17}; Blinkenberg-Kinch Explor. archéol. de Rhodes III 50 E_{19}), et „*Δωρίχαρις*" (GDI 4266_3); quae etiam certius demonstrant, formam „*Δορίμαχος*" iuxta formas „*Δωρίθεος*, *Δωρικλῆς*, *Δωρίμαχος*, *Δωρίμας*, *Δωρίτιμος*, *Δωριφάνης*, *Δωρίχαρις*" stare non posse. Deinde plura exempla praesto sunt formae „*Δωρίμαχος*" praeter duo illa, quae attulit Dittenberger. Adiici possunt: *Δωρίμαχος* ille Thisbaeus, qui exstat IG VII 2223_2, *Δωρίμαχος* Theraeus (IG XII 3. 485) et eius nepos *Δωρίμαχος* (IG XII 3. 486), *Δωρίμαχος* Thespiensis (IG VII 1992_1), et ille Lorymaeus, ex cuius nomine tota haec disputatio processit.

Restant tamen praeter lapidem rhodium iam laudatum duo alii lapides, quibus „*Δορίμαχος*" inesse fertur. Alter est CIG 941, „ex schedis Mustoxydis", uti annotavit Boeckh; eius auctoritas mihi parum valere videtur. Etiam minus valet lectio tradita in altero, appicto vasi corinthio alicui sexti saeculi (Kretschmer Zeitschr. f. vgl. Sprachforschung XXIX 152 n⁰. 38).

Nam cum Ἀγαμέμνων, Φίλων, Λάκων in hoc vase item per *o* scribantur (cf. imago apud Raoul-Rochette, qui primus hanc inscriptionem edidit), non „Δορίμαχος", sed „Δωρίμαχος" mihi voluisse videtur pictor, neque lectionem „Δορίμαχος" tueri et circumferre debuerant Kretschmer, Boeckh (ad CIG 7) et Blass (ad GDI 3120).

Inscriptio duodequadragesima (AE 1911. p. 58) elogium est [Φ]αννίδος Κνιδίας. Sic Chaviarae ediderunt; equidem mulieri fuisse nomen crediderim [N]αννίδι. Nam nusquam locorum nomen proprium Φαννίς hucusque repertum est neque forma masculina Φάννης vel Φάννος. Contra in ipsis iis regionibus, quibus haec inscriptio inventa est, in Lycia, Caria et ea vicinia, viri fuerunt, qui Νάννις, Νᾶνις, Νᾶνος, Νάνναχος, Νάννιχος, mulieres, quae Ναννίς (?), Νανίς, Ναννηλίς, Ναννώ audiebant. A quo vocabulo sive lycio sive graeco originem traxerint haec nomina, nemo pro certo dixerit (cf. de ea re Bechtel Die Attischen Frauennamen 1902, p. 116, quo loco de nominibus disserit „Νάννιον, Ναννάριον et Ναννώ"). Νάννις occurrit in urbe Sidymis in Lycia (Benndorf-Niemann Reisen im südwestlichen Kleinasien I p. 66), Νᾶνις Rhodi in urbe (GDI 4245, 3 et Ἀθήναιον 3. 229 n⁰. 118; exemplum tertium praebet IG XII 1. 489, ubi falso me iudice „[Ἀ]νᾶνις" supplevit O. Kern). Νᾶνος bis apud Theraeos traditur (IG XII 3. 583; MAI 28. 87), Νάνναχος in insula Co (Herzog, Koische Forschungen n⁰. 12; rex perantiquus Phrygum hoc nomine quoque designabatur, cf. Steph. Byz. s. v. Ἰκόνιον; Suid. s. v. Νάνναχος; Zenob. 6. 10; Macar. 8. 4), Νάννιχος apud Magnetes ad Maeandrum (MAI 19. 19 n⁰. 8_1). In mulieres incidimus, quae nomine gaudebant „Νανίς", in urbe Rhodiorum (GDI 4004_1), apud Lydos (filia Croesi regis sic appellatur apud Parthen. cap. 22), et apud Colossenses (CIG 3953m_1), quae nomine gaudebant „Ναννηλίς", apud Termessios (BCH 23. 179 n⁰. 34_2; alterum exemplum exstat BCH 23. 184 n⁰. 44_3). Nomen Ναννώ e carminibus Mimnermi et Sapphus satis notum est.

Restat nomen Ναννίς, quod me auctore hoc ipso loco requiritur, cuius exemplum affert Boeckh CIG 4244_1 (ex urbe Tlo in Lycia). Imago tituli haec exhibet: καὶ τῇ γυναικὶ NANNIΔI. Unde sane lectio Ναννίδι optime effici potest; possis tamen in



Urnae et fragmenta in Chattorum (2, 5) Batavorumque (1, 3, 4) terra effossa.

e communi quadam patria, ubi fons communis artis amborum profluxerit. Neque id tempus multo ante Chr. n. fuisse, fibulae illae Romanae in eorum urnis inventae et vascula in Romanorum castris inventa iam nobis monstrarunt.

Porro magni momenti esse videtur quod nusquam in regionibus quae nostrae sunt confines patriae, neque in Germania neque in Belgia, quicquam invenitur quod Batavorum aut Frisiorum instrumentis domesticis aut arti vasculariae sit simile. Fons igitur ille communis in regione quadam satis remota nobis quaerendus est. Iam ante aliquot annos [1]) quaerenti mihi ubinam terrarum aliquid inveniretur quod Batavorum Frisiorumque arti vasculariae simile esset, nihil aliud sese obtulit nisi urnae et vascula in terra Nassauensi reperta et a Quilling („Nassauer Funde") edita, quae haud dubie sunt saeculi primi exeuntis ante Chr. n. Feriis autem aestivis huiusce anni eius regionis, quam Chattos habitasse satis notum est [2]), antiquitates ipse examinavi, de quibus paucis referre mihi liceat. Mons Taunus pluribus cacuminibus fert arces vallo circumdatas, quas Chattorum, Romanorum hostium receptacula fuisse satis constat [3]). In hisce autem arcibus artis vasculariae fragmenta inveniuntur nostris Frisiis Batavisque prorsus similia. Praeterea in montis radicibus plurimis locis urnae nostris simillimae, iisdem ornamentis ornatae, etiam mortuorum ossa continentes effossae sunt. Oculos ferit haec similitudo comparanti e. g. urnam et fragmentum in vico Fechenheim prope Francofurtum effossa, quae tabula nostra (2 et 5) depingimus cum nostratibus, quarum imagines tabula eadem (1, 3, 4) expressimus. Prorsus eadem est non modo forma urnarum (1 et 2) sed ambo superficiem exhibent eandem rudissimam quasi argillae glebulis superiectis. Eandem regulam ex argilla digito impressa quae collum urnae Nassauensis ornat (2) oramque eandem digito impressam videmus in urna Batava (3); praeterea fragmentum Nassauense (5) et urnam Batavam (4) prorsus iisdem marginibus in diversas partes abeuntibus ornata videmus. Ecce unum exemplum e permultis [4]). Terra igitur Chattorum

---

1) Vide librum meum cit.
2) Vide e. g. Tac. Germ. 30, 32.
3) Vide e. g. Schulze Römische Grenzanlagen. Cf. Frontin. Strateg. I, 3, 10.
4) Plura apud Quilling l.l.

nobis eandem hanc Batavorum Frisiorumque artem ostendit cuius exemplum apud confines frustra quaesivimus. Inde hanc artem esse oriundam, hic fontem esse illum communem, Chatticam terram amborum populorum remotam illam patriam fuisse, archaeologia nos docere videtur.

Audiamus nunc Tacitum conclusionem nostram confirmantem Hist. IV 12: „Batavi donec trans Rhenum agebant, pars Chattorum, seditione domestica pulsi, extrema Gallicae orae vacua cultoribus simulque insulam iuxta sitam occupavere" et Germ. 29: „Batavi non multum ex ripa sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus."

Quod igitur nos archaeologia de Frisiis Batavisque, quique fortasse alii simul terras nostras coluere docuit, de altera saltem duarum nationum historicus nobis narrat, de altera tacet. Sed quod alio loco de Canninefatibus et ipsis Rheni ostii accolis nobis affirmat, „origine pares esse Batavis" (Hist. IV 15), instrumenta domestica artemque vasculariam amborum contemplantes etiam de Frisiis nullo modo in dubium vocare potuimus. Omnes hi populi Germani quondam a Chattis profecti terras nostras occupaverunt.

Quo tempore in sedes suas in patriam nostram pervenerunt? Iam supra demonstratum est artem hanc vasculariam rudissimam, qua nihil antiquius in sedibus Frisiorum Batavorumque inveniatur, saeculo primo post Chr. n. adscribi debere; sedes igitur illae ipsae non multo antiquiores esse possunt. Praeterea iam diu in Frisiorum monticulis („terpen") etiam artis Romanae fragmenta inventa sunt et per hosce annos vir doctissimus van Giffen non modo magnam eiusmodi fragmentorum copiam collegit sed etiam de singulis annotavit ubinam in monticulo, quaque altitudine inventa sint. Fragmenta autem ipsa examinare mihi concessit et affirmare potuit omnes illas Romanas reliquias, neque eas solas quae saeculi sint primi sed maxima ex parte quae secundi tertiive, in imis monticulis, immo in fundis eorum ipsis esse inventas, primos igitur monticulorum incolas saeculo primo p. C. n. et sequentibus, vasculis et instrumentis illis a Romanis acceptis usos esse. Sequitur igitur, quod iam supra vidimus, non multo ante Chr. natum primos illos incolas, Frisios Batavosque, sedes suas occupasse.

Caesar nobis primus de Batavorum insula loquitur loco in B. G. IV 10. Mirum tamen esse videtur eundem alio loco in libri de B. G. initio (I, 1), ubi haec leguntur: „Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni, spectant in Septentrionem et orientem solem", sic loqui quasi nulli iam Batavi ad inferiorem Rheni habitent partem.

Tamen etiam Lucanus (Pharsal. I 431) nobis inter Caesaris auxilia Batavos nominat: iam anno 49 a Chr. n. Romanorum socios fuisse Batavos verisimillimum esse videtur; iam tum vigebat antiqua illa Batavorum societas, de qua nobis narrat Tacitus (Germ. 29).

Caesarem autem primum Romanorum ducum Rhenum transiisse satis notum est. Incredibile igitur est iam ante eum societatem cum populo tam remotas sedes tenente exstitisse. Ipse igitur Caesar cum Batavis foedus hoc icit. Nihilominus tamen rogatur quomodo fieri potuerit ut Caesar cum populo in insula quadam remotissima inferioris Rheni fluminis, quo ipse haud dubie numquam pervenisset, societatem tam firmam tamque honorificam [1]) iniret, neque intelligi potest cur de extremis Galliae finibus et inferiore fluminis Rheni parte loquens (B. G. I, 1), quemadmodum iam observavimus, de sociis suis ibi habitantibus taceat. Tum demum causam perspicere mihi viderer, si accipiendum esset Batavos, nondum insulam suam remotissimam, sed propiorem terram habitantes, Caesari innotuisse atque cum eo societatem iniisse et postea demum sedes in inferiore Rheni parte occupasse, ipsum igitur Caesarem eos in novis collocasse sedibus. Neque hoc ex mera coniectura erit accipiendum. In mentem nobis revocemus partem Chattorum Batavos fuisse; etiam ipsi Chatti quondam novas sedes a Romanis acceperunt. Etenim Cassius Dio (54, 36, 3) nobis narrat de Chattis qui anno 10 ante Chr. n. *τῆς χώρας αὐτῶν, ἣν οἰκεῖν παρὰ τῶν Ῥωμαίων εἰλήφεσαν, ἐξανέστησαν.* Quodsi quaerimus quisnam Romanorum ducum Chattis novas sedes monstrare ante Drusum potuerit, duo tantum nobis in mentem veniunt, Caesar qui primus et Agrippa qui anno 37 a. Chr. secundus

1) Vide Taciti locum.

Romanorum Rhenum transiit (Dio 48, 49, 2). Agrippa tamen nihil aliud nisi Ubios ἑκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου collocavisse videtur. Solus igitur Caesar restat, de quo etiam compertum habemus non solum „ab his nationibus qui trans Rhenum incolunt legatos missos esse ad eum, qui se obsides daturos imperata facturos pollicerent" (B. G. II 35), sed etiam trans Rhenum fuisse civitates ab eo pacatas, quique equites et levis armaturae pedites ei administrarent (B. G. VII 65). Num dubitare possumus quin ipse fuerit Caesar qui Chattis novas sedes monstraverit simulque partem eius nationis, Batavos, „seditione domestica" pulsos, ab altera parte in insulam traduxerit, quae ab eo inde tempore Batavorum insula dicta sit? Frisios autem simul in hasce regiones transmigrasse, quamvis tacente historia, docuit archaeologia.

Nunc ad Germaniae locum iam supra citatum redeamus (Tac. Germ. 29). Batavi in novas suas sedes transgressi sunt, „in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos et antiquae societatis insigne . . . exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi velut tela atque arma bellis reservantur". Non solum haec vocabula opinioni nostrae favent, sed coniunctivus ille „fierent" clamare mihi videtur Batavos non, ut vulgo creditur, quondam sua sponte in patriam nostram migrasse sed in imperii finibus collocatos esse, ut pars imperii fierent eiusque fines protegerent. „Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens" sic Tacitus pergit. Mattiaci igitur illi transrhenani, quos apud Wiesbaden — et ille locus in terra Chattorum — habitasse satis notum est, etiam cum Romanis societatem inierant eodem tempore quo Batavi atque hoc eodem Romanorum consilio ut imperio propugnaculo essent. Hi tamen in ripa sua manere poterant, ut ab hac parte fines protegerent, „ipso terrae suae solo et caelo acrius animabantur". Batavis vero, quibus illi „cetera similes" erant, alia imperii pars erat tuenda, quamobrem in novis sedibus erant collocandi. Neminem nisi Caesarem Mattiacis Batavisque munus hoc imperii defendendi imponere potuisse iam vidimus, qui primus Romanorum regiones transrhenanas attigerit, quique primus ipse postea de Batavorum insula loquatur.

Atque hoc propugnandi munere barbaris populis imponendo,

Batavisque in novis sedibus super Rheni ripam collocandis novam imperii defendendi rationem iniit, in qua postea successores eius perseverasse videmus. Sic Agrippam Ubios in Rheni ripam traduxisse iam vidimus neque minus Drusus e Germanorum populis devictis „Suebos et Sigambros dedentis se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocavit" (Suet. August. 21). Atque huius consilii rationem nobis ipsis verbis Tacitus enarrat (Germ. 28): „Ne Ubii quidem origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur".

Ecce igitur imperii defendendi rationem a Caesare coeptam et ab Augusto peractam. Novi imperii fines, tam producti, contra barbaros transrhenanos ipsorum Romanorum legionibus defendi nullo modo poterant, sed populis ex ipsis barbaris, sibi amicis quorumque ipsorum interesset hostes transrhenanos arcere, in finibus supra Rheni ripam collocandis Romanus suum tutum reddebat imperium. Mattiaci, Ubii, Suebi et Sigambri cisrhenani, Batavi et Frisii quasi continuum propugnaculum imperii defendendi causa erectum efficiebant. E quibus Frisios in terrae angulo tam remoto sepositos mox imperium Romanum parum curasse minime mirum esse videtur. Sed quod vulgo creditur, a Druso demum esse subiectos, id e loco Dionis (54, 32, 1) male intellecto effici videtur: Drusus *διὰ τοῦ Ῥήνου καταπλεύσας τούς τε Φρισίους ᾠκειώσατο*, quae vocabula non „subiecit Frisios" sed „Frisios sibi conciliavit" significare videntur. Frisii, simul cum Batavis ante 40 annos in sedes suas e Chattorum terra a Caesare traducti, sed mox longo terrarum spatio alienati, Druso non subiiciendi sed conciliandi erant et mox etiam (Dio 54, 32, 3) Romanorum exercitu servando veteres populi Romani amicos se praestiterunt.

Sed haec hactenus; iam satis mihi monstrasse videor Frisios et Batavos circa annum 55 ante Chr. n., quo anno Caesar primum Germaniam attigerit, in patriam nostram venisse e Chattorum terra, e qua communem suum cultum atque artem secum in novas suas sedes transportaverint.

AD TITULOS QUOSDAM RHODIOS NUPER REPERTOS.

SCRIPSIT

H. VAN GELDER.

Inscriptiones paucissimae e Peraea Rhodiorum hucusque innotuerunt. Omnium primam ante multos annos edidit Hamilton (Researches in Asia Minor II 1842, app. epigr. n°. 301). Quattuor deinde anno 1880 (in diario graeco, quod appellatur Παρνασσός, IV p. 834 sqq.), quibus paulatim alias adiunxit, publici iuris fecit Demosthenes Chaviaras Symaeus. Numerum auxerunt Benndorf, Durrbach-Radet, Diehl-Cousin (Arch. ep. Mitt. aus Oest. VII p. 147 sqq.; Anz. der phil.-hist. Classe der Wiener Akademie XXIX, 63 sqq.; Bull. Corr. Hell. X, p. 245 sqq.; p. 424 sqq.). Nunc filii Demosthenis Chaviarae, Nicetas et Michael, denuo solitudine illarum regionum lustrata et perquisita, novas inscriptiones attulerunt (Ἀρχαιολογικὴ Ἐφημερίς 1907. p. 209—218; 1911. p. 52—69). Quae quamvis numero magis quam rebus et argumentis excellant (sunt enim non minus septuaginta septem, pleraeque perparvae), tamen acceptae et exoptatae nobis venerunt. Doctas annotationes editores addiderunt. Restat nihilominus quod observare possis. Ego quae mihi, novos titulos dum cognoscebam, in mentem venerunt, cum aliis communicare haud prorsus inutile esse duxi.

Titulus omnium primus, quem ediderunt N. et M. Chaviarae (A E 1907. p. 210), etsi mutilissimus ad nos devenit, sine dubio catalogus est victorum in certamine nescio quo. Nomina

quoad potuerunt restituerunt editores. Haereo in versu 7, ubi ΑΚΕΣΤΙΛ — est in exemplari; non „'Ακεστίλ[ας]" ibi supplendum esse censuerim, sicut placuit Chaviaris, verum „'Ακεστί[ας]". Nam nomen proprium 'Ακεστίλας ne unico quidem exemplo exstat; praeterea non apte conformatum esse videtur. 'Ακεστίας nomen ab „ἀκεστός, sanatus" recte derivatur (cf. Bechtel-Fick Personennamen² p. 51); deinde nomen occurrit in insula Rhodo ipsa (duo exempla parata sunt, GDI 5104_{16} et BCH 14. 408).

Ad nomen proprium „'Αρετακλῆς" (vs. 13) annotare fortasse debuerant editores, hucusque nondum inventum esse.

Titulus sextus (AE 1907. p. 212), uti iam adscripserunt Chaviarae, coniecturam probat, quam ante decennium fere feci. Inesse in lapide aliquo (quem ediderunt Durrbach-Radet BCH X. 245) hoc elogium videbatur: ΑΤΙΑ 'Αγησιδάμου καθ' ὑοθεσίαν δὲ 'Αγησάρχου. Mulieris nomen latere existimaverunt Durrbach-Radet [Τ]ατίας; ego virum memorari proposui 'Αγίαν (genetivo casu). Nunc autem iterum idem homo prodiit, cui nomen re vera fuisse apparet 'Αγίᾳ 'Αγησιδάμου κτλ.

Titulus duodetricesimus (AE 1911. p. 56) elogium est Δωριέως Δωριμάχου. Nihil exhibet lapis nisi haec duo vocabula. Nomen Δωρίμαχος dignum est quod nos detineat. Nam sitne scribendum „Δορίμαχος" (cum substantivo „δόρυ" aperte nomen cohaeret) an „Δωρίμαχος", iamdudum ambigitur; et inscriptio nostra, quae liquido formam per ω ostendit, ad rem diiudicandam aliquam vim habet. Polybius memoriam servavit Dorymachi, praetoris Aetolorum (± 210), cuius saepius mentionem facit, de quo vide apud Pauly-Wissowa V p. 1562. Eius nomen in codicibus vulgo scribitur per ο, non per ω. Ahrens De graec. ling. dialectis II 1843, p. 171, et Boeckh (ad titulum Theraeum CIG 2458, nunc IG XII 3. 485), quamquam in titulis duobus, ubi nomen idem recurrit (hodie IG IX 1. 486 et IG XII 3. 485 ii tituli designantur), „Δωρίμαχος", non „Δορίμαχος" exarari sciebant, tamen veram formam per ο scribendam esse duxerunt. Bechtel Griech. Personennamen² pp. 102 et 197 utramque formam recte usurpari censuit; exempla affert GDI 747*d* (= IG VII $2223)_2$ (Δωρίμαχος) et titulum rhodium IG XII 1. 46 (= GDI $3791)_{204}$ (Δορίμαχος). Dittenberger formam per ω potiorem esse iudicavit. Ad DS² 425_2, quo loco Δωρίμαχος

aliquis Calydonius introducitur, haec annotat: „Nomen in titulis (IG IX 1. 486_6), ut in optimo Polybii codice vaticano, scribitur per ω, cum vulgaris forma *Δορίμαχος* in alios libros manuscriptos irrepserit". Equidem ab eius partibus steterim et formam per ω unice rectam esse habuerim. Cum tamen ad eius opinionem confirmandam duos tantum lapides laudet, quibus opponi potest lapis rhodius IG XII 1. 46_{204}, operae pretium est, etiam alia subsidia conquirere. Primo loco inspicienda videtur pagina 102 apud Bechtel Gr. Pers.[2], ubi nomina graeca collata sunt, quae ab voce „*δόρυ*" sunt derivata. Haec occurrunt: *Δορυκλείδας, Δορύλαος, Δορυμένης, Δορυξενίδης, Δορύφιλος*; deinde *Δωρικλῆς, Δορίμαχος* et *Δωρίμαχος, Δωρίμας, Δωρίτιμος*. Quae si inspexeris, statim in suspicionem venias fere necesse est, „*Δορίμαχος*", quod nomen non nisi uno lapide fulciatur, „incuriose insculpto", uti annotavit Hiller von Gärtringen, qui postremus lapidem edidit, e catalogo esse tollendum; errori enim deberi sive eius, qui ante multa saecula lapidem inculpsit (hoc verisimilius est, nam in eodem vocabulo alius error inest, *Δοριμάχου* incisum est, cum incidi oportuisset *Δορίμαχος*), sive eius, qui nostris temporibus (Rhodi in urbe asservatur) eum legit. Praeter illa nomina, quae attulit, afferre quoque potuisset Bechtel „*Δωρίθεος*" (Pergamen. Inschr. n⁰. 1011 et 1012), „*Δωριφάνης*" (GDI 3792_{17}; Blinkenberg-Kinch Explor. archéol. de Rhodes III 50 E_{19}), et „*Δωρίχαρις*" (GDI 4266_3); quae etiam certius demonstrant, formam „*Δορίμαχος*" iuxta formas „*Δωρίθεος, Δωρικλῆς, Δωρίμαχος, Δωρίμας, Δωρίτιμος, Δωριφάνης, Δωρίχαρις*" stare non posse. Deinde plura exempla praesto sunt formae „*Δωρίμαχος*" praeter duo illa, quae attulit Dittenberger. Adiici possunt: *Δωρίμαχος* ille Thisbaeus, qui exstat IG VII 2223_2, *Δωρίμαχος* Theraeus (IG XII 3. 485) et eius nepos *Δωρίμαχος* (IG XII 3. 486), *Δωρίμαχος* Thespiensis (IG VII 1992_1), et ille Lorymaeus, ex cuius nomine tota haec disputatio processit.

Restant tamen praeter lapidem rhodium iam laudatum duo alii lapides, quibus „*Δορίμαχος*" inesse fertur. Alter est CIG 941, „ex schedis Mustoxydis", uti annotavit Boeckh; eius auctoritas mihi parum valere videtur. Etiam minus valet lectio tradita in altero, appicto vasi corinthio alicui sexti saeculi (Kretschmer Zeitschr. f. vgl. Sprachforschung XXIX 152 n⁰. 38).

Nam cum Ἀγαμέμνων, Φίλων, Λάκων in hoc vase item per ο scribantur (cf. imago apud Raoul-Rochette, qui primus hanc inscriptionem edidit), non „Δορίμαχος", sed „Δωρίμαχος" mihi voluisse videtur pictor, neque lectionem „Δορίμαχος" tueri et circumferre debuerant Kretschmer, Boeckh (ad CIG 7) et Blass (ad GDI 3120).

Inscriptio duodequadragesima (ΑΕ 1911. p. 58) elogium est [Φ]αννίδος Κνιδίας. Sic Chaviarae ediderunt; equidem mulieri fuisse nomen crediderim [Ν]αννίδι. Nam nusquam locorum nomen proprium Φαννίς hucusque repertum est neque forma masculina Φάννης vel Φάννος. Contra in ipsis iis regionibus, quibus haec inscriptio inventa est, in Lycia, Caria et ea vicinia, viri fuerunt, qui Νάννις, Νᾶνις, Νᾶνος, Νάνναχος, Νάννιχος, mulieres, quae Ναννίς (?), Νανίς, Ναννηλίς, Ναννώ audiebant. A quo vocabulo sive lycio sive graeco originem traxerint haec nomina, nemo pro certo dixerit (cf. de ea re Bechtel Die Attischen Frauennamen 1902, p. 116, quo loco de nominibus disserit „Νάννιον, Ναννάριον et Ναννώ"). Νάννις occurrit in urbe Sidymis in Lycia (Benndorf-Niemann Reisen im südwestlichen Kleinasien I p. 66), Νᾶνις Rhodi in urbe (GDI 4245, 3 et Ἀθήναιον 3. 229 n⁰. 118; exemplum tertium praebet IG XII 1. 489, ubi falso me iudice „[Ἀ]νᾶνις" supplevit O. Kern). Νᾶνος bis apud Theraeos traditur (IG XII 3. 583; MAI 28. 87), Νάνναχος in insula Co (Herzog, Koische Forschungen n⁰. 12; rex perantiquus Phrygum hoc nomine quoque designabatur, cf. Steph. Byz. s. v. Ἰκόνιον; Suid. s. v. Νάνναχος; Zenob. 6. 10; Macar. 8. 4), Νάννιχος apud Magnetes ad Maeandrum (MAI 19. 19 n⁰. 8_1). In mulieres incidimus, quae nomine gaudebant „Νανίς", in urbe Rhodiorum (GDI 4004_1), apud Lydos (filia Croesi regis sic appellatur apud Parthen. cap. 22), et apud Colossenses (CIG 3953m_1), quae nomine gaudebant „Ναννηλίς", apud Termessios (BCH 23. 179 n⁰. 34_2; alterum exemplum exstat BCH 23. 184 n⁰. 44_3). Nomen Ναννώ e carminibus Mimnermi et Sapphus satis notum est.

Restat nomen Ναννίς, quod me auctore hoc ipso loco requiritur, cuius exemplum affert Boeckh CIG 4244_1 (ex urbe Tlo in Lycia). Imago tituli haec exhibet: καὶ τῇ γυναικὶ ΝΑΝΝΙΑΙ. Unde sane lectio Ναννίδι optime effici potest; possis tamen in

suspicionem venire, vocem „Ναννηλί" hoc loco voluisse lapicidam, dativum casum nominis muliebris Ναννηλίς.

Titulus undequadragesimus (AE 1911. p. 58) elogium est ΑΡΙΣΤΟΚΛΕ.. Τιμακράτε[υς]. Suppleverunt Chaviarae Ἀριστοκλε[ῦς]. Nihil tamen obstat, quin in lapide quondam fuisse suspicemur „Ἀριστόκλε[ια]".

Titulus quadragesimus sextus (AE 1911. p. 59), duobus versibus expressus, sensu cassus est. Lapis integer est, nihil deest. Primo versu haec leguntur: Ἡλιόδωρος Ἱεροκλεῦς Νετ(τίδας) ὑπὲρ τοῦ, altero autem: ὑπὸ τῶν περὶ Μᾶρκον Πλα(ῦτον) Ὀνάσανδρον (literam τ deinde adscripserunt Chaviarae, cuius ego in imagine, quam titulo addiderunt, ne levissimum quidem vestigium dispicio). Haec sensum non praebere viderunt editores, et a dextra parte alium lapidem olim fuisse coniecerunt, supplementa huius inscriptionis offerentem. Ipsi haec expleverunt: Ἡλιόδωρος Ἱεροκλεῦς Νεττίδας ὑπὲρ τοῦ | [υἱοῦ δεῖνα .....] | ὑπὸ τῶν περὶ Μᾶρκον Πλαῦτον Ὀνάσανδρον τ| [ὸ ἡρῷιον καὶ τὸ ἄγαλμα]|. Quae manifesto falsa sunt neque obscuritatem, qua tota inscriptio premitur, tollunt. Ego rem desperatam esse aestimabam, donec paucis paginis evolutis in titulum incidi (AE 1911. p. 62) quinquagesimum secundum. In eo titulo, omnium quos in Peraea Rhodiorum Chaviarae eruerunt longissimo, nomen offendimus Ἱεροκλεῦς Ἡλιοδώρου Νεττίδα, qui mihi statim pater vel filius fuisse potuisse videbatur Ἡλιοδώρου Ἱεροκλεῦς illius, de quo agitur titulo quadragesimo sexto. Titulum 52 ediderunt ei qui invenerunt quasi nullas difficultates praebeat; re vera partim sensu non minus destitutus est atque titulus 46. Est magna basis duarum statuarum, neque ulla dubitatio relinquitur, in quorum laudem hae statuae antea positae fuerint: nam decem versibus longa enumeratione nominum, cognominum, honorum extollitur Iulia Domna, novem versibus deinde a dextra parte adscriptis enumeratione aeque verbosa celebratur eius maritus Septimius Severus. Statuas igitur in pago Thyssanuntiorum (eo loco enim tituli nostri reperti sunt) constituit aliquis Iuliae Domnae et ab eius dextra parte imperatoris Septimii Severi. Quis dedicaverit, ex subscriptione, uti fieri solet in eiusmodi titulis, efficiendum erit. Verum subscriptio meras ineptias continet. Nam haec est, tribus versibus exarata: Πατρὸς Ἱεροκλεῦς Ἡλιο-

δώρου Νετ(*τίδα*) *στρατηγήσαντος Χερρονήσου καὶ Σύμης* | *καὶ* 'Απολ-λώνιος Πρύττους *παντὸς τοῦ κόσμου σωτῆρας καὶ εὐεργέτας* | *θεοῖς*. Haec graeca verba Nicetas et Michael Chaviarae intellexisse videntur; qui cum amplissimam annotationem adiungere soleant iis inscriptionibus, quas publici iuris faciunt, hisce verbis nihil adscripserunt. Equidem perplexa haec omnia esse confidenter scribo. Quid multa? Remedium exstat et difficultatum, quas titulus 46, et earum, quas titulus noster habet. Est tertia inscriptio, itidem in pago Thyssanuntiorum eruta, quae legitur p. 63 (numero est ornata quinquagesimo quarto). Haec inscriptio Aurelium Antoninum imperatorem longis ambagibus celebrat, quem nos Caracallam vocamus. Basidi magnae insculpta est, quae eius statuam quondam sustentabat; subscriptio est addita eius qui dedicavit. Haec vero subscriptio denuo turbata est; nam nihil ex ea colligitur nisi haec verba: *ἀνέστησεν κατὰ τὸ ψήφισμα τὸ εἰσηγηθέν*. Remedium autem, quo omnes difficultates tolluntur, hoc est. Non separatim singulos titulos edi oportuit 46, 52 et 54; universi unum titulum efficiunt longissimum et verbosissimum. Quattuor statuae quondam fuerunt, quarum basides magna ex parte supersunt. A laeva manu ad dextram sic positae erant: Geta imperator, deinde mater Iulia Domna, quam excipiebat Septimius Severus, denique Caracalla. Dedicatae sunt ultimis Septimii Severi annis, postquam filios iuxta se imperatores esse voluit. Lapis, qui Getae laudes amplectebatur, deest; supersunt tamen in titulo 46, quae huic statuae subscripta erant. Subscriptio enim omnium statuarum, duobus longis versibus continuata, ita per quattuor statuas distributa erat, ut omnes partem eius exhiberent. Lapis, cui titulus 52 insculptus est, subscriptionis mediam partem praebet, sub statuis Iuliae Domnae et Septimii Severi inscriptam; titulo 54 subscriptionis finem debemus, statuae Caracallae subiunctum. Subscriptio igitur haec est: 'Ηλιόδωρος 'Ιεροκλεῦς Νετ(*τίδας*) *ὑπὲρ τοῦ* (Tit. 46, vs. 1) | *πατρὸς* 'Ιεροκλεῦς 'Ηλιοδώρου Νετ(*τίδα*) *στρατηγήσαντος* Χερρονήσου *καὶ* Σύμης (Tit. 52, vs. 1) | *ἀνέστησεν κατὰ τὸ ψήφισμα τὸ εἰσηγηθὲν* (Tit. 54, vs. 1) | *ὑπὸ τῶν περὶ* Μᾶρκον Πλα(ῦτον) 'Ονάσανδρον (Tit. 46, vs. 2) | *καὶ* 'Απολλώνιος Πρύττους *παντὸς τοῦ κόσμου σωτῆρας καὶ εὐεργέτας* (Tit. 52, vs. 2) | *θεοῖς* (Tit. 52, vs. 3). Quibus in verbis nulla obscuritas remanet nisi ea quae

est in „Ἀπολλώνιος Πρύττους". Parum dubito, quin „Ἀπολλώνιον" sit legendum (peccaveritne lapicida an is qui inscriptionem legit, ego diiudicare non possum). Deinde Πρύττους est Πρυτ τοὺς. Designantur *οἱ περὶ Μᾶρκον* Πλα *Ὀνάσανδρον καὶ Ἀπολλώνιον* Πρυτ, qui *ψήφισμα εἰσηγήσαντο*, ex quo *Ἡλιόδωρος ἀνέστησε τοὺς παντὸς τοῦ κόσμου σωτῆρας καὶ εὐεργέτας* (i. e. imperatores). Quid siglum Πρυτ sibi velit, nescio; etiam incertius mihi esse videtur quam siglum Πλα, quod Onasandri nomini additum est. Chaviarae hoc siglo Πλαῦτον significari voluerunt. Ego de Pladasensibus cogitavi. Nam, quoad scio, numquam in insula Rhodo et eius vicinia nomina romana per sigla contrahebantur. Pladasenses (Πλαδασεῖς) contra *δῆμος* vel *κτοίνα* vel tale quid erant in Peraea Rhodiorum. Memorantur hucusque ter quaterve. Occurrit *τὸ κοινὸν τὸ* Πισυητῶν *καὶ* Πλαδασσέων *τῶν μετὰ* Πισυητῶν in inscriptione, in Peraea reperta (Anz. der phil.-hist. Classe der Wiener Akademie XXIX 1892, 63 sqq.). Deinde Πλαδασεύς aliquis exstat in titulo rhodio GDI 4279 b_3; sine dubio Πλαδασεῖς spectantur apud Steph. Byz. s. v. Πλάρασα; denique Πλαδ[ασεῖς] nomen suppleatur in titulo IG I 37, t 39, ubi socii enumerantur, qui in ora carica circa annum 425 Atheniensibus stipem conferebant.

Tituli septuagesimus et septuagesimus primus (AE 1911. p. 68), satis mutili, de eodem homine rhodio agunt, vota ferenti Cereri, Proserpinae et Iovi. Cuius hominis nomen sic revocaverunt Chaviarae: Πεισιάναξ Ἀπολλοδ[ώρου] *καθ' ὑοθεσίαν δὲ* Γόργωνος Τύμνιος. Homo iam antea innotuerat; duo tituli nobis testes sunt, circa annum 170 a. Chr. *στραταγόν*, deinde *πρύτανιν* in patria sua eum fuisse (cf. GDI 3788_{20}; 3789_3). Hi tituli quoque demonstrant, quomodo Ἀπολλοδ— explendum sit; nam nomen homini fuit Πεισιάνακτι Ἀπολλοδότου.

AD SENECAE TRAGOEDIAS.

SCRIPSIT

J. W. BECK.

I AD PHAEDRAM.

Versus 1007—1037, quae pars est eius narrationis, qua nuntius Theseum de calamitate filii certiorem facit, in ed. Senecae trag., quam iterum edidit Gustavus Richter, in hunc modum traditi sunt:

1007 cum subito vastum tonuit ex alto mare [a])
crevitque in astra. nullus inspirat salo
ventus, quieti nulla pars caeli strepit
1010 placidumque pelagus propria tempestas agit. [1])
1015 consurgit ingens pontus in vastum aggerem, [b])
[tumidumque monstro pelagus in terras ruit.] [2])
nec ista ratibus tanta construitur lues,
terris minatur; fluctus haud cursu levi
provolvitur: nescio quid onerato sinu
1020 gravis unda portat. quae novum tellus caput
ostendit astris? Cyclas exoritur nova?
[latuere rupes numine Epidauri dei [c])

1) 1011—1014 omitto, praeterea vss. 1017 et 1028 interpunctio mea est.

2) del. Leo, Sen. tr. I 207.

a) Eur. Hipp. 1201 ἔνθεν τις ἠχώ, χθόνιος ὥς βροντὴ Διός | βαρὺν βρόμον μεθῆκε ... 1206 sq. ἱερὸν εἴδομεν | κῦμ' οὐρανῷ στηρίζον.

b) Hipp. 1210 sqq. κἄπειτ' ἀνοιδῆσάν τε καὶ πέριξ ἀφρὸν | πολὺν καχλάζον ποντίῳ φυσήματι | χωρεῖ πρὸς ἀκτάς.

c) Hipp. 1207—1209 ...... ὥστ' ἀφῃρέθη | Σκείρωνος ἀκτὰς ὄμμα τοὐμὸν εἰσορᾶν· ἔκρυπτε δ' Ἰσθμὸν καὶ πέτραν Ἀσκληπιοῦ.

et scelere petrae nobiles Scironides
et quae duobus terra comprimitur fretis.] [1])
1025 haec dum stupentes quaerimus, totum en mare
immugit, omnes undique scopuli adstrepunt;
summum cacumen rorat expulso sale,
spumat vomitque vicibus alternis aquas,
qualis per alta vehitur Oceani freta
1030 fluctum refundens ore physeter capax.
inhorruit concussus undarum globus
solvitque sese et litori invexit malum
maius timore, pontus in terras ruit
suumque monstrum sequitur — os quassat tremor.
1035 quis habitus illi corporis vasti fuit!
caerulea taurus colla sublimis gerens
erexit altam fronte viridanti iubam;

Ex iis qui Senecae Phaedram pertractaverunt, nemo est quin sciat versus 1007—1037 a Friderico Leo, viro de litteris Latinis optime merito [2]), quem Richter (ed. 1902) secutus est, ita explicatos esse, ut vs. 1016 et 1022—1024 eiciendi esse ei viderentur. Id eo magis mirandum est quod his locis Euripidis Hippolyti vs. 1201, 1210—1212, 1207 sqq. Senecam quamvis libere imitatum esse neminem fugere potest. Errorem autem geographicum, quem Seneca commisit in his versibus (1022 sqq.), exemplis illustravit ipse Leo I 202.

Locum totum etiam atque etiam legenti hoc attendendum, esse mihi videbatur poetam non statim initio, sed paulatim quid in undis lateat, denudare voluisse. Quo efficitur ut vs. 1016 'monstrum' non significare possit idem quod vs. 1034, immo de industria obscurius loquitur poeta de „re nova atque insolita plena horroris" (cf. Ovid. met. 14, 567 [3]), Cic. pro Rosc. A. § 63 portentum atque monstrum). Nam gradatione quadam pedetemptim per versus 1016 *monstrum* (= res horrenda), 1017 *lues* [4])

1) 1022—1024 del. Leo I 201; vs. 1022 numen ω, corr. Leo.

2) Sen. trag. 1878, I p. 201 sqq.

3) Spes erat in nymphas animata classe marinas | posse metu monstri Rutulum desistere bello.

4) Non facio cum Leo I 207: ingens tempestas est vs. 1007 sq. descripta. Equidem puto 'lues' spectare ad vs. praecedentem imprimis ad illud 'monstro'.

(cf. malum vs. 1032), 1019 *nescio quid* [1]) progrediens primum vs. 1028 docet *vivum* aliquid subesse, 1034 'monstrum' sensu illo notissimo oculis ostendit [2]), quod vs. 1036 *taurum* esse tandem diserte profitetur. Dubitat enim prorsus initio nuntius quid illud sit; quin insulam esse e mari exorientem suspicatur: vs. 1020, 1021 *quae novum tellus caput* | *ostendit astris? Cyclas exoritur nova?* Tum iterum quaerit stupefactus (nam interrogationis signum post 'fretis' (1024) ponendum esse puto): *latuere rupes*, cet. id est: non iam adsunt rupes? ubinam sunt? Statim subsequitur vs. 1025: *haec dum stupentes quaerimus* ... (sic opt. cod. Etruscus). 'Haec' spectat ad duas quaestiones [3]), quae antecedunt. Deinde vs. 1027 *summum cacumen rorat expulso sale* i. e. illius rei novae summum cacumen quod tandem aliquando conspicitur. Hic lector intellegit vivum aliquid, quidquid est (*spumat vomitque*), latere sub unda ingenti. Vs. 1033 sq. pontus in *terras* ruit = ecce denique, p. i. terras ruit (asynd. summativum), actionum seriem claudit, vs. 1036 omnem dubitationem tollit. Satis ostendisse mihi videor nullum versum expungendum esse.

Vss. 250—273.

Postquam Phaedra nullo modo amorem erga Hippolytum animo se expellere posse confessa est, nutrix eam orat obsecratque ut furorem sistat (248). Phaedra cedit quidem, ut dicit, famae (= pudori 250) parens, sed quia amor regi non vult, vincere eum decernit: *virum sequamur, morte praevertam nefas* (254).

255 *Nutr.* 1. moderare, alumna, mentis effrenae impetus,
2. animos coerce. dignam ob hoc vita reor
3. quod esse temet autumas dignam nece.
258 *Ph.* 1. decreta mors est: quaeritur fati genus.
2. laqueone vitam finiam an ferro incubem?
3. an missa praeceps arce Palladia cadam?
[261 proin castitatis vindicem armemus manum!] [4])
262 *Nutr.* 1. sic te senectus nostra praecipiti sinat

1) Leo I p. 207: deinde monstri prima mentio fit vs. 1019, quod ineptum esset si iam 'monstro tumidum pelagus' in terras ruisset. — At cf. 1033 sq.

2) Cf. Ph. vs. 252 et 269 (infra p. 19).

3) Vix defendi potest illud 'haec' si vs. 1022—1024 deleveris.

4) Gronov. reposuit post 266.

2. perire leto? siste furibundum impetum, ...
3. haud quisquam ad vitam facile revocari potest. [1])

265 *Ph.* 1. prohibere nulla ratio periturum potest,
2. ubi qui mori constituit et debet mori.

⟨261 3. proin castitatis vindicem armemus manum!⟩.

267 *Nutr.* solamen annis unicum fessis, era, [2])

268—273 (1—6).

Primum quaeritur num recte Gronovius vs. 261 post vs. 266 reposuerit. Videntur tres esse causae: 1. quod symmetria huius dialogi partis servatur [3]), 2. quod hoc loco (post 260) male quadrat, 3. quod vinculum inter 260 et 262 solvitur, si versum post 260 retineas. Nam nutrix e versu a Phaedra dicto repetit illud 'praeceps' (262 *praecipiti — leto*) [4]). Et Scaliger utrum recte delevit vs. 264: *haud quisquam ad vitam facile revocari potest,* necne? Nimirum fieri non potest ut haec verba significent: 'revocare a morte ad vitam'. Quod nimis ieiunum, immo absurdum esset: cave ne tibi mortem consciscas, nam nemo mortuus facile ad vitam potest revocari! At praeter symmetriam illud 'potest' 264, iteratum vs. 265 [4]), versum quasi suo loco detinet, ut quaerenda sit alia interpretatio. Quae per versus ipsos (262 imprimis) praebetur; cf. Plin. Ep. 1. 12. 9: *misit ad me uxor eius Hispulla communem amicum . . . . . destinasse Corellium mori nec aut suis aut filiae precibus flecti, solum superesse me, a quo revocari posset ad vitam.* Nutrix igitur postquam se sinere non posse dixit (262), animo secum volvit fere haec: quamquam hoc sentio non facile esse qui mori decreverit ad vitae consilium reducere (cf. Sen. de benef. 3. 9). Deinde Phaedra: quid, num putas te posse me prohibere ne me interimam? Hanc spem mitte! *Prohibere nulla ratio periturum potest, ubi quis mori constituit et debet mori.* Et eodem momento ei constat quo modo moriatur: *proin castitatis vindicem armemus manum* (aut laqueo aut ferro mori vult). Nec tamen nutrix deterreri

---

1) om. τ, del. Scaliger.

2) Haec allocutionis formula extra orationem propriam posita est. Habemus igitur 3 + 3 + 3 + 3 (+ 1) + 6.

3) Cf. etiam Ph. vs. 704—735: 6 + 3 + 6 + 6 (ad se) + 9 (ad Athenas) + 2 (ad Phaedram), Oed. 509 sqq. 2 + 1 quater repetiti.

4) Cf. Ph. 185, 186 potens, 188, 189 sensit, 538, 539 nativas, 279, 282 medullas.

potest. Nihil se hac via pergentem effecturam rata, blandientibus verbis usa (*solamen annis unicum fessis era!* 267) Phaedrae suadet ut famam (= opinionem hominum, alio igitur sensu [1]) atque vs. 252, ubi 'decus', 'pudor' est) contemnat: famam fide non dignam esse neque iustam (269 sq.). Eo facilius Phaedra audit verba nutricis quod haec iuvenem ferum se aggressuram promittit (272). Gronovius, ut opinor, recte versum 261 transposuit, Scaliger minus recte vs. 264 delevit.

Vs. 274 sqq. Chorus.

274 Diva non miti generata ponto,
275 quam vocat matrem geminus Cupido,
[impotens flammis simul et sagittis];
iste lascivus puer et renidens
tela quam certo moderatur arcu!
[labitur totas furor in medullas.
280 igne furtivo populante venas.]
non habet latam data plaga frontem,
sed vorat tectas penitus medullas.
nulla pax isti puero: per orbem
spargit effusas agiles sagittas;

Vs. 276, quod testatur Richter in editione sua, Mich. Müller, (In Senecae trag. quaest. crit. Berolini 1898 p. 29) delevit ut falsum interpretamentum. Secundum Cic. N. D. III 59 et 60: *ex ea* (Venere tertia) *et Marte natus Anteros dicitur* .... Satis constat hunc amoris mutui deum esse, simillimum esse Amori eademque insignia habere, nisi quod alae utriusque paulum differunt (*Baum. Denkm.*, Num. 541, 542). Est igitur uterque Amor (vs. 276) *impotens flammis simul et sagittis.* Sunt etiam qui vs. 279 et 280 expungant simul voc. 'populari' rariore significatione = consumere, (cf. vs. 377) delentes [2]). At quaero unde illi sumant subiectum verbi 282 *vorat,* quod his versibus omissis vix possit stare? An *data plaga* subiectum est? Sed quomodo *data plaga,* vulnus igitur ipsum, vorare potest tectas penitus

1) Cf. Ph. 1016, 1034 'monstrum' duas habet significationes diversas.
2) Mirum est quod idem vocabulum altero loco a Leo expellitur, qui totum versum et sequentem delere malit (377, 378).

medullas? Hoc solum 'furor' potest sive 'ignis', qui venas consumit. Nolo disputare de iterato voc. 'medullas' (279, 282), de qua re supra (p. 18 c. adn. 4) pauca me dixisse admoneo. Ceterum minime fluere hos versus perspicio. Seneca dicit: non est quidem lata specie vulnus illatum, sed ignis quem telum efficit, eo magis urit vorando tectas penitus medullas. Nullum igitur versum eiciendum censeo.

Vs. 300 ipse qui caelum nebulasque fecit.

Sic cod. optimus Etruscus, Gronovius *ducit* lectionem deteriorem recipiens, idem Richter; *volvit* Peiper, *cogit* Leo, *flectit* Koetschau. Frustra omnes sanare locum sanum tentaverunt. Secundum Stoicos Iuppiter mundum creavit, caelum cum nubibus fecit (cf. vs. 466 ille maximus *mundi parens*, et praeterea Hymnum ad Cleanthem apud Paul Barth, Die Stoa S. 57).

Vs. 309—316:

309 arsit obscuri dea clara mundi
310 nocte deserta nitidosque fratri
tradidit currus aliter regendos:
ille nocturnas agitare bigas
313 discit et gyro breviore flecti;
nec suum tempus tenuere noctes
315 et dies tardo remeavit ortu,
dum tremunt axes graviore curru;

Leo vs. 316 post 313 traiecit. Chorus loquitur de amore Selenae et Endymionis, quo amore Selena tradit *currus aliter regendos* Apollini fratri. A. discit nocturnas (Selenae) agitare bigas et gyro breviore flectit (quippe qui ipse maiore gyro utatur: Thyestes vs. 840 sqq.). Sed (vs. 314) noctes non tenent i. e. superant tempus solitum et dies tardo ortu remeavit (pf. gnom.) = retardatur, dum (vs. 316 usque id tempus quo) tremunt axes graviore curru (= curru Apollinis) i. e. dum tandem ordo rerum restituitur.

Versus suum locum teneat!

Vs. 352 sq. vindicat omnes
natura sibi nihil immune est,
odiumque perit, cum iussit Amor;

Buechlerus: *omnem* | *sibi naturam.* In ed., quam Richter et Peiper composuerunt: *vindicat omnes* | *natura. Sibi nihil* ... Retinenda imprimis haec lectio codicum. 'Sibi' autem ad priorem sententiam traiciendum est et comparandus vs. 1114: *O nimium potens .... natura.*

(*Continuabitur*).

AD HOMERI ILIADEM Λ 126 SQ.

(Narratum est de Antimacho, qui olim obstitit quominus Helena redderetur Menelao.)

τοῦ περ δὴ δύο παῖδε λάβε κρείων Ἀγαμέμνων
ἐν ἐνὶ δίφρῳ ἐόντας, ὁμοῦ δ' ἔχον ὠκέας ἵππους.

Prudenter sane nostri editores annotant „*ὁμοῦ δ' ἔχον* verba dubia". Et quod ipsi explicandi causa adscribunt: *ambo simul equos turbatos tunc ipsum inhibere conabantur* id ultro significant sibi parum placere. Dixerim ne posse quidem illud e verbis traditis extorqueri. Neque aliorum probamus explicationem: *eodem curru vehi solebant,* quae eodem laborat vitio et praeterea est languidissima. Superest ergo ut ... verba tradita corrupta statuamus. Quod equidem eo libentius statuo quoniam mihi reperisse videor emendationem certam, quae egregiam praebeat sententiam et paene necessariam, atque eiusmodi ut statim intelligas vix potuisse poetae verba effugere librariorum stultitiam. Sequuntur enim haec:

ἐκ γάρ σφεας χειρῶν φύγεν ἡνία σιγαλόεντα,
τὼ δ' ἐκυκηθήτην.

Videamus nunc quid omnino loco verborum *ὁμοῦ δ' ἔχον ὠκέας ἵππους* legi potuerit. Si vacuus esset eorum locus relictus, unum

vocabulum *equos* significans desideraremus, ad sensum praeterea nihil deesset. Recordemur nunc paene constans esse poetae artificium ut quod paulo post accuratius sit descripturus statim paucis verbis vel brevius vel tectius significet. Rei usitatissimae absurdum foret multa afferre exempla. Cogitemus modo de decantato isto:

ἐδύσετο νώροπα χαλκόν·
κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε κτέ.

vel de Φ 179 σχεδὸν ἄορι θυμὸν ἀπέϝρα·
γαστέρα γάρ μιν ἔτυψε κτέ.

Π 787 ἔνθ' ἄρα τοι, Πάτροκλε, φάνη βιότοιο τελευτή·
ἤντετο γάρ τοι Φοῖβος κτέ.

Ε 39 ἔκβαλε δίφρου·
πρώτῳ γὰρ στρεφθέντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πῆξε.

Hic nunc hic explicandum est quomodo factum sit ut duos illos fratres eodem tempore Agamemnon posset occidere. Id mox poeta pluribus verbis faciet narrans de habenis elapsis equisque perturbatis, sed iam statim eandem rem obscurius significat, quam obscuritatem *illustrari* sequentibus una vox γάρ documento est. Quid ergo scripsit poeta?

Nempe: ὁμοῦ δ' ἔχον ὠκέες ἵπποι. „Equi eos *simul retinebant* in eodem loco". Equorum culpa factum est ut neuter fugere posset: habenis enim e manibus aurigae lapsis perturbabantur illi. Librarius putans ἔχον subiectum habere δύο παῖδε non poterat non ex nominativo accusativum facere.

Simili modo paulo post alius Troianus quia fugere non poterat interiit vs. 338 sqq. (Diomedes vulnerat Agastrophum)

οὐδέ ϝοι ἵπποι
ἐγγὺς ἔσαν προφυγεῖν, ἀάσσατο δὲ μέγα θυμῷ.

J. J. H.

AD CICERONIS IN SALLUSTIUM

QUAE FERTUR

INVECTIVAM.

SCRIPSIT

ALPHONSUS KURFESS.

C. Sallustii Crispi Catilina, Iugurtha, historiarum reliquiae codicibus servatae. accedunt rhetorum opuscula Sallustiana. Henricus Iordan tertium recognovit. Berolini 1887. p. 163, 7.

Cic. in Sall. V, 14: *sed abiit* (scil. Sallustius) *in sodalicium sacrilegi Nigidiani.* hunc locum adhuc nemo explicavit. Glareanus [1]) haec adnotat: *ex hisce verbis certe nullus elicitur sensus. in alio codice legebatur: 'sed abiit in sodalitium sacrilegi* [2]) *Nigidiani'. accusat igitur Sallustium Cicero sacrilegii, quippe qui cum sacrilegis sodalitium habuerit. de Nigidiano autem, quis fuerit, adhuc cogito.* similiter Cortius in editione sua [3]): *corrupta haec vix ex sola coniectura emendare audeo. forte 'sacrilegii Clodiani, melius esset ad personam dicentis.* atque novissimus invectivae interpres, G. Peiser [4]), sic commentatur: *dubium esse potest, utrum primus casus sit 'sacrilegus Nigidianus' vel 'sacrilegium Ni-*

---

1) Cf. Doctorum hominum commentaria in C. Sallustium Crispum post Sigertum Havercampum denuo edidit Carolus Henricus Frotscher (Lipsiae 1830), vol. III p. 269.

2) Legit enim 'sacrilegii'.

3) Lipsiae 1724.

4) De invectivis, quae Sallustii et Ciceronis nominibus feruntur. Progr. Posen 1903.

gidianum'. quis ille sacrilegus Nigidius vel Nigidianus fuerit, adhuc nemo enucleavit. Iordanus rem ita absolvit, ut dicat rhetorem finxisse sacrilegium P. Nigidii Figuli, viri integerrimi et Ciceronis amicissimi. sed vix quemquam inveniri puto, qui hoc probet. verbo quod sequitur 'attractus' adductus sum, ut 'manibus' insererem. sic emendavi: pro 'abiit in sodalicium sacrilegi Nigidiani bis iudicis ad subsellia attractus': 'abiit in sodalicium sacrilegi. Nigidi manibus iudicis ad subsellia attractus etc.' 'sacrilegi' idem esset ac sacrilegii. Nigidius non reus, sed accusator.

Contra equidem nil mutandum esse censeo. hoc tenendum est: 'Nigidianus' non nomen, sed adiectivum a nomine Nigidii derivatum et 'sacrilegi' idem esse ac sacrilegii. sed quis est ille Nigidius? nempe P. Nigidius Figulus, Varronis et Ciceronis aequalis, homo doctissimus [1]), qui de rebus humanis et divinis multos libros scripsit [2]). quem [3]) etiam studiis Pythagoricis et artibus magicis operam dedisse constat. cf. Apulei. mag. 42: *memini apud Varronem philosophum legere ... Fabium, cum quingentos denarium perdidisset, ad Nigidium consultum venisse; ab eo pueros carmine instinctos indicavisse, ubi locorum defossa esset crumena cum parte eorum, ceteri ut forent distributi; unum etiam denarium ex eo numero habere Catonem philosophum, quem se a pedissequo in stipe Apollinis accepisse Cato confessus est.* — Octaviani imperium e stellarum statu, qui die eius natali erat, eum praedixisse comperimus ex Suet. Aug. 94, 5: *quo natus est* (scil. Augustus) *die, cum de Catilinae coniuratione ageretur in curia et Octavius ob uxoris puerperium serius affuisset, nota ac vulgata res est P. Nigidium comperta morae causa, ut horam quoque partus acceperit affirmasse dominum terrarum orbi natum,* — et ex Dion. XLV, 1, 3: *ἄρτι τε ὁ παῖς ἐγεγέννητο, καὶ* Νιγίδιος *Φίγουλος βουλευτὴς παραχρῆμα αὐτῷ τὴν αὐταρχίαν ἐμαντεύσατο. ἄριστα γὰρ ⟨τῶν⟩ καθ' ἑαυτὸν τήν τε τοῦ πόλου διακόσμησιν καὶ τὰς τῶν ἀστέρων διαφοράς, ὅσα τε καθ' ἑαυτοὺς γιγνόμενοι καὶ ἐν ταῖς διαστάσεσιν ἀποτελοῦσι, διέγνω, καὶ κατὰ τοῦτο καὶ αἰτίαν ὥς τινας ἀπορρήτους διατριβὰς ποιούμενος ἔσχεν.*

---

1) Cf. Cic. Tim. 1, 1. Gellius 4, 9, 1.

2) Cf. M. Hertz, De P. Nigidii Figuli studiis atque operibus. Berol. 1845.

3) Quem qualis fuerit vivo quodam colore depinxit Mommsenus (Röm. Gesch. III⁷ p. 573).

Eo accedit, quod Nigidius occultos coetus habuit et cultum orphicum instituit, cuius ipse dux et cum alii tum Vatinius ille, in quem Cicero orationem habuit, adsecula fuit. cf. Cic. in Vat. 6, 14: *volo ut mihi respondeas, tu, qui te Pythagoreum soles dicere et hominis doctissimi nomen tuis immanibus et barbaris moribus praetendere: quae te tanta pravitas mentis tenuerit, qui tantus furor, ut cum inaudita ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis deos manes mactare soleas, auspicia, quibus haec urbs condita est, quibus omnis res publica atque imperium tenetur, contempseris initioque tribunatus tui senatui denuntiaris, tuis actionibus augurum responsa atque eius collegii arrogantiam impedimento non futura?* adde schol. Bob. Cic. Vat. (p. 317, 12 Orelli): *fuit illis temporibus Nigidius quidam vir doctrina et eruditione studiorum praestantissimus, ad quem plurimi conveniebant. haec ab obtrectatoribus velut factio* [1]) *minus probabilis iactitabatur, quamvis ipsi Pythagorae sectatores existimari vellent.* — Sed nefaria sacra suscipere, inferorum animas elicere, auguria publica contemnere quid aliud est quam religionem rei publicae violare h. e. sacrilegium?

Quid igitur mirum, quod Nigidius ille apud posteros magus tantum vocatur, veluti Apuleius? sic Hieronymus ad Euseb. chron. a. Abr. 1972 (= 709 a. u. c. = 45 a. Chr.): *Nigidius Figulus Pythagoricus et magus in exilio moritur.*

Hoc sane concedendum est auctorem invectivae inepte hoc Ciceronem crimini dantem fecisse, quippe cum Nigidius Ciceronis amicissimus fuerit eumque in coniuratione Catilinae detegenda fortiter adiuverit [2]).

Sed locus hic satis explicatus et illustratus mihi videtur esse.

---

1) Sic cum Buechelero (Mus. Rhen. 34, 352), *veluti actio* liber. Cf. Iulii Severiani praecepta artis rhetoricae 19 (rhet. min. ed. Halm p. 366, 6 ex oratione Calvi in Vatinium): *hominem nostrae civitatis audacissimum, de factione divitem sordidum maledicum accuso.*

2) Cf. Cic. Sull. 14, 41; ep. ad Quint. fr. 1, 2, 16; ad fam. 4, 13, 2; Plut. Cic. 20.

DE ILIADIS FONTIBUS ET COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

(*Continuantur ex Vol. XL pag.* 328).

c. *Qui heroës e carminibus Peloponnesiis in fabulam Troianam recepti sint.*

In belli Troiani scenam e fontibus Peloponnesiis provenisse videntur Agamemnon, Menelaus, Helena, Paris, Nestor, Ulixes, Diomedes, Pandarus, tum Aeneas quem tamen, id quod supra ostendimus, non his solis fontibus fabula de bello Troiano debet. Busolt v. cl. [1]) eumque secuti Beloch [2]) et Cauer [3]) vv. cll. sumserunt Agamemnonem et Menelaum antequam a poetis in Peloponneso collocarentur in numero fuisse heroum Thessalorum. Ad quam sententiam probandam quae Busolt et Beloch attulerant Cauer repetivit et auxit. Qui primo loco hoc [4]): neque ab Atridis seiungi posse fabulae de bello Troiano rationem antiquissimam, neque hanc a Thessalia. Sed utrumque et posse et debere nobis

1) Gr. Gesch. I² p. 223.
2) Gr. Gesch. I p. 517.
3) Grundfr. der Hom. Krit.² p. 223 sqq.
4) l.l. p. 223, 541.

videmur ostendisse in superioribus [1]). Quo simul refutatur quod addidit Cauer [2]), Aulidem portum Boeotorum unde Graeci contra Troiam profecti essent Agamemnonem demere Peloponneso. Supra vidimus [3]) ab initio narratum Boeotos duce Aiace inde profectos, non Agamemnonem. Tum: poëtas e Peloponneso oriundos, cum Thessalorum carmina cognoscerent quibus Argos Thessalicum resque gestae heroum ibi cultorum spectarentur, errore nominis ea retulisse ad suum Argos. Hoc sic probat v. cl. [5]) ut ostendat triplicem apud Homerum nominis huius usum quo indicetur regio Thessalia, regio Peloponnesia, Graecia tota. At triplex hic usus cur nominis errori debeatur cum tamen utraque regio ὁμώνυμοσ re vera extiterit, nemo videt [6]). Porro [7]): Pelopem Lesbo oriundum, cuius posteros e Thucydide (I 9) et Theopompo (Schol. Λ 38) apparere, vix contigisse historicis ut vindicarent inter reges Argivorum Peloponnesiorum. His verbis Cauer speciem movet quasi Thucydides et Theopompus ex insula Lesbo Pelopidarum duxerint originem, quo nihil minus verum est [8]). Quod autem Pelopem ex Asia oriundum statuit Thucydides secutus Hellanici Ἀργολικά [9]), idemque sensisse Theopompum apparet [10]), nihil ad rem [11]). Postremo Cauer [12]): in Iliade Me-

1) Mnem. 1912 p. 6. 2) l.l. p. 224. 3) Mnem. 1912 p. 8.
4) p. 229. 5) p. 226 sqq.

6) Quod non tantum regio Thessalica sed Peloponnesia quoque ἱππόβοτοσ dicitur nemo negat fieri posse ut debeatur errori.

7) l.l. p. 230.

8) De Lesbo Thucydides ne verbum quidem, Theopompus tantum hoc: Pelops cum Pisam in Peloponneso sitam iter faceret Hippodamiam Oenomai filiam in matrimonium petiturus, prope Lesbum Cillum eius aurigam mortuum esse, quo ibi sepulto aedem consecrasse Apollini Cillaeo et urbem condidisse, quam Cillam appellaret.

9) C. Mueller fr. h. g. 42 cf. U. Köhler. Archaeol. des Theop. p. 8.

10) Vide supra ann. 8.

11) Praeterea luculenter demonstravit C. Robert v. cl. (Bild und Lied p. 187) hanc originem Asiaticam post Homeri aetatem inventam esse. Si vero quis inde quod Penthelidarum gens quae Mytilenae, Cleuadarum et Maloidarum quae Cymae imperabat, Agamemnonem professa est generis principem (Arist. pol. VIII 8. 13), quoniam Graeci qui haec loca habitabant e Thessalia profecti erant etiam Agamemnonem efficeret inde oriundum esse, egregie falleretur. Nam origo Thessalica e Lesbiorum cett. lingua efficitur, sed gentes illas professas esse se e Peloponneso oriundas esse apparet quia Hellanicus, ipse natione Lesbius, id totidem verbis dicit (cf. Mueller. f. h. g. I 60. fr. 114 IV 632 a, sq.). Neque dubium quin ipsa origo a Mycenarum rege quam sibi arrogavissent, eos induxerit ut e Peloponneso se oriundos perhiberent.

12) l.l. p. 231.

nelai sedem taceri, eandem videri atque Agamemnonis, Mycenas autem nonnisi recentioribus Iliadis locis huic adscribi. Demus ita esse et inde sequi ut ab initio Agamemnoni alia tributa sit patria, neutiquam sequitur ut haec fuerit Thessalia.

Caret igitur Caueri cett. sententia etiamsi rem per se spectas omni *πειθανάγκῃ*. Sed non desunt quae omne dubium tollant quin tam Agamemnonis, quam Menelai et Helenae sedes ante Homeri aetatem habita sit Sparta vel Amyclae fuisse. Eos ab initio èt aliis locis èt apud Lacedaemonios inter numina habitos esse non obscurum est. Nam Chaeroneae divino honore colebatur stipes (*δόρυ*) quem Agamemnonis sceptrum fuisse dicebant — „*θεῶν δὲ μάλιστα*" inquit Pausanias (III. 9. 10) „*Χαιρωνεῖσ τιμῶσι τὸ σκῆπτρον*" — quod revera pristinum dei vel daemonis Agamemnonis signum fuisse satis perspicuum est. Tum diversis Graeciae locis ferebant puteos fodisse Agamemnonem [1]), quorum aquae, cum pars saltem tradantur medicatae fuisse, apparet hic agi de numine fontium salutarium praeside. Spartae autem Iuppiter *ἐπιθετικῶσ* Agamemnon dicebatur [2]), quod quid alibi sibi vult nisi numen aliquod *ἐπιχώριον* cum summo deo in unum numen abisse? Atque Menelao et Helenae Isocrates (Hel. Enc. 10. 63) suis etiam temporibus sacrificatum esse testatur Therapnis

---

1) Eustath. Il. 461. *περὶ Ἀττικήν φασι καὶ ἐν Αὐλίδι καὶ πολλαχοῦ τῆσ Ἑλλάδοσ τον Ἀγαμέμνονα φρέατα ὀρύξαι* et eisdem verbis Hesychius (*Ἀγαμέμνονοσ φρέατα*) et Zenob. prov. qui addit (*Ἀγαμ. φρ.*): *ἐπὶ τῶν μεγάλων ἔργων*; praeterea Philostr. her. 2. 18 p. 691; Ol. 84 Boiss.; Agathias Anth. Pal. 631, qui fontes salutares *Ἀγαμέμνονοσ λουτρὰ* dictos prope Smyrnam extitisse referunt; cf. Strab. XXIV. 635.

2) Clem. Alex *Προτρ.* 238 *Ἀγαμέμνονα γοῦν τινα Δία ἐν Σπάρτῃ τιμᾶσθαι Στάφυλοσ ἱστορεῖ*, Eustath. Il. p. 568 *δοκεῖ εὐλόγωσ παρὰ Λάκωσι Ζεὺς Ἀγαμέμνων ἐπιθετικῶσ εἶναι.* (Putat noster propterea Iovem cognominari Agamemnonem quia uterque sit *εὐρὺ κρείων*, quod non opus est refutare); Lycophr. Alex. 225 *ὁ δ' ἀμφὶ τύμβῳ Ἀγαμέμνονοσ δαμείσ* cum ann. Is Tzetzae *οὗτοσ* (i. e. Priamus) *ἀμφὶ τύμβῳ καὶ ναῷ τοῦ Ἀγαμέμνονοσ Διὸσ ἤτοι τοῦ Ἑρκείου Διὸσ δαμασθείσ κ.τ.λ.* ... *Ἀγαμέμνων δὲ Ζεὺσ ἐν Λακεδαίμονι ἀλλ' οὐκ ἐν Τροίᾳ ἐτιμᾶτο* (nimirum Lycophron cum vellet „Iovis ad aram", sesquipedalia captans verba „Iovis Agamemnonis ad aram" dixit), 1124 *ἐμὸσ* (i. e. Cassandrae) *δ' ἀκοίτησ δμωίδοσ νύμφησ ἄναξ* (i. e. Agamemnon) *Ζεὺσ Σπαρτιάταισ αἱμύλοισ κληθήσεται*; 1369 *πρῶτοσ μὲν ἥξει* (Agamemnon) *Ζηνὸσ τοῦ Λαπερσίω ὁμώνυμοσ Ζεύσ.* (Quod in ann. addit Tzetzes „*Λάπερσαι δῆμοσ Ἀττικῆσ* in eo fallitur, nam 1571 Lycophron Dioscuros vocat *δίπτυχασ Λαπέρσασ.* cf. Strab. VIII. 964, et apud Steph. Byz.: *Λάπερσαι* dicitur a Didymo Laconiae urbs, a Rhiano Laconiae mons.)

potest. Nihil se hac via pergentem effecturam rata, blandientibus verbis usa (*solamen annis unicum fessis era!* 267) Phaedrae suadet ut famam (= opinionem hominum, alio igitur sensu [1]) atque vs. 252, ubi 'decus', 'pudor' est) contemnat: famam fide non dignam esse neque iustam (269 sq.). Eo facilius Phaedra audit verba nutricis quod haec iuvenem ferum se aggressuram promittit (272). Gronovius, ut opinor, recte versum 261 transposuit, Scaliger minus recte vs. 264 delevit.

Vs. 274 sqq. Chorus.

274 Diva non miti generata ponto,
275 quam vocat matrem geminus Cupido,
[impotens flammis simul et sagittis];
iste lascivus puer et renidens
tela quam certo moderatur arcu!
[labitur totas furor in medullas.
280 igne furtivo populante venas.]
non habet latam data plaga frontem,
sed vorat tectas penitus medullas.
nulla pax isti puero: per orbem
spargit effusas agiles sagittas;

Vs. 276, quod testatur Richter in editione sua, Mich. Müller, (In Senecae trag. quaest. crit. Berolini 1898 p. 29) delevit ut falsum interpretamentum. Secundum Cic. N. D. III 59 et 60: *ex ea* (Venere tertia) *et Marte natus Anteros dicitur* .... Satis constat hunc amoris mutui deum esse, simillimum esse Amori eademque insignia habere, nisi quod alae utriusque paulum differunt (*Baum. Denkm.*, Num. 541, 542). Est igitur uterque Amor (vs. 276) *impotens flammis simul et sagittis.* Sunt etiam qui vs. 279 et 280 expungant simul voc. 'populari' rariore significatione = consumere, (cf. vs. 377) delentes [2]). At quaero unde illi sumant subiectum verbi 282 *vorat,* quod his versibus omissis vix possit stare? An *data plaga* subiectum est? Sed quomodo *data plaga,* vulnus igitur ipsum, vorare potest tectas penitus

1) Cf. Ph. 1016, 1034 'monstrum' duas habet significationes diversas.

2) Mirum est quod idem vocabulum altero loco a Leo expellitur, qui totum versum et sequentem delere malit (377, 378).

medullas? Hoc solum 'furor' potest sive 'ignis', qui venas consumit. Nolo disputare de iterato voc. 'medullas' (279, 282), de qua re supra (p. 18 c. adn. 4) pauca me dixisse admoneo. Ceterum minime fluere hos versus perspicio. Seneca dicit: non est quidem lata specie vulnus illatum, sed ignis quem telum efficit, eo magis urit vorando tectas penitus medullas. Nullum igitur versum eiciendum censeo.

Vs. 300 ipse qui caelum nebulasque fecit.

Sic cod. optimus Etruscus, Gronovius *ducit* lectionem deteriorem recipiens, idem Richter; *volvit* Peiper, *cogit* Leo, *flectit* Koetschau. Frustra omnes sanare locum sanum tentaverunt. Secundum Stoicos Iuppiter mundum creavit, caelum cum nubibus fecit (cf. vs. 466 ille maximus *mundi parens*, et praeterea Hymnum ad Cleanthem apud Paul Barth, Die Stoa S. 57).

Vs. 309—316:

309 arsit obscuri dea clara mundi
310 nocte deserta nitidosque fratri
tradidit currus aliter regendos:
ille nocturnas agitare bigas
313 discit et gyro breviore flecti;
nec suum tempus tenuere noctes
315 et dies tardo remeavit ortu,
dum tremunt axes graviore curru;

Leo vs. 316 post 313 traiecit. Chorus loquitur de amore Selenae et Endymionis, quo amore Selena tradit *currus aliter regendos* Apollini fratri. A. discit nocturnas (Selenae) agitare bigas et gyro breviore flectit (quippe qui ipse maiore gyro utatur: Thyestes vs. 840 sqq.). Sed (vs. 314) noctes non tenent i. e. superant tempus solitum et dies tardo ortu remeavit (pf. gnom.) = retardatur, dum (vs. 316 usque id tempus quo) tremunt axes graviore curru (= curru Apollinis) i. e. dum tandem ordo rerum restituitur.

Versus suum locum teneat!

Vs. 352 sq. vindicat omnes
natura sibi nihil immune est,
odiumque perit, cum iussit Amor;

Buechlerus: *omnem | sibi naturam.* In ed., quam Richter et Peiper composuerunt: *vindicat omnes | natura. Sibi nihil* ... Retinenda imprimis haec lectio codicum. 'Sibi' autem ad priorem sententiam traiciendum est et comparandus vs. 1114: *O nimium potens .... natura.*

(*Continuabitur*).

AD HOMERI ILIADEM Λ 126 SQ.

(Narratum est de Antimacho, qui olim obstitit quominus Helena redderetur Menelao.)

τοῦ περ δὴ δύο παῖδε λάβε κρείων Ἀγαμέμνων
ἐν ἑνὶ δίφρῳ ἐόντας, ὁμοῦ δ' ἔχον ὠκέας ἵππους.

Prudenter sane nostri editores annotant „*ὁμοῦ δ' ἔχον* verba dubia". Et quod ipsi explicandi causa adscribunt: *ambo simul equos turbatos tunc ipsum inhibere conabantur* id ultro significant sibi parum placere. Dixerim ne posse quidem illud e verbis traditis extorqueri. Neque aliorum probamus explicationem: *eodem curru vehi solebant,* quae eodem laborat vitio et praeterea est languidissima. Superest ergo ut ... verba tradita corrupta statuamus. Quod equidem eo libentius statuo quoniam mihi reperisse videor emendationem certam, quae egregiam praebeat sententiam et paene necessariam, atque eiusmodi ut statim intelligas vix potuisse poetae verba effugere librariorum stultitiam. Sequuntur enim haec:

ἐκ γάρ σφεας χειρῶν φύγεν ἡνία σιγαλόεντα,
τὼ δ' ἐκυκηθήτην.

Videamus nunc quid omnino loco verborum *ὁμοῦ δ' ἔχον ὠκέας ἵππους* legi potuerit. Si vacuus esset eorum locus relictus, unum

vocabulum *equos* significans desideraremus, ad sensum praeterea nihil deesset. Recordemur nunc paene constans esse poetae artificium ut quod paulo post accuratius sit descripturus statim paucis verbis vel brevius vel tectius significet. Rei usitatissimae absurdum foret multa afferre exempla. Cogitemus modo de decantato isto:

ἐδύσετο νώροπα χαλκόν·
κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε κτἑ.

vel de Φ 179 σχεδὸν ἄορι θυμὸν ἀπέερα·
γαστέρα γάρ μιν ἔτυψε κτἑ.

Π 787 ἔνθ' ἄρα τοι, Πάτροκλε, φάνη βιότοιο τελευτή·
ἤντετο γάρ τοι Φοῖβος κτἑ.

Ε 39 ἔκβαλε δίφρου·
πρώτῳ γὰρ στρεφθέντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πῆξε.

Sic nunc hic explicandum est quomodo factum sit ut duos illos fratres eodem tempore Agamemnon posset occidere. Id mox poeta pluribus verbis faciet narrans de habenis elapsis equisque perturbatis, sed iam statim eandem rem obscurius significat, quam obscuritatem *illustrari* sequentibus una vox γάρ documento est. Quid ergo scripsit poeta?

Nempe: ὁμοῦ δ' ἔχον ὠκέες ἵπποι. „Equi eos *simul retinebant* in eodem loco". Equorum culpa factum est ut neuter fugere posset: habenis enim e manibus aurigae lapsis perturbabantur illi. Librarius putans ἔχον subiectum habere δύο παῖδε non poterat non ex nominativo accusativum facere.

Simili modo paulo post alius Troianus quia fugere non poterat interiit vs. 338 sqq. (Diomedes vulnerat Agastrophum)

οὐδέ ϝοι ἵπποι
ἐγγὺς ἔσαν προφυγεῖν, ἀάσσατο δὲ μέγα θυμῷ.

J. J. H.

AD CICERONIS IN SALLUSTIUM

QUAE FERTUR

INVECTIVAM.

SCRIPSIT

ALPHONSUS KURFESS.

> C. Sallustii Crispi Catilina, Iugurtha, historiarum reliquiae codicibus servatae. accedunt rhetorum opuscula Sallustiana. Henricus Iordan tertium recognovit. Berolini 1887. p. 163, 7.

Cic. in Sall. V, 14: *sed abiit* (scil. Sallustius) *in sodalicium sacrilegi Nigidiani.* hunc locum adhuc nemo explicavit. Glareanus [1]) haec adnotat: *ex hisce verbis certe nullus elicitur sensus. in alio codice legebatur: 'sed abiit in sodalitium sacrilegi* [2]) *Nigidiani'. accusat igitur Sallustium Cicero sacrilegii, quippe qui cum sacrilegis sodalitium habuerit. de Nigidiano autem, quis fuerit, adhuc cogito.* similiter Cortius in editione sua [3]): *corrupta haec vix ex sola coniectura emendare audeo. forte 'sacrilegii Clodiani, melius esset ad personam dicentis.* atque novissimus invectivae interpres, G. Peiser [4]), sic commentatur: *dubium esse potest, utrum primus casus sit 'sacrilegus Nigidianus' vel 'sacrilegium Ni-*

---

1) Cf. Doctorum hominum commentaria in C. Sallustium Crispum post Sigertum Havercampum denuo edidit Carolus Henricus Frotscher (Lipsiae 1830), vol. III p. 269.

2) Legit enim 'sacrilegii'.

3) Lipsiae 1724.

4) De invectivis, quae Sallustii et Ciceronis nominibus feruntur. Progr. Posen 1903.

gidianum'. quis ille sacrilegus Nigidius vel Nigidianus fuerit, adhuc nemo enucleavit. Iordanus rem ita absolvit, ut dicat rhetorem finxisse sacrilegium P. Nigidii Figuli, viri integerrimi et Ciceronis amicissimi. sed vix quemquam inveniri puto, qui hoc probet. verbo quod sequitur 'attractus' adductus sum, ut 'manibus' insererem. sic emendavi: pro 'abiit in sodalicium sacrilegi Nigidiani bis iudicis ad subsellia attractus': 'abiit in sodalicium sacrilegi. Nigidi manibus iudicis ad subsellia attractus etc.' 'sacrilegi' idem esset ac sacrilegii. Nigidius non reus, sed accusator.

Contra equidem nil mutandum esse censeo. hoc tenendum est: 'Nigidianus' non nomen, sed adiectivum a nomine Nigidii derivatum et 'sacrilegi' idem esse ac sacrilegii. sed quis est ille Nigidius? nempe P. Nigidius Figulus, Varronis et Ciceronis aequalis, homo doctissimus [1]), qui de rebus humanis et divinis multos libros scripsit [2]). quem [3]) etiam studiis Pythagoricis et artibus magicis operam dedisse constat. cf. Apulei. mag. 42: *memini apud Varronem philosophum legere ... Fabium, cum quingentos denarium perdidisset, ad Nigidium consultum venisse; ab eo pueros carmine instinctos indicavisse, ubi locorum defossa esset crumena cum parte eorum, ceteri ut forent distributi; unum etiam denarium ex eo numero habere Catonem philosophum, quem se a pedissequo in stipe Apollinis accepisse Cato confessus est.* — Octaviani imperium e stellarum statu, qui die eius natali erat, eum praedixisse comperimus ex Suet. Aug. 94, 5: *quo natus est* (scil. Augustus) *die, cum de Catilinae coniuratione ageretur in curia et Octavius ob uxoris puerperium serius affuisset, nota ac vulgata res est P. Nigidium comperta morae causa, ut horam quoque partus acceperit affirmasse dominum terrarum orbi natum,* — et ex Dion. XLV, 1, 3: *ἄρτι τε ὁ παῖς ἐγεγέννητο, καὶ Νιγίδιος Φίγουλος βουλευτὴς παραχρῆμα αὐτῷ τὴν αὐταρχίαν ἐμαντεύσατο. ἄριστα γὰρ ⟨τῶν⟩ καθ' ἑαυτὸν τήν τε τοῦ πόλου διακόσμησιν καὶ τὰς τῶν ἀστέρων διαφοράς, ὅσα τε καθ' ἑαυτοὺς γιγνόμενοι καὶ ἐν ταῖς διαστάσεσιν ἀποτελοῦσι, διέγνω, καὶ κατὰ τοῦτο καὶ αἰτίαν ὥς τινας ἀπορρήτους διατριβὰς ποιούμενος ἔσχεν.*

---

1) Cf. Cic. Tim. 1, 1. Gellius 4, 9, 1.

2) Cf. M. Hertz, De P. Nigidii Figuli studiis atque operibus. Berol. 1845.

3) Quem qualis fuerit vivo quodam colore depinxit Mommsenus (Röm. Gesch. III[7] p. 573).

Eo accedit, quod Nigidius occultos coetus habuit et cultum orphicum instituit, cuius ipse dux et cum alii tum Vatinius ille, in quem Cicero orationem habuit, adsecula fuit. cf. Cic. in Vat. 6, 14: *volo ut mihi respondeas, tu, qui te Pythagoreum soles dicere et hominis doctissimi nomen tuis immanibus et barbaris moribus praetendere: quae te tanta pravitas mentis tenuerit, qui tantus furor, ut cum inaudita ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis deos manes mactare soleas, auspicia, quibus haec urbs condita est, quibus omnis res publica atque imperium tenetur, contempseris initioque tribunatus tui senatui denuntiaris, tuis actionibus augurum responsa atque eius collegii arrogantiam impedimento non futura?* adde schol. Bob. Cic. Vat. (p. 317, 12 Orelli): *fuit illis temporibus Nigidius quidam vir doctrina et eruditione studiorum praestantissimus, ad quem plurimi conveniebant. haec ab obtrectatoribus velut factio* [1]) *minus probabilis iactitabatur, quamvis ipsi Pythagorae sectatores existimari vellent.* — Sed nefaria sacra suscipere, inferorum animas elicere, auguria publica contemnere quid aliud est quam religionem rei publicae violare h. e. sacrilegium?

Quid igitur mirum, quod Nigidius ille apud posteros magus tantum vocatur, veluti Apuleius? sic Hieronymus ad Euseb. chron. a. Abr. 1972 (= 709 a. u. c. = 45 a. Chr.): *Nigidius Figulus Pythagoricus et magus in exilio moritur.*

Hoc sane concedendum est auctorem invectivae inepte hoc Ciceronem crimini dantem fecisse, quippe cum Nigidius Ciceronis amicissimus fuerit eumque in coniuratione Catilinae detegenda fortiter adiuverit [2]).

Sed locus hic satis explicatus et illustratus mihi videtur esse.

---

1) Sic cum Buechelero (Mus. Rhen. 34, 352), *veluti actio* liber. Cf. Iulii Severiani praecepta artis rhetoricae 19 (rhet. min. ed. Halm p. 366, 6 ex oratione Calvi in Vatinium): *hominem nostrae civitatis audacissimum, de factione divitem sordidum maledicum accuso.*

2) Cf. Cic. Sull. 14, 41; ep. ad Quint. fr. 1, 2, 16; ad fam. 4, 13, 2; Plut. Cic. 20.

DE ILIADIS FONTIBUS ET COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

(*Continuantur ex Vol. XL pag.* 328).

c. *Qui heroës e carminibus Peloponnesiis in fabulam Troianam recepti sint.*

In belli Troiani scenam e fontibus Peloponnesiis provenisse videntur Agamemnon, Menelaus, Helena, Paris, Nestor, Ulixes, Diomedes, Pandarus, tum Aeneas quem tamen, id quod supra ostendimus, non his solis fontibus fabula de bello Troiano debet. Busolt v. cl. [1]) eumque secuti Beloch [2]) et Cauer [3]) vv. cll. sumserunt Agamemnonem et Menelaum antequam a poetis in Peloponneso collocarentur in numero fuisse heroum Thessalorum. Ad quam sententiam probandam quae Busolt et Beloch attulerant Cauer repetivit et auxit. Qui primo loco hoc [4]): neque ab Atridis seiungi posse fabulae de bello Troiano rationem antiquissimam, neque hanc a Thessalia. Sed utrumque et posse et debere nobis

---

1) Gr. Gesch. I² p. 223.
2) Gr. Gesch. I p. 517.
3) Grundfr. der Hom. Krit.² p. 223 sqq.
4) l.l. p. 223, 541.

videmur ostendisse in superioribus [1]). Quo simul refutatur quod addidit Cauer [2]), Aulidem portum Boeotorum unde Graeci contra Troiam profecti essent Agamemnonem demere Peloponneso. Supra vidimus [3]) ab initio narratum Boeotos duce Aiace inde profectos, non Agamemnonem. Tum: poëtas e Peloponneso oriundos, cum Thessalorum carmina cognoscerent quibus Argos Thessalicum resque gestae heroum ibi cultorum spectarentur, errore nominis ea retulisse ad suum Argos. Hoc sic probat v. cl. [5]) ut ostendat triplicem apud Homerum nominis huius usum quo indicetur regio Thessalia, regio Peloponnesia, Graecia tota. At triplex hic usus cur nominis errori debeatur cum tamen utraque regio ὁμώνυμοσ re vera extiterit, nemo videt [6]). Porro [7]): Pelopem Lesbo oriundum, cuius posteros e Thucydide (I 9) et Theopompo (Schol. Λ 38) apparere, vix contigisse historicis ut vindicarent inter reges Argivorum Peloponnesiorum. His verbis Cauer speciem movet quasi Thucydides et Theopompus ex insula Lesbo Pelopidarum duxerint originem, quo nihil minus verum est [8]). Quod autem Pelopem ex Asia oriundum statuit Thucydides secutus Hellanici Ἀργολικά [9]), idemque sensisse Theopompum apparet [10]), nihil ad rem [11]). Postremo Cauer [12]): in Iliade Me-

1) Mnem. 1912 p. 6. 2) l.l. p. 224. 3) Mnem. 1912 p. 8.
4) p. 229. 5) p. 226 sqq.

6) Quod non tantum regio Thessalica sed Peloponnesia quoque ἱππόβοτοσ dicitur nemo negat fieri posse ut debeatur errori.

7) l.l. p. 230.

8) De Lesbo Thucydides ne verbum quidem, Theopompus tantum hoc: Pelops cum Pisam in Peloponneso sitam iter faceret Hippodamiam Oenomai filiam in matrimonium petiturus, prope Lesbum Cillum eius aurigam mortuum esse, quo ibi sepulto aedem consecrasse Apollini Cillaeo et urbem condidisse, quam Cillam appellaret.

9) C. Mueller fr. h. g. 42 cf. U. Köhler. Archaeol. des Theop. p. 8.

10) Vide supra ann. 8.

11) Praeterea luculenter demonstravit C. Robert v. cl. (Bild und Lied p. 187) hanc originem Asiaticam post Homeri aetatem inventam esse. Si vero quis inde quod Penthelidarum gens quae Mytilenae, Cleuadarum et Maloidarum quae Cymae imperabat, Agamemnonem professa est generis principem (Arist. pol. VIII 8. 13), quoniam Graeci qui haec loca habitabant e Thessalia profecti erant etiam Agamemnonem efficeret inde oriundum esse, egregie falleretur. Nam origo Thessalica e Lesbiorum cett. lingua efficitur, sed gentes illas professas esse se e Peloponneso oriundas esse apparet quia Hellanicus, ipse natione Lesbius, id totidem verbis dicit (cf. Mueller. f. h. g. I 60. fr. 114 IV 632 a, sq.). Neque dubium quin ipsa origo a Mycenarum rege quam sibi arrogavissent, eos induxerit ut e Peloponneso se oriundos perhiberent.

12) l.l. p. 231.

nelai sedem taceri, eandem videri atque Agamemnonis, Mycenas autem nonnisi recentioribus Iliadis locis huic adscribi. Demus ita esse et inde sequi ut ab initio Agamemnoni alia tributa sit patria, neutiquam sequitur ut haec fuerit Thessalia.

Caret igitur Caueri cett. sententia etiamsi rem per se spectas omni *πειθανάγκῃ*. Sed non desunt quae omne dubium tollant quin tam Agamemnonis, quam Menelai et Helenae sedes ante Homeri aetatem habita sit Sparta vel Amyclae fuisse. Eos ab initio èt aliis locis èt apud Lacedaemonios inter numina habitos esse non obscurum est. Nam Chaeroneae divino honore colebatur stipes (*δόρυ*) quem Agamemnonis sceptrum fuisse dicebant — „*θεῶν δὲ μάλιστα*" inquit Pausanias (III. 9. 10) „*Χαιρονεῖσ τιμῶσι τὸ σκῆπτρον*" — quod revera pristinum dei vel daemonis Agamemnonis signum fuisse satis perspicuum est. Tum diversis Graeciae locis ferebant puteos fodisse Agamemnonem [1]), quorum aquae, cum pars saltem tradantur medicatae fuisse, apparet hic agi de numine fontium salutarium praeside. Spartae autem Iuppiter *ἐπιθετικῶσ* Agamemnon dicebatur [2]), quod quid alibi sibi vult nisi numen aliquod *ἐπιχώριον* cum summo deo in unum numen abisse? Atque Menelao et Helenae Isocrates (Hel. Enc. 10. 63) suis etiam temporibus sacrificatum esse testatur Therapnis

1) Eustath. Il. 461. *περὶ 'Αττικήν φασι καὶ ἐν Αὐλίδι καὶ πολλαχοῦ τῆσ 'Ελλάδοσ τὸν 'Αγαμέμνονα φρέατα ὀρύξαι* et eisdem verbis Hesychius (*'Αγαμέμνονοσ φρέατα*) et Zenob. prov. qui addit (*'Αγαμ. φρ.*): *ἐπὶ τῶν μεγάλων ἔργων*; praeterea Philostr. her. 2. 18 p. 691; Ol. 84 Boiss.; Agathias Anth. Pal. 631, qui fontes salutares *'Αγαμέμνονοσ λουτρὰ* dictos prope Smyrnam extitisse referunt; cf. Strab. XXIV. 635.

2) Clem. Alex Προτρ. 238 *'Αγαμέμνονα γοῦν τινα Δία ἐν Σπάρτῃ τιμᾶσθαι Στάφυλοσ ἱστορεῖ*, Eustath. Il. p. 568 *δοκεῖ εὐλόγωσ παρὰ Λάκωσι Ζεὺς 'Αγαμέμνων ἐπιθετικῶσ εἶναι*. (Putat noster propterea Iovem cognominari Agamemnonem quia uterque sit *εὐρὺ κρείων*, quod non opus est refutare); Lycophr. Alex. 225 *ὁ δ' ἀμφὶ τύμβῳ 'Αγαμέμνονοσ δαμείσ* cum ann. Is Tzetzae *οὗτοσ* (i e. Priamus) *ἀμφὶ τύμβῳ καὶ ναῷ τοῦ 'Αγαμέμνονοσ Διὸσ ἤτοι τοῦ 'Ερκείου Διὸσ δαμασθείσ κ.τ.λ.* ... *'Αγαμέμνων δὲ Ζεὺσ ἐν Λακεδαίμονι ἀλλ' οὐκ ἐν Τροίᾳ ἐτιμᾶτο* (nimirum Lycophron cum vellet „Iovis ad aram", sesquipedalia captans verba „Iovis Agamemnonis ad aram" dixit), 1124 *ἐμὸσ* (i. e. Cassandrae) *δ' ἀκοίτησ δμωίδοσ νύμφησ ἄναξ* (i. e. Agamemnon) *Ζεὺσ Σπαρτιάταισ αἱμύλοισ κληθήσεται*; 1369 *πρῶτοσ μὲν ἥξει* (Agamemnon) *Ζηνὸσ τοῦ Λαπερσίω ὁμώνυμοσ Ζεύσ*. (Quod in ann. addit Tzetzes „*Λάπερσαι δῆμοσ 'Αττικῆσ* in eo fallitur, nam 1571 Lycophron Dioscuros vocat *δίπτυχασ Λαπέρσασ*. cf Strab. VIII. 964, et apud Steph. Byz.: *Λάπερσαι* dicitur a Didymo Laconiae urbs, a Rhiano Laconiae mons.)

in vico Laconiae prope a Sparta sito idque *οὐχ ὡσ ἥρωσιν ἀλλ' ὡσ θεοῖσ ἀμφοτέροισ οὖσι.* [1]). Pausanias autem auctor est (II. 22, 7) Argis aedem Lucinae ab Helena conditam esse et (III. 19. 10) Rhodi aedem fuisse Helenae Dentritidis [2]) et (VII. 23. 4) Caphyis in vico Arcadiae platanum a Menelao consitam fuisse prope fontem, cui utrique nomen Menelaïdi, aliis verbis fontem illum platanumque sacra fuisse numini Menelao. Praeterea divinam Helenae et Menelai naturam probat illius pater Iuppiter et fratres Dioscuri, huius conubium cum Iovis filia initum et immortalitatis honor ei fato decretus (δ 561 sqq.). Unde facile quoque intelligitur Helenae raptum initio pro argumento fuisse mythi cuiusdam ex eius cultu derivati, quod ita se habere confirmant variae huius mythi formae primarias eius rei partes deis adscribentes. Nam praeterquam a Paride Helena èt rapta esse traditur a Theseo, reducta autem a Dioscuris èt abducta a Mercurio qui eam in Aegyptum absportavisset. Atque de divina tam Thesei quam Dioscurorum natura nemo dubitat; quapropter de Paridis quoque non aliter iudicandum erit [3]). Iamvero sicubi Helena quoque in mulierem mortalem conversa est, nulla alia ex sede nisi Lacedaemone eam abductam esse quisquam, quantum scimus narravit. Quocum convenit eius maritique cultus Therapnis, quodque in Odyssea, ut apud omnes recentiores, Menelaum regem Spartae fuisse legimus. Itaque ea materies cum in belli Troiani reciperetur fabulam, e fontibus Peloponnesiis videtur recepta esse. Agamemnon autem, cum quo tempore Helenae raptus et reductio inter res divinas ageretur nihil sit cur dubitemus quin iam in ea re aliquas partes egerit — Helenam enim ut a Theseo raptam reduxerint gemini Dioscuri

---

1) Cf. etiam Athenag. 14 p. 15 Schw. *Λακεδαιμόνιοι* (*ἵδρυνται θεὸν*) *καὶ θύουσιν αὐτῷ καὶ ἑορτάζουσιν*, Polyb. V. 18. 22; Liv. XXXIV. 28. 7 Menelai sacellum Spartae commemorant.

2) Utramque tam Lucinam quam Dentritidem aliis nominibus fuisse deam Lunam ostendit Usener v. cl., (Götternamen p. 239, der Stoff des Gr. Ep. p. 12).

3) Gruppe l.l. cohaerere censet *Πάριν* et *Πάρειαν* i. e. „die Schlange in welcher wohl der Erdgeist eines chthonischen Heiligthumes gedacht worden" (p. 232) „Nach ihrem Namen ist Paris genannt der Gemahl der heilkundigen Helene" (p. 305) „Ursprünglich bedeutet Helena in diesem Artemis-Dionysos Kult den mystischen Korb in welchem die *ἄρρητα* getragen werden, d. i. wahrscheinlich die heilige Schlange (*πάρεια*)" (p. 163) cf. praeterea pp. 312, 634.

sic a Paride raptam reduxisse geminos Atridas par est — sequitur ut ipse quoque ex illo fonte in bellum Troianum adscitus esse censendus sit. At vero ipsam hanc ob causam, cum praesertim viderimus eum etiam Spartae inter numina cultum esse, suspicio nascitur postquam inter mortales relatus sit, in Laconia habitantem esse fictum a poëtis antequam collocaretur ab iis Mycenis. Hanc autem suspicionem ultro confirmare et probare licet non levibus argumentis. Nam legimus apud Herodotum (VII. 39) Gelo Syracusanorum tyrannus cum auxilium contra Xerxem Graeciam invadentem ita promitteret si ad se summa belli deferretur, Syagrium Laconem qui ad eum missus esset legatus, exclamasse „ἦ κε μέγ' οἰμώξειεν 'Αγαμέμνων Σπαρτιήτασ τὴν ἡγεμονίην ἀπαραιρῆσθαι ὑπὸ Γέλωνοσ καὶ Συρακοσίων. Quo accedit quod etiam Stesichorus, Simonides, Pindarus eum Spartae vel Amyclae imperasse voluerunt [1]), Pausanias autem tradit [2]) Amyclis eius fuisse tumulum. Vulgo inde efficitur Spartanos cum Peloponnesi principatum adepti essent, ne iure belli magis quam hereditate eum habere viderentur palam sic egisse quasi Agamemnon, quem ex Homero efficerent ceteris Peloponnesiis praefuisse regibus in sua patria resedisset [3]). Sed Stesichori temporibus principatum Peloponnesi Spartani nondum affectabant, praeterea autem etiam Tarenti, quae colonia iam exeunte saeculo VIII a Chr. n. a Spartanis deducta est Agamemnonidis dies sacer fuit [4]). Praeterea credibile non videtur Spartanos in-

---

1) Schol. Eur. Orest. 46 (Berck. Poet. Lyr. Gr. III[4] p. 523): Ὅμηροσ δὲ ἐν Μυκήναισ εἶναι τὰ βασίλεια τοῦ 'Αγαμέμνονοσ Στησίχοροσ δὲ καὶ Σιμωνίδησ ἐν Λακεδαίμονι, Pind. Pyth. XI. 32 'θάνεν μὲν αὐτὸσ ἥρωσ 'Ατρεΐδασ ἵκων χρόνῳ κλυταῖσ ἐν 'Αμύκλαισ cf. Pyth. XI. 6. ἐν ἀφνειαῖσ ἀρούραισι Πυλάδα νικῶν Λάκωνοσ Ὀρεστα Nem. XI. 34 'Αμύκλαθεν γὰρ ἔβα σὺν 'Ορέστᾳ.

2) III. 19. 6.

3) Vide Stein. v. cl. in ed. Herod. ad VII. 39.

4) [Arist.] mir. ausc. 106 p. 840*a* 8. Wernecke (Agamemnon apud Pauly. Wiss. Suppl. B) hunc honorem censet eis decretum fuisse propter laudes Agamemnoni ab Homeri impertitos quod viro cl. dare non possum (vide ann. seq.). Sed fac ita esse, tamen hoc immotum manet Spartanos tum cum colonia deduceretur non dubitasse quin apud se regnasset Agamemnon. Cauer l.l. p. 232, 328, quaecunque naturam divinam Agamemnonis et Menelai probent post Homeri aetatem censet inventa esse cum homines assuevissent „den Heerkönig der Ilias als Gott an zu sehen". Quid inducere potuerit homines ut ex Homero efficerent Agamemnonem re vera non hominem sed deum habendum esse non facile quisquam perspiciat. Sed nititur Cauer sententia quam edidit E. Rohde

vito Homero Agamemnonem suae patriae vindicaturos fuisse nisi antiqua aliqua fama niterentur. Haec igitur fama ante Homeri aetatem orta erat, et revera apud ipsum Homerum aliqua eius

v. cl. in libro nobilissimo cui titulus Psyche. Rohde enim quamquam causam Atridarum non tetigit universe statuit perpaucos heroës eosque nonnisi qui ab initio locis subterraneis habitare crederentur inter numina habita esse antequam inter homines, cum vero antiquissimis temporibus animae mortuorum cunctae in daemonum numero haberentur, post Hesiodi aetatem ex his coeptos esse heroës audiri — idque alio sensu quam quo Homerus et Hesiodus hac voce usi essent, quibus heroës essent insignes bellatores, nihil amplius — quicunque honore sacrorum solemnium afficerentur; quod iis obtigisse propter gloriam rerum gestarum sive verarum sive fictarum, potissimum autem si auctores nobilium generum haberentur, praeterea postero tempore etiam nonnullis quos vel oraculum Delphicum vel civitates suae quamlibet ob causam, velut coloniarum οἰκτιστάσ, in eum honorem adscivissent. Itaque si iam rogatur quid homines induxerit ut eos mortales quorum animas heroico cultu dignarentur ingentia facinora perpetrasse crederent, imprimis quam rationem secutae sint nobiles gentes in generum auctoribus sibi eligendis, nihil hic requiri censet Rohde quod non partim alicui verae memoriae, partim poëtarum ingenio debeatur. Verum ea ipsa quae de singulis heroïbus narrentur sive qui epicis carminibus laudati sint sive qui minus, eorum res gestas, casus, dotes corporis vel ingenii, proprietates, origines, complurium etiam ipsa nomina ut Admetus, Adrastus, Augias, Iasus, Iatrus, alia, naturam quandam prodere divinam, ita ut appareat tantum non omnes heroës, si discedas ab his quos vel oraculum Delphicum vel suae civitates ei numero addiderint, ab initio inter numina habita esse, èt alii vv. dd. et imprimis Usener v. cl. (Götternamen, der Stoff des Gr. Ep.) luculentissime demonstraverunt, quorum sententiam amplexi in superioribus de Aiace, Achille, aliis ita censuimus, eaque ipsa quae huc de Atridis Helenaque attulimus rem confirmant. O. Berthold v. d. (die Unverwundbarkeit in Sage u. Aberglaube der Gr. p. 1) quasi ea quae hic disseruimus iam diu refutata et obsoleta sint haec iactat „zu den Zeiten als man überall herabgesunkene Götter sah". Sed aliud est magnifice loqui aliud tua dicta probare. Nihil ex iis quae Usener, Ed. Meyer, vLeeuwen (cf. opus cui titulus „Boogschutter en Weefster", Leiden Sythoff 1904), Schwartz, Roscher permulti alii viri docti in hanc sententiam quam spernit Berthold argumentati sunt is redarguit, neque quisquam redarguere poterit. Ad divinam Aiacis naturam demonstrandam Vuerthemium in primis eius ἀτρωσίαν attulisse ait Berthold, quam ad illam demonstrandam nullius momenti esse sibi ostendisse videtur. Hoc mitto. Sed praeter ἀτρωσίαν satis multa alia attulit Vuertheim quibus sententiam suam probavit. Cum autem etiam vWilamowitz-Moellendorf v. cl. (Herakles² I p. 35) non sine contemtu dicat „wenn es denn wahr ist" — quod negat v. cl. — „was so viele als ein Axiom betrachten, das die heroën denaturirte Götter seien" ipse parum veri similiter Herculem vocat (p. 40): „ein paradigmatisches Wesen bestimmt das sittliche Ideal der Zeit zu verkörpern", quasi credibile sit antiquissimis temporibus „ehe die Einwandrer (i. e. Dorum gens) die alt Hellenischen landstrichen betraten" (p. 44) homines sibi effinxisse imaginem perfecte morati viri qui post cetera facta ingentia Orcum vicisset — „den Tod sucht es sich selber auf in seiner Höhle" (p. 56) — viamque in coelum — „nach dem Göttergarten" (l.l.) sibi munivisset.

vestigia cernimus. Nam δ 54 legimus ἀλλ' ὅτε δὴ τάχ' ἔμελλε (Ἀγαμέμνων) Μαλειάων ὄρος αἰπὺ ἵξεσθαι, τότε δή μιν ἀναρπάξασα θύελλα πόντον ἐπ' ἰχθυόεντ' ἔφερεν. Itaque usque ad promontorium Maleas rex a cursu non deflexit. Mycenasne iter faciens? Imo Lacedaemonem vel Amyclas [1]). Atque eodem tendit quod septem illae urbes quas in Iliade idem Achilli se daturum pollicetur, omnes sitae erant (I. 149 sqq.) ἐγγὺς ἁλὸς νεάται Πύλου ἠμαθόεντος i. e. in confiniis Laconicae. Iamvero quod antequam in Odyssea nusquam invenimus Menelaum Spartae regnantem, consentaneum erat, si quidem frater ibi regnasse crederetur, ipsum donec is a poëtis Mycenas transportaretur, regno proximum, non ipsum regem habitum esse, quin etiam postea aliquamdiu perseveratum esse in opinione Agamemnonem quamvis Mycenis resideret, terram Laconicam quoque sub dicione tenuisse sua. Causa autem transportandi haec fuisse videtur quod, sicubi Helenae raptus coniungebatur cum bello Troiano, vix aliter potuit quin huic praefuisse fingeretur illius patriae rex. Nam facillime fiebat, cum praesertim plures etiam Peloponnesiorum heroës, Nestor, Ulixes, Diomedes ad id bellum arcesserentur, ut summus dux crederetur omnium regum Graecorum potentissimus; inde autem sponte sequebatur ut pro Lacedaemone vel Amyclis, urbs Mycenae pristina gloria illustris unice digna haberetur ubi eius collocaretur sedes.

Ut Agamemnonis ac Menelai, sic Nestoris quoque originem Cauer Thessaliae adscribendam putat [2]), idque in primis propterea quod in Odyssea (λ 235—256) Neleus Pyli rex, qui in Iliade Nestoris pater est, natus esse legitur simul cum fratre Pelio Iolci rege, parentibus Tyro, Crethei Aeoli filii uxore, et Neptuno eam specie Enipei fluminis, quam illa amaret, amplexo, quae

---

1) Suspicio in promptu est necem Agamemnoni ab uxore paratam multo ante narratam fuisse quam rex ipse dux proponeretur belle Troiani, idque si ita est, auctor loci δ 54 sqq. hausit e carmine quo ab alia expeditione quaequae fuit, revertisse narraretur, et hoc quoque quod die Agamemnonidis Tarenti sacro (vide ann. 4 ad p. 31) mulieres a sacris prohibitas esse legimus, antiquissimam habet originem. Quid si censeas aliam nos hic habere formam eiusdem fabulae qua Helenae raptus ageretur? Ut in Odyssea Agamemnonis, sic in Cypriis Menelai absentis uxorem adulter domum suam absportat; ut Helenam maritus cum leviro reducit, sic Clytaemnestram filius cum amico ulciscitur. Similitudo maior fere est quam ut deneges communem originem.

2) l.l. p. 233 sqq.

cuncta nomina Thessaliam spectant. Addit v. cl. quod passim Nestor apud Homerum audit *γερήνιοσ ἱππότα*, vocis *ἱππότα* formam deberi dialecto Aeolicae, *γερήνιοσ* autem fortasse cohaerere cum nomine urbis Gerenis in insula Lesbo sitae. Sed Neleum Pyli regem, id quod ostendit Ed. Meyer [1]), initio alio nomine Orcum fuisse inde apparet quod cum E 395 Hercules dicatur Orcum vulnerasse *ἐν Πύλῳ ἐν νεκύεσσι*, i. e. in inferorum introitu (cf. λ 276 *εἰσ 'Αϝίδαο πυλάρταο κρατεροῖο*), alio Iliadis loco (Λ 639 sqq.) idem Hercules narratur oppugnasse Neleum Pyli regem, inque tabula votiva Munychiae reperta exhibetur raptus Basilae cuiusdam, quae una cum Neleo sacellum Athenis habebat, et ceteroquin ignota ipsa ea tabula eadem fuisse ostenditur atque Proserpina [2]). Ex his efficitur ut inferorum tyrannus cum in hominem converteretur rex Pyli fuisse creditus sit, cumque non tantum apud Homerum ea urbs in Peloponneso collocetur, verum in Thessalia eam extare nemini unquam in opinionem venerit, sequitur ut non in hac regione sed in illa Neleus prius rex mortalis habitus sit, et ab auctore loci λ 235—256 vel quisquis eius fons fuit, matre, privignis, avo, fratre Thessalicis sit auctus aut, quod verisimilius est, qua de causa enim illud fieri potuerit nemo videt, ab initio duo fuerint Nelei, alter Peloponnesius, alter Thessalicus quos in unum coniunxerit auctor loci λ 235 sqq. vel eius fons. Revera autem ostendit Usener [3]) flumini caelesti („dem Götterstrom") ab initio fuisse nomen Neleo, quem tamen vir doctus nulla ratione habita alterius Nelei pro solo habuit [4]). Ex hoc in mortalem conversum Thessalicum illum ortum esse Neleum ostendit pater Neptunus fluminis Thessaliae Enipei specie eum procreans [5]). Sed Nestor a nullo umquam nisi regis Pylii

---

1) Hermes XXX 1895 p. 285 sqq.

2) l.l. p. 286.

3) Göttern. p. 12 sqq., St. des Gr. E. p. 8, Rhein. Mus. 53 Bd. 1898. p. 352 sqq.

4) Sacellum Nelei et Basilae manifesto minus recte Usener ad suum Neleum retulit.

5) Gruppe l.l. p. 153 ann. 1 „Neleus scheint Kurzform eines Kompositums dessen erster Bestandtheil finster, schwarz, bedeutete". Ad hoc probandum affert v. d. Neleum Aegypti flumen ab Hebraeis „schor" i. e. „atrum" dictum Graecis non tantum Νεῖλον sed etiam *τὸν Μέλαν* appellatum esse (Eusthath. O 222) et flumen Neleum in insula Euboea aqua sua ovibus colorem nigrum indidisse ([Arist.] mir. ausc. 170; Strab. X. 1. 14). Itaque Orcus fuerit „deus ater", flumen coeleste „flumen atrum". Ed. Meyer (l.l. p. 285) *νηλεύσ = νηλεήσ* vel *νηλήσ* „inmitis" (*ν-ελεησ*) esse vult. Usener vocem Νηλεύσ

filius est habitus et quamquam latet qui factum sit ut huic Neleo filius Nestor sit additus, nihilo minus sive id alia de causa est factum, sive propterea, id quod minime absonum videtur, quod Pyliorum carminibus Nestor celebraretur iam antequam Neleus Pyli rex fictus esset, nulla saltem causa est cur credamus Nestorem iam antequam Pyli collocaretur inter heroës fuisse Thessalorum. De vocibus enim ἱππότα et γερήνιοσ quae attulit Cauer nullius pretii sunt. Nam vocem ἱππότα, quam nominativi formam sermo Aeolicus servavit, nihil vetat credere antiquo tempore etiam Ionibus in usu fuisse, nomen γερήνιοσ autem quod cohaerere suspicatur Cauer cum urbe Lesbia Gerene, Strabo [1]) et Pausanias [2]) ducunt ab urbe Laconica Gerenide (Gerena, Gerenia), Schol. ad B 336, Hesychius, Apollod. lexicon pro eodem habent atque γέρων. Nestor (A 260 sqq.) narrat se adfuisse proelio Lapitharum et Pherum quod nemo unquam in alia Graeciae regione nisi in Thessalia commissum esse tradidit, sed eo ipso quod senex nihil a se in illo fortius factum commemorat induceris ut credas eam rem nullis antiquis carminibus celebratam esse sed ab Homero inventam. Ab altera parte Nestorem Pyliorum carminibus iam ante Homeri aetatem celebratum esse apparet ex Homero ipso. Nisi credimus proelia Pyliorum cum Arcadibus cumque Epeis quae commemorantur H 132 sqq. Λ 670 sqq. ab horum locorum auctoribus e nihilo conficta esse. Satius erit statuere propterea Nestorem aetate provectum proponi, quod auditoribus ea proelia cognita essent quae cum non apte ad bellum Troianum referri possent — an licebat Arcades et Epeios numerare inter Troianorum socios? — necesse erat rem ita proponere ut ad tempora praeterita pertinerent, et heros qui in eis excelluisset interea senex esset factus. Muelder v. cl. censet [3]) propterea Nestorem a poeta in Iliadem receptum esse ut multa narraret quae modum excederent belli

---

Aeolicae deberi dialecto perhibet cum apud Iones sit Νειλεύσ vel Νειλέωσ. Sed inde quod recentior Ias habuit „Νειλεύσ" non sequitur ut antiquiore tempore non Ionibus quoque nominis forma fuerit Νηλεύσ. Praeterea tenendum est antiquissimo tempore tam Ionibus quam ceteris Graecis et „ē" et pseudodiphthongum „ei" signo ε indicatam esse.

1) VIII. 4. 4. 2) III. 21. 7.

3) l.l. p. 47 sq.

Troiani. Id non dixerim, potius credam Irae Cantorem idcirco eum induxisse ut partes ei tribueret quas in tragoedia recte monet Horatius choro proprias esse „ut consilietur amice, et regat iratos et amet pacare tumentis", quod officium quis potius quam senex praestaret? Sed in expedito erat sive eundem poëtam, sive alios qui eius poëma dilatarent ansam capere id ornandi materie antiquorum quibus de Nestore ageretur carminibus cum regem grandaevum ipsum narrantem facerent ea quae iuvenis fortiter egisset.

Praeter Nestorem, Atridas, Helenam, Paridem, etiam Diomedes unaque cum eo Aeneas pro parte eius in Iliade personae e carminibus Peloponnesiis in bellum Troianum inductus esse videtur. Diomedem Tydei filium iam apud Homerum patre Aetolo non Peloponnesio natum esse legimus (Δ 399, Ξ 115 sqq.); Tydeum cum auriga Capaneo perisse in bello contra Thebanos, eorum filios Diomedem et Sthenelum Thebas cepisse (Δ 497 Z 222 sqq. Ξ 114), quapropter recentiores omnes tradiderunt duplex bellum Thebanum. Tamen aliter res se habuit in fontibus antiquissimis. Nam uno loco quidem Iliadis (Ξ 120) Tydeo legimus nupsisse Adrasti regis Argivorum filiam, sed alio loco (E 414) eam duxisse Diomedem. Alterum qui primus tradidit manifesto alterum aut ignoravit aut negavit. Quid autem? Nemo unquam aut Adrastum a primo bello Troiano seiunxit aut Diomedem in eo bello perisse perhibuit. Is igitur qui primus hunc illius generum finxit fieri non potest quin unum modo bellum Thebanum sibi proposuerit. Idque factum est antequam Tydeus Adrasti gener haberetur. Nam non tantum quod Diomedem nemo unquam negavit in Adrasti habitasse vicinia — sic etiam Catalogus (B 559) quo solo loco in Iliade Diomedis sedes commemoratur — Tydeus contra ut illius filiam duceret, fuga ex Aetolia fingenda erat (Ξ 121), sed inde quod postea nemo dubitavit quin Tydeus fuisset gener quocum Adrastus Thebas oppugnatum isset, sequitur ut nemo unquam idem de Diomede narraturus fuerit nisi iam antea id narrasset. Verumtamen Diomedis res gestae contra Thebanos a nullo usquam commemorantur, sed ita in Iliade agitur, quasi nullae fuerint. Nam cum duobus Iliadis locis ei obiciatur ignavia in proelio contra Troianos, fortitudo in bello Thebano opponitur non ipsius sed patris, ab Agamemnone

Δ 372 spq., a Minerva E 800 sqq. Et in Δολωνείᾳ (K 283 sqq.) Minervam precatur heros non ita: „mihi adsis quemadmodum olim contra Thebanos affuisti", sed ita „quemadmodum patri affuisti". Mira haec si per se spectas sed forsitan liceat rem expedire. Tydei narratur legatio ad hostes suscepta, victoria in certamine ludicro, insidiae structae et evictae (Δ 385 sqq. E 802 sqq. K 281 sqq.), nullum facinus aliud. Veri similiter inde concludas nihil aliud Homeri temporibus de eo cognitum fuisse, illa autem argumento fuisse carmini singulari et aut Diomedi ipsi tributa esse antequam Tydeo, aut utrique. Hoc potius, siquidem explicandum erit cur apud Homerum Tydeo tribuantur. Sic igitur rem nobis proponamus: carmen illud ad bellum Thebanum non pertinens a Peloponnesiis ita cantabatur ut is ad quem referretur audiret Diomedes, ab Aetolis ita ut audiret Tydeus. Mox a Peloponnesiis coniunctum est cum bello quopiam inter Argivos et Thebanos quod revera gestum esse non est cur dubitemus. Sic autem Diomedes Adrasti regis Argivorum gener factus est qui cum eo vel eo interfecto Thebas cepisset; post autem extiterunt poëtae qui cum hoc cognoscerent cognitum iam haberent carmen illud quo legatio cetera tribuerentur Tydeo; hi igitur censentes pro Diomede Tydeum esse substituendum hunc Adrasti generum finxerunt et, quo ex Aetolia in Peloponnesum deveniret excogitaverunt fugam, denique sive ab eo qui primus Diomedem socium faceret belli *Troiani* sive ab alio post eum res ita composita est ut duo bella Thebana fingerentur, Diomedis autem et Tydei partes ita distribuerentur ut hic prioris ille alterius socius fieret, huic legationis quaeque cum ea cohaererent laus vindicaretur, ille quippe quem iam pervulgatum esset urbem cepisse Tydei filius diceretur eiusque comitis Stheneli pater Capaneus Tydei comes, patres autem perhiberentur priore bello interisse. Pater Tydeus coniunxit Diomedem cum Aetolorum heroïbus; sic ea genealogia oriri poterat quam refert auctor loci Ξ 114 sqq.; inde quod is neque fugae causam neque Tydei uxoris nomen edit, vides haec ad antiqua Aetolorum carmina non pertinere. Iamvero ad proelia inter Argivos et Thebanos cum praeter Diomedis et Tydei etiam plurium heroum iam ante celebratorum referrentur res gestae et casus, facile intellegitur duobis distinctis bellis prius horum magis idoneum visum

esse quocum haec coniungerentur, imprimis enim belli initia ansam dederunt inserendi heroës iam aliunde notos (cf. Δ 376), atque belli causae si quaererentur necesse erat has coniungere cum bello priore; in alterius igitur usum, cum eosdem non in utrumque bellum recipere liceret, confingebantur mera bellatorum nomina quibus nullae antiquae narrationes quasi adhaererent, tantum eo vinculo haec belli prioris principibus affigebantur ut horum progenies dicerentur, quemadmodum Diomedes et Sthenelus Tydei et Capanei. Itaque ne hoc quidèm mirum, prius bellum semper novis imaginibus auctum et ornatum esse, alterum etiam postea a poëtis esse neglectum, Diomedis etiam fortia facta siqua ex antiquis fontibus praesto essent non ad hoc bellum esse relata sed ad bellum Troianum, quod multis poëtis curae esset.

Inter haec, e fontibus Peloponnesiis hausta, recensenda est Aeneae vulneratio quaeque cum ea cohaerent in libro E. Initio haec inter numina acta esse videntur. Diomedis naturam divinam produnt multa. Ex homine mortali deum immortalem a Minerva factum Pindarus retulit (Nem. 10. 7); in scholiis ad Pindarum (l.l.) legimus Arpis sive Argyrippae, Metaponti, Thuriis divino honore eum cultum; Porphyrius auctor est (de Abstin. 2. 54) Salamine in insula Cypro etiam recentiore tempore homines ei immolatos esse; Strabo tradit (V. p. 214 sqq.) prope flumen Timavum delubrum ei fuisse nobilissimum ibique a Venetis equos albos ei sacrificari solitos; inde autem quod equi ei sacri essent factum esse videtur ut narraretur, id quod in Iliade legimus, Aeneae ademisse equos divina stirpe (E 264 sqq., 319 sqq.), Rheso equos *λευκοτέρουσ χίονοσ, θέειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοίουσ* (K 435 sqq. 476—502), utrumque vero èt hostias humanas èt equos deo Diomedi sacros prodit fabula de Diomede Bistonum rege [1]), quem solitum naufragos equis suis devorandos proicere Hercules simili exitio ultus esse dicebatur. Apud Homerum autem Diomedis divinitas magis etiam quam tantum non omnium qui in Iliade laudantur heroum perlucet. Loricam ei confecit Vulcanus (Θ 195), deos *ἐναργέσ* dispicit (E 127 sqq.), dea utitur

1) Eur. Her. 380 sqq.; Alc. 499 Hellan. fr. h. g. I 58, 98; Apoll. II 96; Strab. VII fr. 22.

aurigae loco (E 837 sqq.), etiam opprimit deos — quod ceteroquin si Achillis cum Scamandro proelium omittis, apud Homerum inauditum est — Martem et Venerem vulnerans (E 330 sqq. 827 sqq.). Suspicionem haec movent nos hic vestigia habere pristinae *θεομαχίασ* [1]). Quamquam enim Veneris et Martis vulnerationes non ita cohaerent ut seiungi non possint, tamen quia in illa quoque Mars aliquas partes agit (E 355 sqq.), et ab Apolline qui idem Aeneam e periculo eripuit (E 344 sqq.) incitatur (E 454 sqq.) ut Diomedi obviam eat, par est cuncta eidem fonti adscribere simul cum Aeneae vulneratione (E 297 sqq.), e qua pendet Diomedis congressus cum Venere, et Pandari interfectione (E 290 sqq.) e qua illa pendet. Convenit quod Aeneae naturam divinam nostro loco prodit cura quam in delubro suo ei intendunt deae Latona et Diana (E 445 sqq.) quodque ipsa mater Venus eum tegit veste sua (E 311 sqq.), Pandarum autem initio deum Lucetium fuisse ostendunt pater Lycaon [2]) (Δ 89 E 101, 169) et patronus Apollo *Λυκηγένησ* [3]) (Δ 101, 119) a

---

1) Legimus Z 12—19 Diomedem interficere Axylum quemdam insignem hospitalitate viae publicae accolam omnes viatores comiter recipientem, eiusque comitem Calesium, quae nomina luculenter demonstravit Usener (der St. d. Gr. E. p. 25 sqq.) initio fuisse inter *ἐπικλήσεισ* Orci. Videntur haec quoque Diomedis divinam naturam prodere sed alia quaestio est sintne referenda ad *θεομαχίαν* nostram. Forsitan satius sit Usenero adstipulari sic iudicanti: „Die Göttersage war zum Märchen geworden, in dem sie aus dem Vorstellungskreis dem sie angehörte los gelöst war, die durchsiehtigen Namen erinnerten den Dichter an nichts andres mehr, als unmittelbar in ihnen selbst ausgesagt wurde". Eodemque modo res se habere videtur de Caletore Apharei patre ab Aenea occiso (N 51).

2) „Schon Lobeck" (Path. Proleg. 280) „hat es ausgesprochen ... der Homerische Pandaros, das alter ego des Lykischen Apollo" (M. Mayer, Mythistorica, Hermes XXVI. 1892. p. 488). Gruppe (l.l. p. 919 sqq) verba *Λυκάων*, *Λύκειοσ*, *λύκαιοσ*, *λυκηγένησ* ad stirpem *λυκο* refert neque unquam aliam vim habuisse censet, nisi quae pertineret ad daemones qui luporum specie vagari crederentur (cf. etiam Ed. Meyer, Forschungen I p. 60 sqq.). Negari non licet extitisse apud Graecos ritus sacros et fabulas inde ortas, quibus appareret saepius numinibus luporum speciem esse tributam. Sed id ipsum debebatur confusioni stirpium *λυκ* et *λυκο*. Nam ipsa fama quae ferebatur (Paus. VIII 38. 6) in *ἀβάτῳ* Iovis Lycaei nulla de re umbram cadere potuisse, documento est vocem *λύκαιοσ* initio ad stirpem *λυκ* relatam esse quam stirpem ostendunt verba *ἀμφιλύκη*, *λυκάβασ*, *λευκόσ*, *λεύσσειν* alia. Accedit quod vox *λυκηγένησ* nonnisi contorte explicari potest „lupo vel lupa natus". An affert quisquam narratiunculam qualis extat in Schol. Δ 101 (A B D) Latonam a lupo ductam esse ad locum ubi geminos ederet?

3) Vide ann. super.

quo arcum accepisse ab Homero dicitur [1]). Iam vero *θεομαχία* nostra non aliter atque Diomedis partes in bello Thebano haud dubie debetur fontibus Peloponnesiis. In Thessalia Aeneam inter heroës Achilli hostiles esse habitum supra vidimus [2]), cultumque eius in Thessaliae vicinia fortasse spectat quoque nomen gentis Aenianum, quod Duemmler v. d. ab ipsius nomine separari non posse censuit [3]). Urbes Aenus in ora Thraciae [4]), Aenea cum promontorio Aeneo in sinu Thermaïco [5]), utrum cum eius nomine cohaereant an propter nominum similitudinem cum eo coniunctae sint, non diiudico neque ad propositum nostrum attinet. Sed in Peloponneso quoque cultus est. Nam Arcadiae oppida Aphrodisiadem, Etidem, Caphyas sive Capyas condidisse ferebatur [6]), inque urbis Sicyonis nummis eius imago prodit. In eadem urbe nomen eius patris comparet nam apud Homerum de Anchise quodam Echepoli patre, Sicyonio, fit mentio (Ψ 299). Anchisae praeterea antiqua vestigia non reperiuntur nisi in Peloponneso mons Anchisa prope Orchomenum, Arcadiae urbem, ubi is diem supremum obisse ferebatur, ibidemque *Ἀγχίσου μνῆμα* [7]). Accedit quod Anchisae pater Capys [8]) manifesto nomen suum debet oppido

1) Idem de Teucro refertur O 441, sed aliis verbis; de Pandaro dicitur „*αὐτὸσ ἔδωκε* (*Ἀπόλλων*)", de Teucro „*'πόρε*" ubi arcum pro arte sagittandi stare puto. Ut Strophium Diana docuit *βάλλεμεν ἄγρια πάντα* (E 51), Phereclum *ὃσ χέρσιν ἐπίστατο δαίδαλα πολλά* (E 60) eo ipso apparuit „insigniter amare" Minervam (E 61). De Teucro vide supra p. 26 sq. — Etiam Hectori galeam *'πόρε Φοῖβοσ Ἀπόλλων* (Λ 353). Hectorem antiquam *ἐπίκλησιν* Apollinis censuit Gruppe, de qua re supra egimus (p. 32).

2) Mnem. 1912 296.

3) In excursu ad opus Studniczkae v. d. cui titulus „Kyrene" p. 195.

4) Steph. Byz. tres eodem nomine urbes appellat in Thracia Thessalia Locride sitas. Aenum a Thracibus habitatam legimus Δ 520.

5) Hell. fr. h. g. Car. M, III. 69. Liv. XI. 4. 9.

6) Paus. VIII. 12. 8 Strab. XIII. 1 p. 608.

7) Pausan. l.l.

8) Υ 239. — Gruppe l.l. p. 196 „Wie in Zakynthos, Samothrake und Troas also an den verschiedensten Stellen des Boeotisch-Euboeischen Kultgebietes stehen auch in Troia Aineias und Anchises neben Dardanos" et p. 229 „der überall zu Dardanos gehörige Aeneias." Haec dicta vir doctissimus disputationis suae contextu significat ita accipienda esse, non a poetis epicis sed ante eorum aetatem cultu communi Dardanum et Aeneam coniunctos fuisse. Huius vero rei nullum documentum certum extare puto, verisimilius contra arbitror — id quod in superioribus indicavi — Aeneam propterea regem Dardanorum, ideoque regis Dardani prolem, factum esse quod eius hostis Achilles cum Dardanis bellasse crederetur. Pausanias (VIII. 24. 3) auctor est insulam

Caphyis vel Capyis quod supra memoravi. In Peloponneso igitur factum esse videtur ut Aeneae iam a deo in hominem converso adderetur pater atque avus, et carminibus Peloponnesiis in litore Asiae pervulgatis haec pars Aeneae stemmatis deberi videtur. Atque cum deum quoque Neptunum in nulla Graeciae regione ante quam in Arcadia cultum esse vv. dd. fere consentiant, in superioribus suspicati sumus [1]) auxilium Aeneae ab eo latum in certamine adversus Achillem transsumtum esse e mytho aliquo

---

Zacynthum nomen accepisse a Zacyntho Dardani filio qui eo advenisset cum navibus, arcem autem Zacynthiam ab hoc Psophidem appellatam esse ab Arcadiae urbe Psophide unde profectus esset. Tum Dion. Hal. (I. 50, 126) Aeneam narrat cum profugis Troianis a Zacynthiis propter consanguineitatem benigne receptum, aedem dedicasse Veneri et stadium condidisse quod etiam apud posteros ipsius et matris nomen servasset eorumque signis esset ornatum. Heroem ἐπώνυμον quem in promptu erat arcis conditorem esse propterea pro filio Dardani habitum esse quod in eius patria Psophide coleretur heros Dardanus recte monuit Vuertheim v. d. (l. l. p. 19). Aeneas autem procul dubio propterea narrabatur in insulam delatus esse quod ibi aedes Veneris erat, et sic fiebat ut stadium quod ibi exstaret ab eius quoque nomine appellaretur; hic nihil est cur antiquum vinculum inter eum et Dardanum statuamus. In insula Samothrace mysteria agebantur quibus Dardanus eiusque frater Iasion inter Cabiros coleretur. In his mysteriis etiam Aeneae aliquas partes tributas esse ait Interpol. Serv. ad Vergilii Aen. III. 287. Sed hic nuntius èt satis obscurus est èt nullo modo constat rem ita se habuisse antequam poëtae epici Aeneae originem duxissent a Dardano. Pheneum unde Dardanus Samothracen fugisset, Vergilius narrat (VIII. 160) Anchisen et Aeneam convenisse Euandri patrem Pallantem qui ibi imperaret. Sed ne hic quidem locus ullius momenti est ad Gruppii sententiam confirmandam; nam cum ex Aeneae stemmate Vergilius sciret Dardanum auctorem esse generis Anchisae et Aeneae, aliunde autem cognitum haberet Dardanum Phenei habitasse, nihil mirum erat eum sumere amicitiam et hospitium intercessisse Arcadibus cum Anchisa. Alia non affert Gruppe nisi ipsum Aeneae stemma sed manifesto hoc nihil ad rem. Heroëm eponymum Dardanorum initio in numero deorum fuisse demonstraverunt Gruppe (l.l.) Vuertheim (l.l. p. 99) alii. Ed. Meyer (Gesch. des Alt. II p. 318) „Irrthümlich ist die Meinung welche in den Eponymen verblasste Göttergestallten sucht wie in den ächten Heroën". De multis heroïbus eponymis recte sic iudicatur, non de omnibus. Usener (Götternamen p. 359) iure suo contendit complures gentes se appellasse a deorum suorum nominibus. „Hier liegt" inquit „der Ursprung aller derjenigen Namen von Völkern und Volksstammen, die von diesen selbst geschaffen und ihnen nicht von den Nachbarn beigelegt geworden sind", quod crebris exemplis demonstravit. (His Aeneani videntur annumerandi esse vide supra p. 39). Nihil igitur vetat credere hanc esse etiam Dardanorum causam sive deum Dardanum transsumserunt Dardani a Graecis quorum fines intrassent, sive hi ab iis. Tum cum a poëtis Epicis Dardanorum populus celebrari coeptus est usuvenit ut ad eorum ἐπώνυμον referrentur quaecunque narrarentur de deo Dardano in mortalem converso, quae ipsa coniunctio ansam dabat multa nova excogitandi.

1) Mnem. 1912 298.

Peloponnesio [1]). Ab altera autem parte Diomedem Peloponnesiis notissimum fuisse vidimus, et quoniam nulla alia quantum scimus fuit Graeciae regio nisi Peloponnesus in qua eadem is simul et Aeneas coleretur, sponte adducimur ut sumamus etiam certamen eorum et omnino *θεομαχίαν* quam cum eo coniunctam invenimus, Peloponnesiis actam esse carminibus.

Postremo de Ulixe perpauca his addere satis est. Nam inter res gestas quae de eo in Iliade narrantur nihil inveniri quod ullo iure perhibeatur pertractatum esse carminibus Peloponnesiis, in sequentibus apparebit. Tamen Ulixis personam si minus ex his solis, praecipue tamen ex his receptam esse in carmina in Asiae litore condita pertinentia ad bellum Troianum vel quae ipsa ad bellum Troianum non pertinerent sed quorum materie Iliadis auctores abusi sint, non obscurum videtur. Et aliis locis, ut in insula Creta, in Thesprotia, in Attica, ut has solas regiones afferam, et in Peloponneso Ulixem inter numina cultum fuisse complures viri docti censuerunt, nemo luculentius demonstravit quam vLeeuwen [2]). Atqui eum in Iliade coniunctissimum videmus et cum Atridis et cum Diomede quos e fontibus Peloponnesiis arcessitos esse ostendimus, cur de ipso idem statuendum arbitramur.

Iones, qui abinde fluminis Hermi ostio usque ad sinum Iassicum incolerent litus Asiae insulasque vicinas, eo profectos esse partim ex aliis regionibus, imprimis ex Attica, pro parte tamen minime exigua e Peloponneso èt antiqui significaverunt [3]), èt

---

1) Ter Aeneae contigit ut deorum aliquis eum e vitae periculo eriperet, Apollo oppressum a Diomede (E 344 sqq.), matre frusta succurrente (E 312 sqq.), Iuppiter (Υ 92) cum primum, Neptunus (Υ 290 sqq.) cum iterum Achilles ei immineret. Fortasse ex eodem mytho haec derivata sunt.

2) Vide „de Boogschutter en de Weefster" p. 66 sqq.

3) Mimnermum Colophonium Strabo XIV. 1. 3. 4) cecinisse testatur „*ἡμεῖσ*" (i. e. poëtae maiores) „*δ' ἀπὸ Πύλον Νηλήιον ἄστυ λιπόντεσ, ἱμερτὴν Ἀσίην νηυσὶν ἀφικόμεθα, ἐσ δ' ἄρα τὴν Κολοφῶνα βίην ὑπέροπλον ἔχοντεσ ἑζόμεθα*"; Pythagoram Samium generis originem duxisse ex urbe Phliunte, Pausanias (II. 13. 2), Diog. Laest. (VIII. 1) auctores sunt; praeterea Pausanias testatur (VII. 43) Samum a profugis Epidauriis esse occupatam; idemque „*τῶν Κλαζομενίων*" inquit (VII. 3. 5) *τὸ πολὺ οὐκ Ἴωνεσ, Κλεωναῖοι δὲ ἦσαν καὶ ἐκ Φλιοῦντοσ, ὅσοι Δωριέων ἐσ Πελοπόννησον κατελθόντων ἐξέλιπον τὰσ πόλεισ.* (Quod Ionum nomen eis abnegat P. nihil ad nos, nam quemadmodum Herodotus — cf. I. 147 — sic noster Iones genuinos nonnisi eos habet, qui Athenis profecti sint.); Herodotus refert (I. 146) inter Iones Asiaticos mixtos fuisse Arcades.

hoc ipsum comprobat, quod regionem Peloponnesiam cui nomen Cynuriae, antiquissimo tempore Iones incoluisse Herodotus auctor est [1]), tum quod Theseus, quem nemo negabit inter principes Ionum heroës esse, Sicyone ex urbe Peloponnesia oriundus esse ferebatur. Ab altera parte Aeoles Asiaticos non e Peloponneso oriundos fuisse sed e Thessalia et Boeotia, idque eorum docere sermonem, nemo nescit [2]). Ex his sequitur ut sicubi materiem carminum Peloponnesiorum, qualis est Helenae raptus et Diomedis *ἀριστεία*, receptam videmus in fabulam Troianam, quam in Asiae litore ortam et Achillis, aliorum heroum Thessalorum rebus gestis auctam in superioribus ostendimus [3]), statuendum sit in ea litoris Asiatici regione id factum esse, in qua habitarent Iones. Et consentaneum credo hoc erat, eam fabulam illo incremento novum decus consecutam, ita ut iam iure dici posset *Αἰολεῦσι πᾶσι μέλουσα*, etiam Ionibus finitimis egregie placuisse, eorumque cantores incitasse ut ipsi pro parte virili operam darent ad suos quoque heroës in eam inducendos eiusque laudis partem

---

1) VIII. 73. Praeterea Herodotus (VII. 94) ante Achaeos Iones Peloponnesios inquit in eorum agro habitasse ab iis depulsos de qua re tamen iure dubitatur (cf. Ed. Meyer Gesch. des Alt. II p. 238 sqq. vWilamowitz-Moellendorf v. cl. „über die Ionische Wanderung"). Universe de Ionibus vide imprimis Kretschmer „Glotta" I. 9 sqq.

2) Nam quod Penthilidae Lesbii, Cleuadae et Maloïdae Cymaei Mycenarum regem sibi generis auctorem sumserunt manifesto hoc post Homeri aetatem factum est (vide supra p. 27). Quod autem Drerup v. d. („Homeros" p. 47) monet fieri posse ut Peloponnesiorum manus propter Dorum invasionem extorrium etiam Lesbum et Asiae litus adiacens petiverint, eiusque rei aliquam memoriam latere in iis, quae scriptores abinde Hellanico referant de expeditionibus illuc ductas ab Agamemnonis posteris (vide Mnem. 1912 p. 314) non refragor; sed neglegi posse censeo.

3) Fac iam profugos illos Peloponnesios de quibus egi in ann. super. initium fecisse adminiscendi carminum suorum materiem fabulae belli Troiani, id quod vult Ed. Meyer (l.l. p. 235), parum hoc nostra refert cum tamen dubitari nequeat quin in Ionio Asiae litore hoc longius prolatum sit. De una re verbum addendum. In superioribus vidimus (Mnem. 1912 p. 285) Telephum Teuthraniae regem ab Achille victum, idque haustum censuimus e carminibus quibus Thessalorum ab Achille ductae expeditiones celebrarentur, igiturque conditis a poëtis quorum maiores e Thessalia oriundi essent. Iam vero Telephus antequam a poëtis in litus Asiae est transportatus in Arcadia et Argolide colebatur, nam in monte Arcadio Parthenio eius *τέμενοσ*, in monte Artemisio prope Oenoëm Argivorum urbem eius *ἑστία* ostendebatur (Paus. VIII. 54. 4 Apoll. I 8. 6). Res sic videtur explicanda. In Teuthraniae ore iam ante quam expeditio e Thessalia emissa eo advenisset, coloni Peloponnesii consederunt, qui Telephi sui cultum eo transtulerunt, inque certamine Achillis cum Telepho latet memoria hostilium inter priores et alteros colonos exercitorum.

iis conciliandam. Praecipue ab Ionibus Asiaticis et insulanis Diomedem et Ulixem celebratos esse inde apparet, quod in quas regiones hos omnium Graecorum primos navigasse constat, Thraciae oram volo marisque Ionii litora cum insulis adiacentibus, in iis maxime sita sunt loca quibus supra [1]) monuimus Diomedi habitum esse honorem divinum [2]), praeterea in iisdem illis regionibus nonnullae res gestae casusque eius collocabantur: in insula Corcyra draconem occidisse [3]), Methonae aedem condidisse Minervae Ἀνεμωτίδοσ [4]), apud Daunios patria extorrem hospitio acceptum esse [5]), non longe inde in insulis Diomedeis dictis prope montem Garganum eius comites in aves mutatos [6]); Ulixis autem errores et peregrinationes quas Odyssea refert, quatenus in iis enarrandis poëtae cogitabant de certis locis in orbe terrarum sitis, ad easdem rursus illas regiones pertinent [7]), quin, utraque Ulixis patria quam Homerus appellat, Ithaca (Γ 201) et Cephallenia (Δ 329 sqq.) quas manifesto e diversis fontibus haustas Catalogi auctor coniunxit (B 631 sqq.) [8]), eodem spectat.

Iamvero inter Ionum cantores cum insignem locum obtineant Iliadis auctores, quos uno nomine „Homerum" vocare solemus [9]), sponte se nobis offert quaestio, utrum hi primi an iam antequam Ilias incohari coepta est, alii poëtae Ionii in bellum Troianum induxerint heroës carminibus Peloponnesiis celebratos. Praeterea

---

1) Mnem. 1912 p. 11.

2) „die Träger dieses Cultus waren also die Ioniër und zwar bei ihren ältesten Unternehmungen im Westen" Usener der St. des Gr. E p. 8.

3) Paus. IV. 35. 8.

4) Heraclid. exc. 27 Timaeus Fr. 13 cf. Tzetzae Schol. in Lycophr. Al. 615.

5) Ov. Metaph. XIV 457 sqq. Lycophr. Al. 592 sqq. Schol. Pind. Nem. X. 12.

6) Vide ann. sup.

7) Cf. vWilam.-Moellend. Hom. Unters. p. 161 sqq.

8) Alia etiam loca addit partim inconcinna, quod ipsum diversitatem fontium prodit.

9) Qui aliter de ea re iudicant Fick, Robert, Bechtel, Cauer alii, censentes antiquissimas Iliadis partes a poëtis Aeolibus conditas esse, mihi confundere videntur Iliadis fontes et Iliadem ipsam, fabulae Troianae γένεσιν, et γένεσιν Iliadis. Iliadis auctores voco èt Irae cantorem èt ceteros poëtas qui eius poëma augere et dilatare studuerunt, fontium autem Iliadis auctores eos qui antequam Irae cantor suum poëma exorsus esset carmina haec condiderunt, sive belli Troiani ratione habita, sive minus, quibus illi pro fontibus usi sunt.

hoc rogandum est liceatne in Iliade vestigia dispicere carminum quibus, quemadmodum vidimus Aeoles cantavisse etiam res gestas heroum suorum ad alios Asiae incolas nondum ad Troianos pertinentes, ita ab Ionibus heroës nobiles Peloponnesii novis quoque laudibus celebrati sint nulladum belli Troiani ratione habita.

Huius autem generis unum modo carmen ostendi posse videtur, cuius argumentum nobis servavit *Δολωνεία*. Rheso qui apud Homerum rex Thraciae est et filius Eionei urbis Eionis ad Strymonem flumen sitae eponymi, divinus honor habebatur ab accolis montis Pangaei [1]), ubi eius parentes ferebantur esse ipsum flumen et nympha aliqua [2]), in monte Rhodope [3]), circa Byzantium [4]), circa Aenum quae urbs monti Ismaro adiacet [5]). In hominem conversum hunc interfici legimus ab Ulixe et Diomede quos vidimus Iones Asiaticos et insulanos, inter numina habitos, in itineribus sibi praesentes credidisse. Itaque si eorum navigationes èt in alias regiones et in Thraciam ansam dederunt condendi carmina, quibus illi a deis homines facti, fingerentur ipsi expeditionum duces fuisse, ut revera dedisse èt ratio fert èt docet i. a. notum Odysseae *ἐπεισόδιον* (*ι* 39 sqq.) ubi Ulixes narratur delevisse Ismarum Ciconum urbem in Thraciae litore sitam, in quam narrationem vix incidisset Odysseae auctor nisi eiusmodi carmine pro fonte usus esset, dubium esse non potest utrum propterea *Δολωνείας* auctor Rhesum ab Ulixe et Diomede oppressum sibi proposuerit quia illum socium Troianorum esse cognovisset, quem neque unde cognovisset intelligitur neque cur praecipue Diomedem et Ulixen eligeret qui eum interfecissent,

---

1) Eur. Rhes. 971. *Βάκχου προφήτησ ὥστε Παγγαίου πέτραν ᾤκησε σεμνὸσ τοῖσιν εἰδόσι θεόσ.*

2) l.l. vs. 279, 350, 393 sqq. (mater ibi una ex Musis fuisse dicitur, id autem a Graecis non a Thracibus ipsis inventum esse patet). Polyaen. 6. 53.

3) Philostr. heroïc. 681.

4) Suidas s. v. Rhesus.

5) *Αἰνείων πάλμυν* Hipponax Rhesum vocat (fr. 42). — Etiam Cii in urbe Mysiae colebatur simul cum Argantheone ex oreadibus una (Steph. Byz. *Ἀργαντῶν*). Mysi cum sint gens Thracia ex Europa in Asiam traiecta non mirum est deum Rhesum apud eos recurrere — sic quoque Troadis flumen est quod Rhesi nomen referat cf. M 50 — sed *Δολωνείασ* auctor Mysos a Thracibus seiungit (K 430) cumque Rhesi milites Thraces vocet haud dubie de Thraciae incolis cogitat.

an ei praesto fuerit carmen aliquod quo ageretur clades nocturna cum regis principumque caede Thracibus in ipsorum patria illata ab ambobus heroïbus, cuius carminis argumentum propterea retulerit ad bellum Troianum, quod illos inter huius belli principes cognitos haberet [1]).

Non unum vero sed plura extitisse carmina quibus iam ante Homeri aetatem a poëtis Ioniis Helena, Agamemnnon, alii heroës e carminibus Peloponnesiis in bellum Troianum arcessiti sint, nunc conabor demonstrare, eiusmodi enim carminum haec discerni posse argumenta: Helenae raptum, Menelai cum Ulixe legationem frustra susceptam ad eam reposcendam, Agamemnonis consilium aegre irritum factum redeundi in patriam, eiusdem *ἀριστείαν*, *'Αλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν*. *Διομήδουσ ἀριστείαν* antequam Iliadi insereretur ad bellum Troianum relatam esse nullam cur credamus causam video, modo excipias quaecunque pertinent ad Glaucum et Sarpedonem atque Lycios, quos ducunt. Quae ex alio fonte atque res Pandari haustas esse inde apparet quod huius patria quamvis haec quoque Lycia appelletur (E 173) tamen cum profectus esse dicatur ex urbe Zeleia ad Aesepum sita (B 804, Δ 103) prorsus ab illorum distinguenda est, quemadmodum etiam Catalogi auctor ab illis eum separat (cf. B 824 sqq. cum 876 sqq.), ipse de eius patria ne Lyciae quidem nomïne usus. Supra suspicati sumus *Διομήδουσ ἀριστείαν* maximam partem, admixtis nonnullis e carminibus de bellis Thebanis, haustam esse e carmine quo ageretur *θεομαχία* aliqua, quapropter urbem Zeleiam et patriam Lyciam Pandaro adscripsisse videtur is qui illam, reformatam, ad bellum Troianum retulerit. At cur potissimum urbem Zeleiam? Fortasse *διὰ τὸ τὸν 'Απόλλωνα ἐν αὐτῇ εὐσεβεῖσθαι* (schol. Δ 103, AD, Etym. m. 408. 40), nam haud

---

1) vWilam.-Moellend. (Hom. Unt. p. 413) existimans lectores sibi assensuros rogat: „oder hat ein dichter der den Thrakischen heros kannte, also durch die Jonische colonisation der Thrakischen Küste kennen gelernt, auch diesen barbaren in das Heer der Hellenenfeinde eingereiht, die die vereinten Hellenen in Troia bezwungen haben? Und hat dann ein anderer Dichter, der der Dolonie, die sage äusserlich, ohne dass ihm an der apotheose des Rhesos noch etwas lag, als eine episode lediglich um des poëtischen Motives willen verarbeitet?" Cur prior ille poëta Rhesum inter Troianorum socios sibi proposuerit, non apparet; idque si tamen ita est cur duos poëtas distinguit vir clarissimus? cur ille non ipse est *Δολωνείασ* auctor?

dubie Pandarus, id quod supra monuimus [1]) initio alio nomine Apollo ipse fuit. Sed quoquo modo hoc se habet, regionem in qua Zeleia iaceret aut ab incolis aut a finitimis Lyciam esse dictam, negandum videtur cum a nullo unquam scriptore tale quid traditum sit nisi qui a nostro pendeat [2]). Atque nonnisi cunctanter, ut ita dicam, hic agere videtur. Nusquam nominatim Pandari milites Lycios vocat, tantummodo per transennam significat id nomen eis convenire, dum (Δ 197) Agamemnonem inducit iubentem Machaonem appellare curandi causa Menelaum a Pandaro vulneratum *ὅν τισ διστεύσασ ἔβαλεν τόξων ἐὺ Ϝειδὼσ Τρώων ἢ Λυκίων* — quae verba a praecone Talthybio repetuntur vs. 206 sq. — quasi praemoniturus auditores Pandarum in Lycia habitare, id quod tamen non commemorat ubi primum eum in scenam inducit et Zeleae residere ait (Δ 103). Obiter tantum ubi Aeneam facit dicentem (E 105) in Lycia neminem arcus usu illum superare et rursus ubi ipsum Pandarum (E 173), Apollinem se e Lycia suscitasse, hanc patriam commemorat. Speciem movet sibi non persuasum esse recte sic dici. Cur igitur tamen? Propterea arbitror quod in fonte aut ipse Pandarus *Λυκηγένησ* audiret, aut saltem, ut apud Homerum est, Apollo *Λυκηγένησ* ei deus patrius esset, eam autem vocem „*λυκηγένησ*" „e luce oriundus" [3]) ita intelligeret quasi esset „e Lycia oriundus".

Nunc autem agam de Helenae raptu. Legimus Z 289 sqq. Paridem in eodem itinere in quo Helenam secum abduxisset, absportavisse mulieres Sidone ex urbe Phoenicum. In Cypriis autem invenimus tertio die Paridem vento secundo et mari tranquillo usum Lacedaemone pervenisse Troiam. Herodotus (II. 117) repugnare hoc dicit Homeri loco. Revera repugnat si sumis Paridem Troiam redeuntem tenuisse portum Sidonium, maiore enim circuitu patriam petivit quam ut tribus diebus iter confecisset; non repugnat si mavis eum antequam Spartam adveniret apud Phoenices fuisse. Sed hoc si de placato Paridis accessu cogitas minime probabile. Nam in reditu credibile erat

---

1) Mnem. 1912 p. 38.
2) Cf. Strab. XII c. 4 p. 568. XIII s. 1 p. 588, 590, 596.
3) Vide Mnem. 1912 p. 38.

eum tempestate ad Phoenices delatum ab iis pecunia sua ancillas emisse Helenae, sed Lacedaemonem petentem absurdum erat famulas mercari quas secum eo adduceret. Contra praedandi causa domo profectus potuit ad oram Phoeniciam appulsus inde et res et homines secum absportasse. Quod ubi sumitur etiam Laconiam hostiliter invasisse censendus est. Atqui quo tibi proponas rem ita se habuisse manifesto necesse est ut fingas Helenam vi raptam.

In Ἀγαμέμνονοσ διαπείρᾳ Nestor apud exercitum contionabundus vindicanda esse ait (B 356) Ἑλένησ ὁρμήματά τε στοναχάσ τε. Haec verba contorte ab Aristarcho esse accepta de laboribus et lamentationibus quarum causa fuerit Helena, unice recte de ipsius accipi scilicet reluctantis cum abduceretur, vix opus est dicere. Itaque vi eam raptam censuit qui Nestorem sic loquentem induxit. Atque hanc famam viguisse priusquam de adulterio cogitaretur consentaneum est. Nam illam rei imaginem cur ex hac extiterit nulla causa dispicitur, hanc extitisse post illam intelligimus. Quo tempore mythus de Helena rapta institui coeptus est, vitam homines infestiorem agebant, magis obnoxia hostibus erant omnia. Tunc non dubitabant, quin etiam dea a deis vi abripi potuisset, deinde vero cum civitates opulentiores extitissent, non hoc quidem mirum videbatur, potuisse praedones depopulari agros et inde pecora hominesque secum auferre, illud vix ac ne vix quidem credibile iam erat, reginam ipsam regiam habitantem domum arce et custodibus munitam, nolentem avectam esse, tunc hostilis incursio quae ante fuerat, facta est peregrinatio pacata, pro vi et armis substituebantur Veneris illecebrae. Odio adulterii Iovis filiae imputati poëtam vel poëtas qui Iliadem condiderint liberare, idque in interpolatorum genus conferre studuit vLeeuwen. Qui festive et eleganter de ea re disseruit [1]), sed vereor an non satis vere. Nam fac recte vidisse virum clarissimum omnes Homeri locos ubi Helena se ipsa perstringens culpam suam prodat, insitivos esse, alii tamen inmoti manent ubi a poëta significatur volens Paridem secuta esse. Ubi eam hortetur Hector ut virum ad pugnandum impellat (Z 363), isque ipse dicat (vs. 377) uxorem se

1) Mnemos. 1906 p. 211 sqq. 1910 p. 355 sqq.

blandis verbis ad arma vocasse, ecquis censet praedonem qui mulierem invitam retineat ab hac monitum esse ut propinquos et amicos qui ipsam liberaturi advenissent, arceret? Atque *Διομήδουσ ἀριστείασ* auctor Helenam a Paride Veneris ope pellectam esse censuit, deae enim sic Diomedes increpat (E 530) *οὐ Ϝάλισ ὅτι γυναῖκασ ἀναλκίδασ ἠπεροπέυεισ;* Quo tendit etiam Minervae iocus (E 422 sqq.) *ἦ μάλα δή τινα Κυπρὶσ Ἀχαιιάδων ἀνιεῖσα Τρωσὶν ἅμ' ἕπεσθαι τοὺσ νῦν ἔκπαγλ' ἐΦίλησε κ.τ.λ.* Tum Priamus ubi in *Τειχοσκοπίᾳ* nurum his verbis alloquitur (Γ 164) *οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσι, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσι,* si Helena sine culpa fuisset ea verba omisisset, utpote supervacua, sed qui excusaturus est delicta sua vel aliena, in fatum aut in numen deorum ea confert, ut in Iovem Achilles (T 272) Agamemnonis superbiam, Glauci stultitiam poëta (Z 334) [1]). Itaque socero respondens Helena (Γ 173) *ὡσ ὄΦελεν θάνατός μοι ἀδεῖν κακὸσ ὅππoτε δεῦρο υἱεῖ σοι ἑπόμην, θάλαμον γνωτούσ τε λιποῦσα,* non est cur denegetur voluntatem relinquendi suos indicavisse. Porro in *Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίᾳ* cum ei Iris (Γ 139 sqq.) suis verbis iniciat desiderium mariti prioris, apparet aliquamdiu Paridem ei suffecisse. Hector autem fratrem increpans *γυναίμανεσ, ἠπερόπευτα* (Γ 39) conviciis utitur — ab eodem alio loco (N 769) repetitis — quae moechum non praedonem designent; neque aliter Diomedes (Λ 385) eum allocutus *παρθενόπιπα;* quo eodem tendit quod frater ei exprobrat (Γ 54) *κίθαριν τά τε δῶρ' ἈΦροδίτησ.* Postremo cum Menelaus Iovem precatus (Γ 351) ut sibi liceat inimicum ulcisci *ὄΦρα τισ ἐρρίγῃσι καὶ ὀψιγόνων ἀνθρώπων ξεινόδοκον κακὰ ῥέξαι ὅ κεν Φιλότητα παράσχῃ* apparet hospitio eum excepisse Paridem, quod repugnat hostili incursioni [2]). Nihil igitur omnino

1) Is qui (Γ 401 sqq.) feminam cum dea rixantem et ab hac coactam amatori morem gerere narravit, quid aliud significavit nisi hoc, mulierem, quamvis rei puderet, tamen victam lubidine precibus amatoriis concessisse? Nam quod ei minatur Venus se odium utrorumque Troianorum et Graecorum contra eam moturam (sic enim obscura verba, nisi vitium latet interpretanda censeo) poëta ut libidinis saevam dominationem designaret, Venerem, nisi sibi obaediretur, iratam proposuit, minus curans ea quae minaretur cum ipsius libidinis natura non cohaerere. — Quod Helena Paridi e certamine cum Menelao redeunti, se eius salutis poenitere dicit, non urguendum censeo. Sic Hector fratri mortem imprecatus (Z 281) mox placate cum eo colloquitur (Z 330 sqq.); homines enim Homeri verbis suis cum suscensent non temperant.

2) Placatam commorationem etiam spectare videtur vs. Γ 48 „*μιχθεὶσ ἀλλοδάποισι κ.τ.λ.*". In Cypriis legimus Menelao absente uxorem abductam esse. Poeta credo hoc

iuvamur, cum omnes versus ubi ipsa sibi conviciatur Helena pro emblematis habemus. Neve miremur quod in Odyssea adulteram marito redditam eius domi offendimus honoratam ab eoque dilectam [1]). Nam e pristina fabulae ratione qua sine culpa Helena ei erepta ab eoque repetita esset hunc exitum constitisse par est, cui ne culpa repugnaret facile hanc poetae condonabant origini formaeque divinis. Nos miseri mortales plectimur quidquid peccamus, deis terrarum dominis nulli sunt sui vindices; fraudi, furto, periurio, adulterio, iracundiae iniquae indulgent, beati ob id ipsum praedicandi quod magnificentiae eorum nihil sic detrahitur. Ita iudicat non Plato sed Homerus. Helenae vero causam, quia quamvis deo nata et divina specie praedita tamen in hac terra homo inter homines degebat, ne invidiam haberet ita mitigabant ut culpae ipsam poenitere fingerent.

Revera nullus Iliadis locus est ubi Helenam vi oppressam inveniamus nisi quo Nestor tangit eius aerumnas. Contra multi, qui contrarium doceant quorum auctoritatem locus ille etiamsi quis repugnantiam animadvertat, nequeat evertere, itaque cum ex Homero apparere videretur Paridem redeuntem Lacedaemone Phoeniciam attigisse summo iure contendit Herodotus Cypriorum auctorem Homero obloqui. At manifesto hic non temere oblocutus est, prohibebatur enim magno Homeri nomine; neque per imprudentiam, nam cum ἔμφχσι quadam vento secundo, marique tranquillo tribus diebus iter confectum esse ait. In fontibus suis igitur hoc invenit. Extitit igitur ante Homeri aetatem carmen vel carmina quibus Paridis narraretur navigatio. Quod idem

---

excogitavit ut feminae culpam levaret cum sola blanditiis corruptoris magis obnoxia esset. Et potuit sane rex hospite etiamnunc eius domi commorante iter suscepisse. Sed ex Iliade tale quid non apparet.

1) De ea re Ilias, ut par est, silet. Tamen auctor Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίασ — id quod recte animadvertit Muelder (l.l. p. 29) — apud animum sibi proposuit si Helena reduceretur rem non aliter se habituram. Nam Iridem fingit ita illam alloquentem (vs. 138) τῷ δὲ κε νικήσαντι φίλη κεκλήσε' ἄκοιτισ, Helenamque ipsam nihil aliud expectantem quippe cui (vs. 139 sqq.) ὣσ ϝειποῦσα θεὰ γλυκὺν ἵμερον ἔμβαλε θυμῷ ἀνδρόσ τε προτέροιο καὶ ἄστεοσ ἠδὲ τοκήων. Praeterea vix et Paris et ceteri Troiani leges certaminis accepissent, quibus mulier victori traderetur si metus extaret ne a coniuge irato necaretur vel puniretur servitio.

2) Ex Helenae temporum aequalibus praeter Menelaum idem sensisse fingebant Priamum (Γ 162 sqq.) et Hectorem (Z 360 sqq. Ω 765 sqq.), aliter ceteros affines (Ω 768 sqq) reliquosque vulgo homines (Γ 241, Z 351).

confirmatur verbis Nestoris supra pertractatis. Manifesto enim Διαπείρασ auctor haec aut excogitavit aut derivavit e fonte qui Homeri aetatem superaret. Illud negandum; nam supra vidimus rationem ferre ut antiquissima fabulae imago ea fuerit quam Nestoris verba arguant, atqui mox demonstrabimus Διαπείραν esse inter recentissima Iliadis ἐπεισόδια. Utrum eidem carmini an diversis debeantur Διαπείρασ locus et locus e Cypriis sciri nequit; sed cum in huius fonte Paris traditus fuerit navigasse Troiam, constat nos hic habere carmen in litore Asiae non in Peloponneso conditum, carmina enim Peloponnesia nullam rationem habuisse Troiae. Ut in Διαπείρασ sic in Cypriorum loci fonte Helenam vi raptam esse traditam veri simile est. Paridis commorationem in Phoenicia excogitatam esse ab eo poëta, qui eam Iliadi inseruit parum credibile puto. Hunc eundem esse cui debemus Hectoris colloquium cum Helena atque Paride (Z 132 sqq.) posthac demonstrabo, id autem si ita est illam voluit pertinere ad Paridis reditum Troiam, Helenam enim volentem cum eo abisse; nam in eo colloquio hanc incitasse amatorem ad revertendum in aciem contra Graecos vidimus. Iamvero ipse si excogitasset Paridis adventum apud Phoenices, explicasset qui factum esset ut eo deferretur, puta tempestate actus; at rem tetigit quasi simplicissima esset; videtur ergo e fonte aliquo eam transsumsisse. Neque quidquam prohibet credere hunc fontem eundem esse ac Cypriorum loci de Paridis reditu; id autem si ita est, sequitur ut in eo fonte Paris antequam Lacedaemonem veniret apud Phoenices fuerit, atque praedandi causa domo sit profectus. Potuit igitur hic fons idem esse quem is cognitum habuit, qui Nestorem memorantem finxit Ἑλένησ ὁρμήματά τε στοναχάσ τε. Ad eundem fontem refero locum E 59 ubi Meriones interficere traditur Phereclum Tectonis filium ὃσ καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆασ ἐΐσασ ἀρχεκάκουσ αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσ' ἐγένοντο. Nam *naves* aedificasse Phereclum magis convenit ad expeditionem quam ad iter placatum cui una navis sufficeret. Obque eandem causam huc pertinere videtur locus Γ 442 sqq. ubi Paris amore incensus Helenam alloquitur: οὐ γὰρ πώποτέ μ' ὧδε ἔρωσ φρένασ ἀμφεκάλυψε οὐδ' ὅτε σε πρῶτον Λακεδαίμονοσ ἐξ ἐρατεινῆσ ἔπλεον ἁρπάξασ ἐν ποντοπόροισι νέεσσι, νήσῳ δ' ἐν Κρανάῃ ἐμίγην φιλότητι καὶ εὐνῇ.

Nunc agam de Menelaei et Ulixis legatione frustra suscepta ad Helenam reposcendam. Troianorum contionem quae describitur H 345—419 non hoc consilio fictam esse ab eo qui primus eam excogitaverit ut eum locum obtineret quo nunc in Iliade invenitur oculos ferit, sicubi rogas quid fuerit quod Troianos si tamen Helenam reddere nollent adducere potuerit ut de ea re ultro nuntium mitterent (H 372 sqq.). Manifesto hoc ineptum, eaque res eodem loco manet sive sumis Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν poëtae nostro cognitam fuisse sive minus. Utique satis erat Troianis expectare dum posceretur femina. Atqui Γ 205 sqq. Antenor commemorat Menelai et Ulixis legationem Heleni causa susceptam quae Λ 140 quoque tangitur, eaque legatione, id quod per se liquet, nihil aliud spectatum esse nisi ut Helena reposceretur apparet Λ 124 ubi dicitur Antimachus suasisse ne redderetur, idque ipsum quod minus concinne poëta aliud ipse Antimacho obicit, vs. 124, aliud vs. 139 Agamemnonem eius filiis obicientem facit, quod nempe pater in contione suasisset Menelaum iugulare, facillime sic expedies, utrumque ex eodem carmine quo utrumque traderetur depromptum esse, id quod eo confirmatur quod verbis „in contione" remitteris ad contionem libro H minus apte insertam, ubi de Helena reddenda deliberatur. Haec igitur eodem carmine agebatur atque legatio. Cuius carminis argumentum e loco H 345—419 adhibitis vss. Λ 123 sqq., 139 sqq. sic fere reficere licet. Antequam armis decernitur Menelaus cum Ulixe mittitur Helenam repetitum. Contio advocatur. Antimachus adductus largitione Paridis, civibus suis suadet ne Helenam reddant, ut vero Menelaum obtruncent; legati praesentientes malum imminens vel ab Antenore aliove Troianorum principe moniti ad suos redeunt; Troiani soli deliberare pergunt, agitur ἀγορὴ δεινὴ τετρηχυῖα (H 346); Paris opes quas una cum muliere absportasset redditurum se pollicetur et alia de suis additurum; quominus ipsa cedat praefracte recusat, cumque ei morem gerat pater praeco Idaeus mittitur qui Graecis id renuntiet. Carminis huius auctor non sibi proposuisse videtur Hectorem fratri iratum, nam si Paridis rationi eum obstitisse narrasset, huius rei vestigia vix in Iliade prorsus oblitterata essent. Postremo hoc notandum. Fac in eo carmine quod modo pertractavimus, quo

raptus ageretur, raptorem quemadmodum in carminibus Peloponnesiis Paridem audisse, in nostro vero carmine pro Paride substitutum esse Alexandrum quem iam e carminibus antiquioribus notum esset Hectoris fratrem esse: sic facile intelligitur, quamquam nihil confirmare licet, quomodo factum sit ut in Iliade nomina alterna usurpentur.

Iam videamus de Agamemnonis consilio domum redeundi aegre repulso. Quo Iliadis loco rex primum suos ad reditum hortatur (B 109 sqq.) simulate loquitur, militum animos tentaturus est. Nolim equidem contendere hanc rationem prorsus repugnare iis quae praecedant. Somnio Iovem significantem Troiam capi iam posse, nihil aliud declarasse ex ipsius verbis apparet nisi hoc, neminem ex deis huic incepto restiturum (B 30 sqq.); regi ad arma vocanti militum obsequium non praestiterat, credibile videri poterat eos ad pugnam minime animosos fore, idque sive eius causam habes moram annorum decem quam memorat Agamemnon (B 134,) sive cum Leeuwenio hunc versum eicis [1]); nam èt pestis eos afflixerat èt ex A 490 [2]) sequi videtur ut tempus inter regum rixam et somnium a Iove missum non sine proeliis praeterisset; e' verbis quoque in somno auditis (B 29) *νῦν γάρ κεν ἕλοισ πόλιν εὐρυάγυιαν* Τρώων non absurde efficias per eos dies irritos impetus in moenia factos esse. Itaque dandum est, id quod Muelder acute animadvertit [3]) Agamemnonem militum voluntati diffidentem, apte potestatem iis facere ostendendi quid sentirent, quo sibi copia daretur deinde per amicos ad meliorem mentem eos revocandi. Nihilo minus tenendum est haec, quamvis e narrationis nexu accurate considerato elici possint, néque a poëta ipso ullo verbo tangi néque eiusmodi esse ut sponte auditorum animis occurrant; sufficere videntur ut neges consilium temptandi absonum esse, non sufficere ut intelligas poëtam èt nulla alia re nisi his inductum excogitasse consilium èt nihil ex his commemorasse. Atque eadem est causa eorum quae Agamemnonis orationem fictam sequuntur. Nam sicubi narravit poëta milites regis verbis deceptas ad naves

---

1) Mnem. 1906 p. 204, 1910 p. 372.
2) *οὔτε ποτ' εἰσ ἀγορὴν 'πωλέσκετο κυδιάνειραν* ('Αχιλλεὺσ) *οὔτε ποτ' εἰσ πόλεμον.*
3) l.l. p. 107 sqq.

contendere, exclamat (157 sqq.): „ibi Argivis reditus contra fatum paratus erat, nisi Minervam allocuta esset Iuno sqq.". Haec non offenderent si dearum intercessioni praemisisset noster irritum sive Ulixis sive alius alicuius ex Atridae sodalibus conatum retinendi milites; sed nonnisi a Minerva incitatus quae eum Iunonis verbis adhortatur, Ulixes obviam it militibus ad naves contendentibus. Unde ille torpor Ulixis ceterorumque principum? An hoc voluit poëta, multitudinis festinatione et tumultu obstupefactos nequisse se colligere antequam Minerva eos huius rei causa perstringeret? [1]) Sed èt rursus mirum videtur nullo modo eam rem significari èt ex ipsius poëtae verbis potius contrarium efficitur. Nam non sic fecit Agamemnonem perorantem (B 72 sqq.): „fugere eos iubebo, vos autem si meis verbis plaudent, castigate eos et refellitė" verum sic: „fugere eos iubebo vos autem eos retinete". Qua in re? In fuga opinor. Non imparati ergo erant, praemonuerat eos rex de eventu quem ipse metuebat ne sua verba haberent. Discrepantiam credo evitasset noster si ipse excogitasset principum inertiam et Iunonis Minervaeque interventum. Cuncta si consideras minus credibile videtur Διαπείρασ auctorem prorsus suum fuisse quam aliena in suum usum convertisse. Quo etiam hoc tendit. Duo Iliadis loci sunt ubi non ficte sed vere Agamemnon meditatur reditum, alter I 17—28 ubi post cladem libro Θ narratam isdem verbis atque in Διαπείρᾳ (B 110—118, 139—141), alter Ξ 714 sqq. ubi in medio proelio adverso apud naves aliis verbis idem significat. Horum locorum auctores igitur Atridae mentem tribuerunt parum constantem, veri similius autem puto èt horum locorum et Διαπείρασ auctores e fonte hausisse in quo eandem regis indolem reperissent, quam casu accidisse ut sive a diversis poëtis sive ab eodem Agamemnon èt mobili *esse* ingenio et *simulari* se esse fingeretur. Accedit quod locus B 278—385 ubi Ulixes

---

1) Hoc eum velle, censuisse videtur C. Rothe v. cl. cum obiter animadvertat (die Ilias als Dichtung p. 176) „Offenbar sind auch die Fürsten von der elementären Gewalt des Volkes mit fortgerissen; keiner tritt der Bewegung entgegen". Muelder (l.l. p. 110) quemadmodum nos ἐπεισοδίῳ nostro antiquum fontem pro fundamento fuisse ratus, in eo regem non fugam suasisse censet, sed profectionem e patria, putat enim unice sic explicari posse quod vulgus festinanter naves adeat easque solvere pergat. Non satis causae video cur talia moliamur.

proponitur contionans minus apte convenit iis quae sequuntur. Nam neque Nestor, neque Agamemnon post Ithacensem verba facientes ulla ex parte rationem habent eius verborum; orditur enim Nestor (vs. 337): ὢ πόποι ἦ δὴ παισὶ ϝεϝοικότεσ ἀγοράεσθε νηπιάχοισ κ.τ.λ. quasi Ulixes quoque puerilia egisset; et Agamemnon (vs. 370 sqq.) Nestorem laudat propter ea quae monuerat, Ulixem tacet. Hoc inde factum reor quod locus quem dico ipsius Διαπείρασ auctoris debeatur ingenio, inque eius fonte Ulixes omnino non contionatus sit [1]). Ab altera parte senex cum negari non possit, cum dicat παισὶ ϝεϝοικότεσ ἀγοράεσθε, non magis milites naves petentes quam Agamemnonem ipsum castigare, et pergens (vs. 344) Ἀτρεΐδη σὺ δ' ἔθ' ὣσ πρὶν ἔχων ἀστεμφέα βουλὴν regem ad meliorem revocare mentem, confirmatur suspicio eius verba esse hausta e fonte qui hunc non ficte sed vere loquentem haberet. Διαπείρασ origo videtur esse recentissima. Nam Agamemnon ut ostendat cur domum redire placeat, affert taedium belli decennalis (B 119—139); atque in Ulixis oratione idem belli spatium tangitur (B 295 sqq.); luculentissime autem vLeeuwen ostendit [2]) ceteroquin ubicunque Iliadem evolvas, exceptis modo locis illis et praeterea M 15 Ω 765 sqq., qui loci item decimum anni bellum referant, oculos ferire testimonia quibus probetur non decimo verum primo belli anno acta voluisse poëmatis auctorem sive auctores, ea quae narrarent. Sed cum vir clarissimus cunctos versus quibus re-

---

1) Similiter iudicandum videtur de eis quae nostro loco praecedunt abinde vs. 211 ubi Thersitae contumacia agitur. Nam hic Agamemnoni ea exprobat (vs. 239 sqq.) quibus appareat poëtam regum rixam cognitam habere quod fonte alienum est. Nam ipse Irae cantor ex eo hausit siquidem recte locum I 17—28 eius poëmati adscribimus id quod posthac demonstrare conabimur. Praeterea recentem originem arguit quod Ulixes (vs. 260) se ipsum „Telemachi patrem" appellat, de qua re conferas vLeeuwen in Mnem. 1906 p. 205 in ann. 1) — Usener (der Stoff des Gr. Ep. p. 42 in ann. 2) iure monet Thersitem sine causa Agamemnonem increpare, potius laudare debuisse quippe qui reditum suasisset. Hanc autem molestiam ita expediri posse puto, si sumimus poëtam cum auditoribus significasset regem ficte loqui, non satis attendisse ita rem a se tractatam esse ut vix Thersites censeri posset hoc cognovisse, recte enim huius verba se habuissent si Agamemnonis mentem perspexisset. — Ceterum Thersitem olim alio nomine fuisse Euryalium, et inimicitiis inter illum et Achillem exercitis initio effictum esse bellum inter hiemem et aestatem; viri foedam speciem derivatam esse e Thargaliorum solemnibus, acute et diserte demonstravit Usener l.l.

2) Mnem. 1906 p. 193 sqq. 1910 p. 372.

pugnantia continetur interpolatori tribuendos censet [1]) nonnihil occurrit quod eius rationi obstet. Mitto vss. M 15 Ω 765 sqq. Sed Ulixes in contione verbo faciens ἧμιν inquit (B 295) εἴνατός ἐστι περιτροπάων ἐνιαυτός, deinde ostentum referens a Iove missum, passeris pullos cum matre ab angue interfectos, numerat (B 312 = 327) ὀκτὼ ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦεν ἣ τέκε τέκνα, denique Calchantis verbis perorat ὣς ἡμεῖς τοσσαῦτ' ἔτεα πτολεμίξομεν αὖθι, τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν. His versibus igitur tempus significatur haurire annos, resectis [2]) non potes quin pullos cum matre quaesitius referas ad urbem cum civibus ab hostibus deletam. Contra, quis nescit tempus „omnium rerum edax" a poëtis vocari. Praeterea quod anguis a Iove deinde in saxum conversus esse dicitur, illo modo nihil habet quo se referat, cogeris igitur rursus eicere quamquam nemo intellegit qua re adductus interpolator id inseruerit. Tempus vero cum praeterita defixa maneant hominum memoria, pulcherrime dicitur lapidescere. Porro Agamemnonis contionantis verba (B 194 sq.): ἐννέα δὲ βεβάασι Διὸς μεγάλου ἐνιαυτοί, καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται, èt si per se spectas apte dicta sunt èt si retinentur multo quam si eiciuntur, rectius se habent sequentia „αἳ δέ που ἡμέτεραι ἄλοχοι καὶ νήπια τέκνα ἥατ' ἐνὶ μεγάροις ποτιδέγμεναι; omnino eiectis illis regis orationi magna vis et quasi πειθανάγκη detrahitur. Nihil igitur sollicitandum videtur [3]) sed concedendum poëtam nostrum, poëtam inquam minime malum, inter recentissimos fuisse Iliadis auctores. Iamvero ea de decennali spatio cum ratio ferat ad eius fontem nihil pertinere, idem eo apparet quod Ulixis orationem ob aliam

---

1) Mnem. 1906 p. 203 sqq.

2) Damnat vLeeuwen B 294*b* (abinde ὀρινομένη) 295*b* (verba ἔνθαδε μιμνόντεσσι), 313, 319, 325, 327, 328*b* (abinde τοσσαῦτα) et substituit (vs. 329*a*) pro τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν vocem Τροίην.

3) Nam quod attulit vLeeuwen (Mnem. 1910 p. 372) verba ἔνθαδ' ἔτι στείχοντες (B 287) mire dicta esse si ἔτι valeat „decimo anno abhinc" non opus videtur id ita accipere. Nonne recte ea verba sic vertuntur: „cum etiam in itinere essent" „(toen zij nog op weg waren")? Tum verba χθιζά τε καὶ πρωΐζα ita interpretatur v. cl. „his ipsis diebus". At etiam licebit sic: tempore praeterito. Postremo iure monet vL. vaticinium Calchantis quo expugnatio Troiae promitteretur decimo anno minime idoneum fuisse quo militibus animus accederet. Sed non grave puto poëtam id fugisse qui Ulixem decimo belli anno id memorantem fingeret.

causam iam illi denegandam esse ostendimus, Agamemnonis autem verba huc spectantia (B 134, 135), cum intercedant inter ea quae recurrunt I 17—28 ubi serio loquitur rex reditum suadens, quoniam ibi desunt, in communi fonte defuisse facile credis. Nestor in oratione sua tangit Ἑλένησ ὁρμήματά τε στοναχάσ τε, quae verba arguere supra ostendimus raptus imaginem qua vi avecta Helena fingeretur, antiquo fonte debitam. Sed in Διαπείρασ fonte vix credibile est Helenae raptum esse narratum. Nam ex omnibus quae de eo disseruimus apparet fuisse carmen cuius argumentum ita fere adumbrare liceat: Agamemnon de felici eventu belli desperans contione advocata suos hortatur ut domum redeant. Turpe regis consilium aegre prohibet Iunonis et Minervae interventus. Ulixes dearum monitu milites retinet. Nestor regis animum confirmat, qui deinde mente mutata suos iubet arma parare ut denuo contra hostes contendant. Huius igitur carminis auctor cognitum habuit carmen quo ageretur raptus ita ut Helena invita abducta esse fingeretur et propterea Nestorem sic loquentem fecit atque legimus B 356. Hoc autem carmen ostendimus fieri posse ut idem fuerit quod Cypriorum loco quem Herodotus affert pro fonte fuerit, tum in eodem tradi potuisse Paridis adventum apud Phoenices, moram in insula Cranae, Phereclum navium fabricatorem.

Carmen, quod Διαπείρᾳ pro fonte fuerit, ante Homeri aetatem esse conditum inde apparet quod ipse Irae Cantor inde aliqua deprompserit. Huic enim locum I 17—28 attribuendum esse posthac ostendemus. Si vero rogas quid quisquam inducere potuerit ut conderet carmen quo Agamemnon animum despondentem proponeret, hoc respondendum videtur: in Διαπείρᾳ simulat rex taedium longae belli morae. Sed vidimus fonte hanc causam alienam esse. Verum nihil magis in promptu est quam ut cognita fuerit poëtae et auditoribus clades Graecorum aliqua quemadmodum in Iliade quoque desperatio Agamemnonis quae in libro I narratur, sequitur Κόλον μάχην, quae in libro Θ, castrorum expugnationem. Harum cladium neutra nostro carmini subfuisse potest quippe quarum utraque ab iis inventa sit poëtis qui eas Iliadi inseruerunt, id quod posthac demonstrabimus. Sed sponte hic se offert vulneratio Agamemnonis et Graecorum clades cum hac coniuncta, quam legimus in libro Λ. Hanc

proprio carmine iam ante Homeri aetatem celebratam esse nihil vetat credere, adeoque veri simillimum est, de qua re mox agemus accuratius. Nunc etiam hoc animadversum velim. Ulixes B 192 quemcunque principum offendit retenturus, his utitur verbis οὐ γάρ πω σάφα οἶσθ' οἷος νόος Ἀτρεΐωνος, νῦν μὲν πειρᾶται, τάχα δ' ἴψεται υἷας Ἀχαιῶν. Haec verba vel alia aliqua quae eodem tendant si forte in Διαπείρας fonte lecta fuerint, quod veri simile est cum Ulixe milites retinente in eo videatur careri non posse, in eo carmine simulate Ithacensis egit eo consilio ut stolidis Agamemnonis dictis fidem apud milites detraheret [1]). Fieri igitur potest ut Διαπείρας auctor, cum antiqui carminis argumentum ei placuisset Iliadi inserere, ansam quaerens id impetrandi, propter ipsa illa verba in cogitationem inciderit rem ita convertendi ut fingeret Ulixem vere locutum esse, Agamemnonem simulate, milites animos temptaturum.

Nunc videamus de Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ. Iam antequam cantaretur regum rixa quae poëmati illi quo Achillis Ira agitur quasi pro introitu est, Agamemnonem a poëtis in bellum Troianum inductum esse, si de Διαπείρας fontibus recte iudicavimus perspicuum est. Praeterea in carmine quod nobis eruisse videmur de Menelai atque Ulixis legatione, consentaneum erat etiam Agamemnonis mentionem esse factam quippe cum pateat ambos fratres una in bellum Troianum receptos esse. Sed postquam Ionum cantores sibi persuaserunt Graecorum exercitui contra Troianos profecto praefuisse Agamemnonem, in promtu erat eis succurrere explicandnm esse cur rex non interfuisset proelio quod ex antiquis carminibus cognovissent duce Aiace apud naves suas Graecos cum hostibus suis commisisse, ceterisque pugnis eodem carminum κύκλῳ cantatis. Ad id expediendum nihil magis in promtu erat quam proponere regem vulneratum in priore aliquo proelio. Neque enim potuit ullius momenti esse discrepantia sic orta, quod cum inter illas pugnas ea quoque fuisset quae, Protesilai morte insignis, primo Graecorum adventu commissa esset [2]), priori pugnae locus non daretur. Quid enim? Vulgatissimum est, ubi fabula aliqua antiqua deinceps a multis

1) Si hoc recte animadverti, vs. 194 fonti abiudicandus est.
2) Vide Mnem. 1912 p. 6.

poëtis tractetur, discrepantias non curari. Atque ab altera parte, revera esse conditum ante Homeri aetatem carmen quo traderetur clades aliqua qualis esset regis vulneratio, pro documento est hoc, quod ceteroquin non satis intelligitur, id quod in superioribus monuimus, quae data sit ansa condendi carmen illud quo ageretur regis desperatio, quod Διαπείρᾳ pro fonte fuisse ostendimus. At ipsi vulnerationi, ne minueretur ea regis existimatio, par erat praemittere fortia facta ab eo exhibita; sic eius ἀριστεία est inventa, quam novimus ex Iliadis libro Λ [1]). Huic vero addebantur Ulixes et Diomedes, quorum hic, si recte censuimus [2]) neque eius ἀριστείαν e libro Iliadis E cognitam, neque cladem ab eo Rheso Thracum regi illatam, quam nobis servavit Δολωνείας auctor, ante Homeri aetatem ad bellum Troianum relatam esse, a nostro poëta primo, quantum dispicere licet, eo arcessitus est, quodammodo informatus ad imaginem Aiacis Telamonii [3]); Ulixes autem iam antequam in carmine nostro, in eo carmine cui pro argumento esset legatio missa Helenae reposcendae causa, suas partes egerat, si recte sumitur, id quod nihil prohibet, mentio Antimachi (Λ 158 sqq.), qui largitione Paridis corruptus vetuisset Helenam reddere, iam in nostro carmine facta. Iam vero cum, quo iure quaerebatur Agamemnon cur e pugna apud naves abfuisset, eodem quaereretur cur Ulixes et Diomedes, his quoque vulnus inflictum fingebatur, post res strenue gestas ita tamen ut Atridae primae partes manerent. Etiam Menelaus paulisper in scena ostenditur (Λ 463 sqq.), quem e proelio removendum non curavit noster [4]) — sive ratus rem negligi posse sive de ea non cogitans — poëta recentior pugnae apud naves inseruit (N 581 sqq., O 540 sqq.) [5]).

---

1) Spectari pugnam apud naves Λ 275, 309, 517 supra ostendimus Mnem. 1912 p. 16 ibique in ann. 3.

2) Supra p. 45.

3) Aiax Hectorem evertit scuto lapide percusso (H 268 sqq.), Diomedes galea telo percussa (Λ 349), uterque ei minatur (H 362 sqq., N 810 sqq.), cf. Mnem. 1912 p. 16.

4) Narrat quidem Menelaum duxisse Ulixem e turba dum auriga equos adveheret, non narrat illum ipsum reliquisse aciem.

5) Menelaum in antiquissimis de bello Troiano carminibus ei proelio non interfuisse — quod aliter ne potuit quidem, cum haec carmina ad eum nihil pertinerent — ostendimus Mnem. 1912 p. 6. Achilles cur abfuisset potuerant iam ei poëtae explicandum censuisse qui primi in bellum Troianum eum induxerunt. Sed illi suum carminum

In carminis exitu videtur fuisse fuga Aiacis Telamonii (Λ 544 sqq.). Confirmant autem quodammodo sententiam nostram libro Iliadis Λ antiquum carmen pro fonte fuisse, èt vulnerationis exordium amplum et grave (vs. 218) *ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι κ.τ.λ.* èt casus Antenoris filiorum Agamemnonem petentium, quorum alter eum vulnerat, copiose descriptus [1]; praeterea hoc quod duo sunt libri Λ loci qui duplicem manum prodere videantur, nam Iphidamas Agamemnonem petens (vs. 234 sqq.) *κατὰ ζώνην θώρηκος ἔνερθεν νύξ' ἐπὶ δ' αὐτὸς ἔρεισε βαρείῃ χειρὶ πιθήσας οὐδ' ἔτορε ζωστῆρα παναίολον, ἀλλὰ πολὺ πρὶν ἀργύρῳ ἀντομένη, μόλιβος ὣς ἐτράπετ' αἰχμή,* qua in re utrumque molestum, tum quod lorica percussa non hac sed balteo hastae acumen averti dicitur, cum tamen si lorica balteo subesset, nemo scire posset an illi id deberetur quod huic tribuitur, et illi id deberi multo veri similius esset; tum quod omnino balteus commemoratur, loricato alienus, ad tunicatum pertinens. Quae discrepantia inde orta videtur quod in fonte Agamemnon non loricatus esset, loci autem nostri auctor loricatum fingens tamen retineret rei imaginem quam in fonte invenisset [2]. Similemque discrepantiam offendimus Λ 43 4 sqq. Ulixes ibi vulneratur a Soco ita ut perfossis scuto et lorica (vs. 436), cutis a costis hasta avellatur. Sed vs. 457 Ulixes

---

κύκλον nullo artiore vinculo cum antiquoribus de bello Troiano carminibus colligasse videntur. Accedit quod Achillis mortem tractaverunt (vide supra Mnem. 1912 p. 322 sq.), quae pro causa haberi potuit cur sine eo apud naves pugnatum esset. Quoquomodo hoc se habet Irae demum cantor absentiam explicavit, cum causam fuisse iram fingeret.

1) Mater quoque Theano appellatur. Hanc cum marito suspicati sumus (Mn. 1912 p. 33 sqq) iam in antiquissimis de bello Troiano carminibus memoratam esse. Itaque sic quoque apparet eorum carminum rationem habuisse poëtam nostrum.

2) Reichel Hom. Waff.² p. 93 et Rob. Stud. z. Il. p. 43 verba *θώρηκος ἔνερθε* interpretantur „infra loricam". Sed obstant verba *ἀγκῶνος ἔνερθε* (vs. 252) quae interpretari non licet nisi „in inferiore parte cubiti" nam praecedunt verba *κατὰ χεῖρα μέσην* i. e. „in medio bracchio". Itaque *θώρηκος ἔνερθε* est: „in inferiore parte loricae". Tum *θώρηξ* Reichel nostro loco et E 99, 100, 189, alio nomine scutum esse vult. Sed repugnant ceteri omnes loci sive apud Homeri sive apud reliquos Graecorum auctores ubi vox recurrit. Robert loricam sive scorteam, sive laneam significari putat. Sed apud posteriore aetate Graecos lorica scortea est *σπολάς*, lanea *πίλιον*, apud Homerum neutrius nisi hic vestigium cernitur. Ipse antea arbitratus sum, loricam hic alio nomine esse tunicam (cf. Mnem. 1904 p. 124). Sed praestat a vulgari significatione non discedere.

hastam e cute atque e scuto trahit, nihil de lorica, quae tamen taceri non potuit. Propterea nonnulli vv. dd. versum 436 delendum censent. Sed eiusmodi medicina cum loco Λ 234 sqq. adhiberi nequeat, ne nostro quidem quidquam sollicitandum videtur, sed eodem modo de eo iudicandum atque de illo.

Postremo Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχία nobis consideranda est. Hanc Muelder v. cl. perhibuit [1]) carere omni recta ratione si sumas Helenam volentem Paridem secutam esse, nam in certamen venire Menelaum non tantum ut inimicum ulciscatur, sed etiam ut mulierem recuperet, neque tamen honeste posse adulteram in uxoris locum restituere, interficiendam ei esse aut in posterum habendam servae loco, sed neque hanc esse iustam causam cur certamen singulare tentet, et ab altera parte satis perspicuum esse neque Priamum ceterosque Troianos, neque Helenam ipsam apud Homerum metuere ne ullum periculum vel dedecus reductae a Menelao immineat. Mueldero assentior noluisse poëtam quicquam mali a marito uxori intentum vel sive ab ipsa sive a Troianis reformidatum, at inde non sequi ut illam sine sua culpa raptam voluerit in superioribus ample mihi demonstrasse videor. Ab altera parte dummodo Τειχοσκοπίαν, quippe in qua haud dubie Helena a socero non quod culpae vacua sit, sed propter ineluctabile fatum excusetur (Γ 164 sqq.), ipsa vero se accuset (vs. 172 sqq.), et Hectoris convicia (Γ 39 sqq.) fratri exprobrantis Veneris dona quibus alienam uxorem pellexisset, denique Menelai verba Iovem precantis (Γ 352 sqq.) „ὄφρα τισ ἐρρίγησι καὶ ὀψιγόνων ἀνθρώπων ξεινοδόκον κακὰ ῥέξαι", Μονομαχίασ fonti abiudices, nihil obstat, quin credas huius carminis auctorem sibi proposuisse illam invitam vi absportatam esse. Sed hoc non sufficit ut sumamus ante Homeri aetatem Μονομαχίαν inventam esse. Nam cum in numero eorum locorum, qui Helenae culpam arguant nullus sit — id quod posthac ostendere conabor — quem adscribere liceat Achilleïdi i. e. poëmati quo Achillis ira agitur, quod pro nucleo habemus Iliadis nostrae, sciri nequit quid Irae cantor de ea re senserit. Itaque Μονομαχία etiamsi omnes Iliadis partes quae Helenam adulteram habeant, aetate superet, inde non sequitur ut nequeat

1) l.l. p. 29.

Achilleïde recentior esse. Verum aliud quoddam est quo prohibeamur credere eam excogitatam esse sive ab Irae cantore sive ab aliquo poëta recentiore. Nam repugnat legationi missae ad Helenam repetendam quam proprio carmine ante Homeri aetatem celebratam esse vidimus, sic autem repugnat, ut hanc post illam non ut illam post hanc excogitatam esse credibile sit. An credimus eum qui summo iure postulasset ut sine certamine sibi redderetur quae fraudulenter erepta esset, contumeliose spretum et de vita periclitatum — Antimachus enim suaserat ut necaretur — deinde cum in eo esset ut in fraudatorem irrueret, potuisse conditiones accipere quibus inimico ultro copiam sui daret — uter enim prior hastam missurus esset sorti permittebatur ipsis certaminis legibus — tum, quod etiam multo gravius erat, quibus adversario si se vinceret securitatem praestaret ab amicis sociisqus suis — id enim stipulatum esse legimus Γ 256 sqq. — et quietam feminae possessionem? Aliud erat si eam non repetiverat, si praedoni potestatem non fecerat tute praedam dimittendi, si statim rem ad arma revocaverat. Tum potuisse eum commune militum periculum in se recepturum honeste accipere leges certaminis singularis ita dare licet si existimandum est carmen quo hoc ageretur eis temporibus conditum esse quibus latrocinium, dumne laederetur hospitium — nihil autem prohibere vidimus hic cogitari de incursione hostili — non pro delicto haberetur et praedae possessione constitueretur quodammodo dominium. Discrepantiam inter Μονομαχίαν et legationem non eam esse puto ut non potuerit utrumque carmen in numero esse carminum eiusdem κύκλου; veri simile habeo, qui carmen quo Μονομαχία traderetur cognitum haberet, fugere eum potuisse legationem ante certamen singulare missam ad hoc non quadrare; illud nego, postquam carmen quo legatio de femina repetenda narraretur esset conditum, quemquam cui hoc cognitum esset — ignotum autem esse non potuit poëtis qui argumenta ad eandem materiem pertinentia tractarent in eadem regione iisdem temporibus viventibus — potuisse incidere in cogitationem fingendi certamen singulare quo de femina deque bonis cum ea raptis decerneretur. Fieri potest ut Μονομαχία iam carminibus Peloponnesiis tractata sit quae belli Troiani rationem non haberent, sed satius videtur Μονομαχίας quam in Iliade legimus fontem

tribuere poëtae Ionio in Asiae litore viventi. Reichel v. d. ostendit vss. Γ 359, 360 aptum sensum non praebere si de Paride loricato cogitetur, legi enim ibi ἄντικρυσ δὲ παραὶ λαπάρην διάμησε χιτῶνα ἔγχοσ, ὃδ' ἐκλίνθη καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν, neque tamen posse qui lorica supra tunicam indutus sit, utraque prope inguen transfixa, ita corpus vertere ut vulnus vitetur [1]). At loricatus proponitur vs. 258 et loricam induisse narratur vs. 332 sqq. Propterea nonnulli viri docti hos versus interpolatori tribuendos censuerunt. At perquam incredibilem puto eum interpolatorum furorem quo inducti ferre non potuerint heroës nisi loricatos. Praeterea alii sunt Iliadis loci ubi lorica ita molesta est ut tamen interpolatos habere non liceat. Ut Λ 234 quem locum modo pertractavimus [2]), ut Δ 132 sqq. (= Υ 414 sqq.) [3]), Ε 189 sqq. [4]). Itaque sic iudicandum censeo tam nostri loci quam eorum locorum auctores cum in fontibus suis invenissent heroës nullis loricis indutos ipsi eos sibi loricatos proponerent, imprudentes utramque imaginem confudisse ideoque conturbasse omnia. E fonte igitur nostro transsumti esse videntur vss. 359 sq. Atqui

---

1) Helbig (das Hom. Ep. aus den Denkm. erl. p. 165 sqq.) loricam quam Homerus velit ea censet fuisse amplitudine ut velut locum mutare in ea queas. Hoc vero, ne absurdum sit, ne prodest quidem praecisa tunica, quippe cum tunica sub lorica ad corpus se applicet necesse sit.

2) Supra p. 59 et in ann. 1.

3) ὅθι ζωστῆροσ ὀχῆεσ χρύσειοι σύνεχον καὶ δίπλοοσ ἤντετο θώρηξ. Hoc si recte se habet loricae partes ita commissae erant ut in longum pectoris ventrisque altera pars alteri superducta esset. Verum quidquid de loricarum fabrica apud Graecos ab antiquis discimus repugnat et res ipsa absurda est. Reichel censet eiecto vs. 136, verbis δίπλοοσ θώρηξ significari coniuncte balteum et mitram, qui usus vocis θώρηξ sine exemplo est. Robert (l.l. p. 43) rursus loricam sive laneam sive scorteam significari censet (vide supra ann. 1 ad p. 59).

4) Ε 112 sanguis narratur emicare διὰ στρέπτοιο χιτῶνοσ, loricae vss. 99, 100 commemoratae nullae mentione facta, quam si Diomedes supra tunicam induisset, per hanc non per eam cerneretur sanguis erumpens, tunicam autem induere supra loricam absurdum erat. Tum vs. 795 heros a Minerva reperitur scuti fasciam alternans et vulneris cruorem abstergens. Hoc facere non potuit indutus lorica aënea. Reichel suspicatur (l.l. p. 145) vss. 99, 100, 189 scutum intelligendum esse, quid autem vs. 282 faciendum sit tacet. Robert (l.l. p. 37) vs. 99, 100, 189 delendos censet et vs. 282 pro θώρηκ' legendum esse ζωστῆρ'. Sed vs. 99, 100 optime inter se et cum superioribus cohaerent, insolitum autem, ne dicam inauditum apud Homerum, ubi quis feriatur aut icatur effectum non commemorari sive vulnus accipitur sive minus. Praeterea parum veri simile est ab interpolatore ζωστῆρ' in θώρηκ' mutatum esse. Quod antea censui voce θώρηξ significari tunicam cf. supra p. 24 in ann. 1.

idem versus recurrunt H 253 sq. neque hi soli sed etiam vs. 358 (= H 252) ubi commemoratur lorica. Itaque aut eius quoque loci auctor in fonte suo invenit eadem verba *ἄντικρυσ δὲ διὰ λαπάρην κ.τ.λ.* aut totum locum qualis in Iliade est alter apud alterum inventum repetivit. Sed hoc minus veri simile puto. Nam non tantum auctorem loci nostri sed etiam auctorem loci H 252 sq. ex antiquo fonte hausisse ostendimus in superioribus [1]), eumque fontem fuisse carmen quo celebraretur certamen Aiacis cum Hectore quo hic ab illo interficeretur. E fonte igitur antiquo uterque hausit. Mirum autem fuit si quis argumentum suae poësis ex antiquo fonte depromens in singulis depingendis fontem suum dimisisset ut repeteret alius poëtae verba argumentum simile tractantis. Itaque non hoc nego aut auctorem loci Γ 358 sqq. aut loci H 252 sqq. auctorem illum versum (Γ 358, H 252) ubi lorica memoretur ab altero transsumsisse, sed hos versus qui sequantur qui ad loricatum non quadrent, a *fontis* auctore aut loci Γ 359 sq. aut loci H 252 ab alterius *fontis* auctore transsumtos esse contendo. Idque si ita est facile dabitur veri similius esse poëtam Ionium eos depromsisse e carmine antiquioris poëtae Aeolici (nam Aeolica carmina ea quoque appellare licet antiquissima carmina quae bellum Troianum celebrarent), quam aut antiquissimi carminis Peloponnesii auctor e carmine Aeolico, aut carminis Aeolici e carmine Peloponnesio.

De temporis ordine quo carmina numero quinque quae nunc pertractavimus edita sint, hoc statui posse videtur. Carmen quod inscribere liceat „Agamemnonis desperatio" pendere vidimus (supra p. 56 sqq.) ex *Ἀγαμέμνονοσ ἀριστείᾳ*, in hac autem tangi Menelai et Ulixi legationem (supra p. 58) quod carmen ipsum non posse conditum esse (supra p. 61) nisi post *Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν*. E cunctis his igitur hoc carmen primum locum obtinet, secundum *Legatio*, tertium *Ἀριστεία*, quartum *Desperatio*. Praeterea suspicati sumus (supra p. 56) huius auctorem tetigisse carmen quo ageretur *Helenae raptus*, cui ceteroquin qui locus in cunctorum ordine tribuendus sit non apparet.

(*Continuabuntur*).

---

1) Mnem. 1912 p. 15.

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex Vol. XL pag.* 450.)

DE VIRTUTE ET VITIO.

En admonitionem a pastore Chaeronensi ad proprium gregem habitam. Quatuor sunt paginae sed eae summa limatae cura. Toto libello *vox* oratoris auditur sed praecipue sub finem. Ultimum caput *artis oratoriae* est specimen, non fucatae vel sophisticae, sed tamen artis et — quo saepe etiam *actiones* Plutarchi carere observavimus — exit in 'perorationem' graviter sonantem, quae impleat aures:

οὐ βιώσῃ φιλοσοφήσας ἀηδῶς, ἀλλὰ πανταχοῦ ζῆν ἡδέως μαθήσῃ καὶ ἀπὸ πάντων· εὐφρανεῖ σε πλοῦτος πολλοὺς εὐεργετοῦντα καὶ πενία πολλὰ μὴ μεριμνῶντα, καὶ δόξα τιμώμενον καὶ ἀδοξία μὴ φθονούμενον.

Et ad *corrigendos* civium mores habitam ubique intelligis; tum vero maxime cum exclamantem audis oratorem:

ἄθροιζε χρυσίον, σύναγε ἀργύριον, οἰκοδόμει περιπάτους, ἔμπλησον ἀνδραπόδων τὴν οἰκίαν καὶ χρεωστῶν τὴν πόλιν (nihil tibi omnia illa proderunt nisi mentem tuam philosophia excolueris atque emendaveris).

Quod sit vocabulorum citatorum consilium et quam apto sint tempore pronuntiata optime intelliges si reputaveris legi ea et in libello *de vitando aere alieno*. Invehitur orator in illud genus hominum quo nulla tunc fuit in civitatibus Graeciae pestis

capitalior: in crudeles illos feneratores qui oppida in provinciis implebant creditoribus suis, simulque sic, obiter quidem et velut in transitu sed tamen cum summa gravitate, auditores suos admonet ne illam pestem ultro ad se adducant supra censum vivendo et contrahendo aere alieno. Quod proprium est alterius libelli argumentum. Age iam huiusce paucos quosdam locos accuratius aspiciamus!

Sic incipit (100 B):

τὰ ἱμάτια δοκεῖ θερμαίνειν τὸν ἄνθρωπον, οὐκ αὐτὰ δήπου θερμαίνοντα καὶ προσβάλλοντα τὴν θερμότητα (sed quia quem ipse edit conservant retinentque calorem).

Dubitaturne etiam quin iure H. vocabula *θερμαίνοντα καί* deleverit? Sic demum ex ineptissima venustissima fit sententia.

100 D *καὶ πενίαν καὶ φυγὴν καὶ γῆρας ἐλαφρῶς καὶ προσηνῶς πρὸς εὐκολίαν καὶ πρᾳότητα τρόπου φέρουσιν* (homines).

Haud male Wyttenbachius illud *πρός* latino *ad* illustrat. Sed tum demum quam habeat vim plane perspiciemus, si recordabimur, id quod alio loco dixi, plerumque scriptores Latinos Graecosque partem imaginis retinere etiam cum iam ad ipsam rem, propter quam imago adhibetur, transierunt. Sic hic, postquam ignis lucisque usus est imagine, iam de *mansuetudine* loquens *lucem* illam esse meminit *ad quam* sors adversa melius feratur.

100 F Hominum perversitas nunquam eos relinquit sed usquequaque comitatur: *καὶ γὰρ ὃ καθεύδουσι, τοῦ σώματος ὕπνος ἐστὶ καὶ ἀνάπαυσις* (interea mens torquetur).

Minime obtemperandum Graeco editori pro *ὅ* legenti *ὅτε*. Opus enim tum simul *ἔστι* foret pro *ἐστί* ... ut nasceretur languidissimi aliquid. Immo dele virgulam post *καθεύδουσι* et omnia erunt venustissima disertissimaque. Illud *ὃ καθεύδουσιν* et alii multi illustrant loci et ille in Senecae Oedipode (ipse Oedipus lamentatur): „quid traho *quod vivo*?" quemadmodum praeclare Gronovius traditum „quid traho? quid vivo" emendavit.

101 A Causa cur ipsa malorum somnia maxime eorum indicent pravitatem est quod interdiu illa pudore aliquatenus saltem coercetur *καὶ οὐ παντάπασι ταῖς ὁρμαῖς ἐκδίδωσιν ἑαυτήν*.

Recte *ἐκδιδόναι* is dicitur qui alii rem *tradit* perficiendam; sic *ἔργον ἐκδίδωσι* magistratus qui opus *locat* faciendum. Sed in

nostrum locum illud non convenit. Legendum est ἐνδίδωσιν. Mens se ipsa *permittit* voluptatibus.

ib. Per somnum mens prava sua pravitate fruitur ὡς ἀνυστόν ἐστιν εἰδώλοις καὶ φάσμασιν, quae tamen non satiant cupiditates sed ultro incitant.

Cum Stephano inserendum fuerat ἐν (post ἐστιν).

101 D ἀπράγμονα βίον καὶ ἰδιώτην οὐδὲν ἧττον ἀγαπήσεις ἢ τὸν ἐπὶ στρατηγίαις καὶ ἡγεμονίαις.

Lege ἐν, quemadmodum recte vertit Didotianus: „quam quae *in* imperiis et magistratibus agitur." Dixeris illius alterius vitae conditionem esse imperia et magistratus. Ne id quidem huius loci est: *praesens* bonum cum alio bono *praesenti* hic comparatur.

CONSOLATIO AD APOLLONIUM.

Praestaret fortasse de toto hoc libro tacere post Volkmannum, qui tam idoneis argumentis tamque prudenti et docta disputatione eum Plutarcho abiudicaverit ut metuendum non sit ne unquam quisquam iam existat editor qui inter genuina philosophi nostri scripta recipiat. Ex tota illa Wyttenbachii, qui egregiis laudibus hanc consolationem ornavit, nihil restat quod non plane perverterit prostraveritque Volkmannus, praeter unum quod ne Volkmannus quidem posset reprehendere .... *ab adolescente* scriptam. Ubique vides rhetoricae artis discipulum, quem non tangat amici alicuius luctus et tristitia — vitae enim totus ille liber nihil habet: exsanguis umbra est non solum defunctus sed etiam pater, quem alloquitur scriptor, qui ne hoc quidem sentit etiam *fingi* absurde virum maturum, gravique dolore oppressum, quem ipse hac doctrinae ostentatione solari conetur — sed haec sola tenet cura sollicitumque reddit ne non satis doctus videatur et parum in omni scriptorum poetarumque genere versatus. Iuvat hic uno conspectu omnes proponere sententiolas e quibus illa mens scriptoris eluceat. Quamvis enim sit egregia Volkmanni disputatio, quamvis omnibus numeris absoluta, fieri potest ut brevis eiusmodo enumeratio maiorem habeat convin-

cendi vim. Certe ad alia properantibus viae praebebit compendium. Et interea alias quoque quasdam nostri ineptias observabimus quas non notavit Volkmannus.

A p. 102 B Nunc cum iam tempus doloris tui acerbitatem mitigavit *καλῶς ἔχειν ὑπέλαβον τῶν παραμυθητικῶν σοι μεταδοῦναι λόγων* i. e. e copia, quam ex hoc genere collegi, tibi partem quandam dabo. Et videamus quid primum promat:

ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι,
ὅταν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ.

Sic iam ab initio se indicat aliena compilare scrinia. Non ex ipso Aeschylo sed ex aliqua proverbiorum collectione sublata haec vel una particula *γε* declarat, quae apud tragicum egregie ponitur, sed hic, ubi haudquaquam apparet *ex altercatione* hos esse versus, alterum Oceani, alterum Promethei, satis absurde. Simile aliquid etiam p. 107 B fieri videmus. Citantur ex Euripide versus:

τὰ θνητὰ πράγματ' οἶδας ἣν ἔχει φύσιν;
δοκῶ μὲν οὔ· πόθεν γάρ; ἀλλ' ἄκουέ μου.

Facetissimum hunc poetae tragici locum, ubi Hercules suppotus Admeti servum ea gravitate, quae ebriorum esse solet, alloquitur quis sic a suo contextu avulsum intelligere potest?

B 105 B *ὑπερφυῶς δὲ φαίνεται περὶ τὴν παραμυθίαν ὁ ποιητὴς εὐδοκιμεῖν.* Habet cur gaudeat Homerus cui a tam idoneo auctore primum in consolandi disciplina tribuatur praemium. Ne tamen invidia torqueatur apud inferos Hesiodus, post duodecim ex Homero citatos versus haec addit: *ὁ δὲ μετὰ τοῦτον καὶ τῇ δόξῃ καὶ τῷ χρόνῳ, καίτοι τῶν Μουσῶν ἀναγορεύων ἑαυτὸν μαθητήν κτέ.*

C 105 F Hesiodi locum haec excipiunt: *ἀπηρτημένως δὲ τούτοις ὁ κωμικὸς ἐπὶ τῶν δυσπαθούντων ἐπὶ ταῖς τοιαύταις συμφοραῖς* (vide bellam orationem!) *ταυτὶ λέγει* (citantur comici 8 versus), adduntur 8 e tragoedia, tum sic pergitur: *ἐνταῦθα γὰρ ἄν τις ἑλκύσειε καὶ τὴν τοῦ Σωκράτους φωνήν.* Cernis puerulum omne genus formularum excogitantem quibus quae in compendiis suis legit utcunque conglutinet. Simile aliquid habes p. 110 D *τούτοις γὰρ οἰκείως ἄν τις ταῦτα συνάψειε.*

D 108 E *Λέγεται δὲ μαρτυρεῖν τούτοις καὶ τὸ θεῖον. πολλοὺς γὰρ παρειλήφαμεν δι' εὐσέβειαν παρὰ θεῶν ταύτης τυχόντας τῆς δωρεᾶς* (mortis sc.). *ὧν τοὺς μὲν ἄλλους φειδόμενος τῆς συμμε-*

τρίας τοῦ συγγράμματος παραλείψω. Rectissime observat Volkmannus bene consuli brevitati potuisse, si nunc minus nota proferrentur exempla. Quid vero noster? Decantata illa narrat de Cleobi et Bitone hisque similia, sed praeterea nihil. Pag. 114 C recurrit: ἃ φειδόμενος τῆς τοῦ λόγου συμμετρίας παρέλιπον.

E 115 E μυρία δ' ἐπὶ μυρίοις ἄν τις ἔχοι τοιαῦτα παρατίθεσθαι πρὸς ταὐτὸ κεφάλαιον. Quid magis a vera consolatione alienum quam ista *capitulorum* mentio? Addit sedulus puer: ἀλλ' οὐκ ἀναγκαῖον μακρηγορεῖν.

F Sed absurdissimum ex hoc genere est quod legitur sub finem libri, eoque, prudenter et acute ut solet, Volkmannus tamquam primario usus est argumento quo totum librum Plutarcho abiudicaret:

121 E ταῦτά σοι συναγαγών, Ἀπολλώνιε φίλτατε, καὶ συνθεὶς μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀπειργασάμην τὸν παραμυθητικόν σοι λόγον.

Haud agnosco Wyttenbachium, qui talia vel a iuvene potuisse scribi Plutarcho crediderit.

Quae praeterea de singulis locis annotem pauca habeo. Et est fortasse totus liber indignus quem emendare hic illic conemur etiam.

104 B De Pindari verbis σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος sic disputat noster: ἐμφαντικῶς σφόδρα καὶ φιλοτέχνως ὑπερβολῇ χρησάμενος τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ἐδήλωσε. τί γὰρ σκιᾶς ἀσθενέστερον; τὸ δὲ ταύτης ὄναρ οὐδ' ἂν ἐκφράσαι τις ἕτερος δυνηθείη σαφῶς.

Puerilis est orationis istud ἕτερος addere; melius eo careremus. Et nonne ἐμφατικῶς legendum? Oratio „emphatica", quam dicunt grammatici, ὑπερβολῇ est cognata.

104 C ἥ τ' ἄδηλος αὕτη τύχη πόρρωθεν ἡμῖν καὶ ἔτ' ἀπ' ἀρχῆς ἠκολούθηκεν.

Quorsum istud ἔτι additur? An fere idem esse debet quod ἤδη?

ib. Postquam demonstravit iam semina omne malorum genus in se habere, sic semet interrogat: τοῦ δὴ χάριν ἐτραπόμεθα δεῦρο; Absurde delectatur eiusmodi transitionis formulis; hic certe nullam fecit digressionem. Et respondet: ἵν' εἰδείημεν ὅτι καινὸν ἀτυχεῖν οὐδὲν ἀνθρώπῳ.

Rectissime Reiskius transponit: καινὸν οὐδὲν ἀτυχεῖν ἀνθρώπῳ. Quod homo adversa utitur fortuna nihil novi vel miri ea res habet.

105 A Frustra quaero quid illud sit quod Pausanias Simonidem iussit ἀπαγγεῖλαί τι αὐτῷ σοφὸν μετὰ χλευασμοῦ. Sed inepte balbutire puerulum nostrum sat bene intelligo.

105 B Novum hoc quod de Theramene narratur καταστρεβλωθεὶς ὑπὸ τῶν συντυράννων ἐτελεύτησεν.

105 F Ipsene noster excogitavit adverbium ἀπηρτημένως in hac transitionis formula: ἀπηρτημένως δὲ τούτοις ὁ κωμικὸς .... λέγει? Didotianus vertit „his congruenter", et id voluisse scriptor videtur.

106 B τὴν τοῦ Σωκράτους φωνήν, τὴν οἰομένην κ.τ.ἑ.

Quis unquam sic locutus est?

ib. Haud operam perdat siquis glossarium ad hunc librum scribat, nam etiam e vocabulis quibus utitur hic consolator cognoscitur. Sic narraturus de Antimacho, qui longo carmine de heroum calamitatibus suum solatus est dolorem, ita incipit: ἐχρήσατο δὲ τῇ τοιαύτῃ ἀγωγῇ καὶ Ἀντίμαχος ὁ ποιητής. Quis praeterea vocem ἀγωγή eo adhibuit sensu quo hic opus est?

106 C Nimis depressum afflictumque hominem erigit ὁ .... δεικνύων κοινὸν καὶ πολλῶν τὸ συμβεβηκός.

Insere ὂν post κοινόν.

106 D Ad demonstrandum quam inepte noster ratiocinari soleat, haec exscribere sufficit:

τί γὰρ τὸ χαλεπόν ἐστι καὶ τὸ δυσανιῶν [καὶ delendum?] ἐν τῷ τεθνάναι; τὰ γὰρ τοῦ θανάτου μήποτε καὶ λίαν ἡμῖν ὄντα συνήθη καὶ συμφυᾶ πάλιν οὐκ οἶδ' ὅπως δυσαλγῆ δοκεῖ εἶναι· τί γὰρ θαυμαστὸν εἰ τὸ τμητὸν τέτμηται κτέ.

Ariadnae filo nobis opus hic.

106 E Quemadmodum qui ex argilla figuras finxit eas confundere deinde ex eadem novas fingere potest οὕτω καὶ ἡ φύσις ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης πάλαι μὲν τοὺς προγόνους ἡμῶν ἀνέσχεν, εἶτα συνεχεῖς αὐτοῖς ἐγέννησε τοὺς πατέρας κτέ.

Ingeniosa est Sauppii emendatio συγχέασ' αὐτούς, nisi quod oportuit αὐτήν (sc. τὴν ὕλην).

107 E Et aliis versibus Homerus mortem cum somno coniungit et hoc:

Ὕπνῳ καὶ Θανάτῳ διδυμάοσιν

ὄψει τὴν ὁμοιότητα αὐτῶν δηλῶν· τὰ γὰρ δίδυμα τὴν ὁμοιότητα μάλιστα παρεμφαίνει.

Ut mittam ineptam verbositatem, nescit puerulus clare quid sibi velit dicere. Velut hic verbis notatis hoc fere dicere *videtur*: „significans mortem somnumque eandem praebere speciem".

108 D *ὥστ' εἰ καὶ προσέοικε μετάγειν εἰς ἕτερον τόπον ὁ θάνατος, οὐκ ἔστι κακόν.*

Mira interdum Graecitas tibi in hoc libro occurrit.

109 D *ἐμφερῆ τε τῷ υἱῷ καὶ τὰ τοῦ χρόνου τε καὶ τὰ τῆς ἡλικίας ἐγγύς.*

Ut concedam *ἡλικίαν* dici utcunque posse de *statura* (cogito enim de Aristophaneo: *μικρὸς ἡλίκος Μόλων*), vel sic tamen inepte inter se *χρόνος* et *ἡλικία* coniunguntur, et *vultum* quoque hic memoratum oportuit.

109 E De morte hoc tertium ponit, esse eam mentis corporisque interitum, atque *οὐδ' οὕτω κακόν ἐστι* (sc. mors)· *ἀναισθησία γάρ τις κατ' αὐτὸν γίγνεται καὶ πάσης ἀπαλλαγὴ λύπης καὶ φροντίδος.*

Quomodo *κατ' αὐτὸν* accipiamus? ecquid *ὑπ' αὐτοῦ* vel *δι' αὐτοῦ*? Sed vix Graecum illud et praeterea ambiguitatem parit ineptam.

Additur his: *ὥσπερ γὰρ οὔτ' ἀγαθὸν ἡμῖν ἔπεστιν οὕτως οὐδὲ κακόν.*

Quae H. delevit. Sunt certe plane supervacanea. Ideoque in textu retinere malim quo magis nostri appareat stupor. Sic paulo post (109 F) *ἡ γὰρ αὐτὴ κατάστασίς ἐστι τῇ πρὸ τῆς γενέσεως ἡ μετὰ τὴν τελευτὴν* inepta est repetitio eorum quae proxime praecedunt: *ὥσπερ οὖν οὐδὲν ἦν ἡμῖν πρὸ τῆς γενέσεως οὔτ' ἀγαθὸν οὔτε κακόν, οὕτως οὐδὲ μετὰ τὴν τελευτήν.*

110 A „Mors cum adest," Arcesilaus ait „neminem laedit, sed dum abest et expectatur afficit dolore". Quae sic probat noster: *τῷ γὰρ ὄντι πολλοὶ διὰ τὴν οὐδένειαν καὶ τὴν πρὸς τὸν θάνατον διαβολὴν ἀποθνήσκουσιν ἵνα μὴ ἀποθάνωσι.*

Possunt utcunque ista *διὰ τὴν .... διαβολὴν* explicari, velut Didotianus *οὐδένειαν* vertit *vilitatem animi*. Sed male sit scriptori qui non senserit se illis additis verbis infringere et perdere vim paradoxi haud illepidi: *πολλοὶ ἀποθνήσκουσιν ἵνα μὴ ἀποθάνωσι.*

ib. Versus Epicharmi fuisse hi videntur:

συνεκρίθη καὶ διεκρίθη κἀπῆνθεν ὅπόθεν ἦνθε·
γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμ' ἄνω. τί τῶνδε χαλεπόν; οὐδέν.

110 D Receptam oportuit Wyttenbachii emendationem *βαθὺν — θαλάσσης αὐχέν' Ἑλλησποντίας* pro absurdo *βαρύν*.

111 C *καὶ γὰρ φυτῶν ἄριστα τὰ πλείστας καρπῶν ἐν βραχεῖ φορὰς ποιούμενα.*

In singulari numero *πλείστην — φοράν* H. legere malit, iniuria si quid video, nam in illum non quadrat *ἐν βραχεῖ*, quod egregie cum plurali coniungitur: paucae arbores quotannis fructus ferunt largos, pleraeque tertio quoque anno, haud paucae maioribus etiam intervallis.

111 E *τί δ'; οἱ πενθοῦντες τοὺς οὕτως ἀποθανόντας ἑαυτῶν ἕνεκα πενθοῦσιν ἢ τῶν κατοιχομένων;*

Pro *οὕτως*, quod se non intelligere ait, H. *αὐτοῖς* malit; falso: est enim „immatura morte", de qua in proxime praecedentibus sermo est.

112 F *τὸν τῶν Λυκίων νομοθέτην* aiunt iussisse lugentes muliebrem sumere vestem.

De *Lyciis* Valerius quoque Maximus hoc narrat (II, 6, 13), sed *νομοθέτης* commemoratus facit ut de Zaleuco hic cogitem et *Λοκρῶν* legendum suspicer.

113 AB Inter ipsos barbaros ad luctum maxime propensi sunt non Celtae Gallique quique praeterea fortissimi praedicantur *μᾶλλον δ', εἴπερ ἄρα, Αἰγύπτιοί τε καὶ Σύροι καὶ Λυδοί* ceteri ex hoc genere.

Istud *εἴπερ ἄρα* utcunque ferri potest hoc sensu: „si iam illi ipsi". Sed ingeniose et huius libri orationi convenienter Reiskius coniecit: *Πέρσαι καὶ Ἄραβες*.

Hi ergo per aliquot dies semet ipsos quoque in sepulcra quaedam abscondunt. *Ἴων γοῦν ὁ τραγικὸς ποιητὴς οὐκ ἀνήκοος ὢν τῆς τούτων εὐηθείας* induxit quandam dicentem se e sepulcro prodire.

Legendum opinor *συνηθείας*, nam si *maledicto* hic opus est, *insania* potius quam *stupor* iste mos dicendus est. Simul hic agnoscis puerulum pueriliter disputantem: demonstrare vult barbaros effeminatos esse etiam in luctu et .... *mulieris* barbarae utitur exemplo.

114 D Receptam oportuit pulchram Hercheri emendationem *τὸν ἐπικλωσθέντα τῆς ζωῆς μίτον* pro absurdo *βίον*.

114 E Reprehenduntur insani quibus mortis causa ipse moeror

ἅμα τῶν τε ἀνιαρῶν καὶ τῶν ἐκ τῆς ἀλογιστίας κακῶν συγκηδευομένων αὐτοῖς.

Rectissime vidit W. hic duas res inter se *oppositas* requiri, coniecitque *ἀναγκαίων*: mala necessaria et ea mala quae sponte sua ipsi stultitia sibi contrahunt homines isti.

115 A *τὸ νῦν παρ' ἐλπίδα συμβεβηκὸς καὶ παρὰ τὴν ἡμετέραν δόξαν ἔδειξε τὸ εἰωθὸς περὶ πολλοὺς γίγνεσθαι δι' αὐτῶν τῶν ἔργων.*

Verba notata corrupta videntur. Sensum restituit Didotianus vertendo: „quod nobis nunc praeter spem opinionemque evenit nostram, id ipsum *tempus* nobis re ipsa demonstravit plerisque accidere solere". Sed unde illud *tempus* habet?

115 B Verba poetae *κενεὴ δ' εἴσδυσις οὐδ' αἰθέρι* manum etiam exspectant emendatricem; nihil enim proficimus Bergkii lectione: *κενεὴ δ' εἴσδυσιν οὐδ' Ἀΐδεω.*

115 B Locum Aristotelis sic refingendum puto: *διόπερ, ὦ κράτιστε, πάντως [καὶ] μακαρίστους καὶ πρὸς τῷ μακαρίστους καὶ εὐδαίμονας εἶναι τοὺς τετελευτηκότας νομίζειν δεῖ.*

Cetera omnia Wyttenbachii sunt, primum *καί* expunxi ego et post *νομίζειν* quod editor Graecus praebet (W. *νομίζομεν*) inserui *δεῖ.*

115 C Subito apparet e *colloquio* haec sumpta; sequitur enim *τί τοῦτ; ἔφη. κἀκεῖνος ὑπολαβών.*

Sic auctores suos citat noster!

116 B *ἔχομεν γὰρ τὸ ζῆν ὥσπερ παρακαταθεμένοις θεοῖς ἐξ ἀνάγκης.*

Quid Graecus editor suo *παρὰ καταθεμένοις* velit me latet. Sed recte post *παρακαταθεμένοις* W. inseruit *ἀποδώσοντες.*

116 E *ταῦτ' οὖν ἐν διανοίᾳ τις ἔχων ὡς πυθόχρηστα παραγγέλματα πρὸς πάντα τὰ τοῦ βίου πράγματα ῥᾳδίως ἐφαρμόζειν δυνήσεται καὶ φέρειν αὐτὰ δεξιῶς.*

Haec lenissima transpositione sic refingenda arbitror:

ταῦτ' οὖν ἐν διανοίᾳ τις ἔχων ὡς πυθόχρηστα παραγγέλματα καὶ πρὸς πάντα τὰ τοῦ βίου πράγματα ἐφαρμόζων ῥᾳδίως δυνήσεται φέρειν αὐτὰ καὶ δεξιῶς.

117 A *οἱ δὲ πολλοὶ [πάντα καταμέμφονται καὶ] πάντα τὰ παρὰ τὰς ἐλπίδας αὐτοῖς συμβεβηκότα ἐξ ἐπηρείας τύχης καὶ δαιμόνων γενέσθαι νομίζουσι.*

Inclusa delenda esse ipse docet contextus.

117 B Recte post *οἰκείας* R. delevit *πατρίδος*.

117 E *πεπαιδευμένων δ' ἐστὶν ἀνθρώπων προειληΦέναι ὅτι βραχὺν χρόνον προειλήΦασιν ἡμᾶς οἱ δοκοῦντες ἄωροι τοῦ ζῆν ἐστερῆσθαι.*

Apparet corrupta haec esse; pro *προειλήΦασι* requiritur aliquid quod *praecesserunt* significet.

118 A In luctu opus nobis est hominibus *ἀΦαιρουμένοις τὰς λύπας διὰ τῆς γενναίας καὶ σεμνῆς παρηγορίας.*

Dele *τῆς* cum H.

118 D Miro interdum et absurdo sermone noster utitur, velut hic, ubi laudat eos qui fortiter tulerunt *τοὺς ἐπὶ τοῖς υἱοῖς γενομένους θανάτους.*

118 E Nusquam magis quam hic apparet quam parum noster artem scribendi et disponendi calleat. Incipit sic (cap. 33 in.): „utile est ante oculos habere eos qui filiorum obitum fortiter tulerint" statimque nominat Anaxagoram, Demosthenem, Dionem. Atque recte quidem primum quid dixerit feceritque Anaxagoras, nuntiata ei morte filii, narrat. Inde transit ad .... Periclem, huic addit Xenophontem, tum denique Dionis et Demosthenis ei venit in mentem.

118 F *τοῦτον* (Periclem) *γὰρ εὐθὺς μετὰ τὴν προσαγγελίαν [ἀμΦοτέρων τῶν υἱέων] οὐδὲν ἧττον .... δημηγορεῖν.*

Deleantur inclusa: quis ille nuntius fuerit satis superque iam e praecedentibus apparet, et tam male ne hic quidem scripsit ut sic redderet id quod est „*de* utriusque filii *morte*".

119 A Xenophontem autem narrant simili accepto nuntio *μικρὸν παντελῶς διασιωπήσαντα χρόνον καὶ τῷ λογισμῷ τὸ πάθος παρακατασχόντα* virile dictum edidisse.

Et *παρέχειν* et *κατέχειν* hic aptum praebet sensum, ut Xenophon aut dicatur animum commotum *curandum tradidisse* cogitationi, aut cogitatione eum *compescuisse*. Hoc Didotianus mavult, dat enim: „dum ratione motum animi compesceret". Mihi alterum magis placet, sed duplicem praepositionem non concoquo.

119 C Interdum ista legenti a barbaro tibi scripta videntur. Velut hic Demosthenem laude dignum ait *τὸ πενθεῖν παρωσάμενον καὶ τὸ Φιλόπατρι πρὸ τῆς τῶν ἀναγκαίων συμπαθείας ἐπιδειξάμενον.*

Utcunque quid sibi velint haec intelligis, sed balbutientis esse sermonem sentis.

119 E Prudentibus suis admonitionibus nunc Apollonium patrem haec respondentem fingit:

σφόδρ' ἦν ἐπιτετευγμένος ὁ νεανίσκος Ἀπολλώνιος ἐν μοίραις.

Sic W. edidit de emendatione desperans. Graecus vero editor:

σφόδρ' ἦν ἐπιτεταγμένος ὁ νεανίσκος Ἀπόλλωνι καὶ μοίραις.

Si e coniectura, desperantis et illa videtur. Neque ipse quidquam lucis dispicio in ista caligine.

120 B *εἰ δ' ὁ τῶν παλαιῶν ποιητῶν τε καὶ φιλοσόφων λόγος ἐστὶν ἀληθὴς ὥσπερ εἰκὸς ἔχειν, [οὕτω] καὶ τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἔστι τις τιμὴ καὶ προεδρία καθάπερ λέγεται, καὶ χῶρός τις ἀποτεταγμένος ἐν ᾧ διατρίβουσιν αἱ τούτων ψυχαί, καλὰς ἐλπίδας ἔχειν σε δεῖ περὶ τοῦ μακαρίτου υἱέος σου.*

Ut saltem cohaereant haec, includendum est istud *οὕτω*.

120 E „De immortalitate animi fuse Plato egit" ait „in Phaedone, Republica, Menone, Gorgia, aliis dialogis". Tum sic pergit:

ἀλλὰ τὰ μὲν ἐν τῷ Περὶ ψυχῆς διαλόγῳ ῥηθέντα κατ' ἰδίαν ὑπομνηματισάμενός σοι παρέξομαι, ὡς ἐβουλήθης· τὰ δὲ πρὸς τὸ παρὸν καίρια καὶ χρήσιμα τὰ λεχθέντα πρὸς Καλλικλέα τὸν Ἀθηναῖον.

De variis verborum *κατ' ἰδίαν* signicationibus videatur W. Hic unice aptum videtur *seorsum*, ut docti Platonistae hic gravitatem sumat puerulus noster et commentarium in Phaedonem promittat seorsum edendum. Pro *τὰ δέ* rectissime Graecus editor reposuit *ἔσται δέ*.

121 E Sub finem conspectum dans libri sui et alia dicit scriptor et haec:

περιέχει δὲ καὶ τὴν πρὸς τὸν θεοφιλέστατον υἱόν σου Ἀπολλώνιον πρέπουσαν τιμήν, ποθεινοτάτην οὖσαν τοῖς ἀφιερωθεῖσι, τὴν διὰ τῆς ἀγαθῆς μνήμης καὶ τῆς ἀδιαλείπτου πρὸς τὸν ἀεὶ χρόνον εὐφημίας.

Mire in hoc loco caecutit W. nec videt virgula post *ἀφιερωθεῖσι* posita fieri quam maxime perspicuum. Addit illam et Didotianus.

121 F Satis arroganter denique puer senem tristem sic monet:

καλῶς οὖν ποιήσεις καὶ τῷ λόγῳ πεισθεὶς καὶ τῷ μακαρίτῃ σου υἱῷ χαρισάμενος καὶ μεταβαλὼν ἐκ τῆς ἀνωφελοῦς περὶ τὸ σῶμα

καὶ τὴν ψυχὴν κακώσεως καὶ καταφθορᾶς ἐπὶ τὴν συνήθη σοι καὶ κατὰ φύσιν διαγωγὴν [ἐλθεῖν].

Unde rectissime ultimam vocem abiecit Reiskius.

DE TUENDA SANITATE PRAECEPTA.

Hic quoque libellus documento esse potest quanta floruerit apud aequales fama Plutarchus. Etenim incipit quidem a dialogo, qui Athenis aliove in doctorum domicilio habitus videtur, sed inde a capite sexto dialogi illius nullum iam superest vestigium et restat diatribe in otio Chaeronensi composita et Chaeronensi destinata gregi. Neque ulli viro nobili potentive dedicatur libellus, utpote qui vel sic suos sibi inventurus sit emptores. Praecepta autem continet utilissima quidem sed minime recondita. Apparet tamen in arte quoque medica tantum profecisse scriptorem quantum illo tempore quisquam proficere posset. Simulque nobis hic praebetur facultas aliquatenus certe intelligendi quae illo tempore fuerit vita illorum hominum, qui, ut Plutarchus, mentium se medicos profitebantur. Satis placida illa fuit, quieta, tranquilla, sed certo tempore exhilarabatur conventu laetissimo lautissimoque, cui multo ante iam esset praeparandus stomachus, ut suo sibi labore recte fungi posset. Συμπεριφορά illis epulis nomen erat, quibus appropinquantibus, omnem esse vitandam redundantiam crapulamque amabilis ille noster medicus monet (123 E), non minus sincerae laetitiae quam ipsi corporis prospiciens sanitati. Nihil hunc locum melius illustrat quam alter ille in pulcherrimo *De Tranquilitate Animi* libro (473 D), ubi sic fere disputatur: „in omni re adversa sic optime cavebis ne te totum tristitiae moestisque dedas cogitationibus, si in memoriam tibi revocabis aliquam rem in qua olim felici sis usus successu, vel magnam aliquam, cuius particeps fueris, laetitiam". Atque utriusque rei quae profert exempla pastor ille et fidus et clemens? „Praedicationem" (sic enim appello) quae optime processit, et συμπεριφορὰν solito laetiorem.

(De vario illius vocabuli usu conferatur Wyttenbachius VI, 2 p. 812 sq.).

Ad singulos locos haec habeo quae annotem.

122 D De sua cum docto quodam medico disputatione se relaturum promittit Zeuxippus „philosophus". Et respondet alter „philosophus" Moschion:

ἀλλὰ καὶ τούτων ἔγωγε καὶ τῶν ἄλλων, ὦ Ζεύξιππε, πρόθυμος ἀκροατὴς ἡδέως ἂν γενοίμην.

Nonne aut *πρόθυμος* aut *ἡδέως* vitiose abundat?

122 E Quod „philosophus" de arte medica quaedam in medium protulerit sic Zeuxippus excusat:

οὐ παράβασιν ὅρων ἐπικαλεῖν δεῖ τοῖς περὶ ὑγιεινῶν διαλεγομένοις φιλοσόφοις, ἀλλ' εἰ μὴ παντάπασιν ἀνελόντες τοὺς ὅρους οἴονται δεῖν ὥσπερ ἐν μιᾷ χώρᾳ κοινῶς ἐμφιλοκαλεῖν.

Et sententiae ipsi et eius structurae consultum erit si *ἀλλὰ* deleveris: nulla erit in „philosophis" culpa dummodo ne plane tollant artium illarum terminos.

122 F Narrare sic Zeuxippus incipit:

ἔφη τοίνυν ὁ ἑταῖρος ἡμῶν ἀκοῦσαί τινος λέγοντος.

Recte intelligi liber non potest, nisi illum *ἑταῖρον* ipsum esse Plutarchum statuis.

123 A Frigidas habere manus magnopere nocet sanitati:

τὸ δ' ἔξω στρέφοντα μετὰ τῆς θερμότητος ἕλκειν ἐπὶ πάντα καὶ διανέμειν τὴν ὕλην ὑγιεινόν.

Obscura haec, obscurissimum vero quae hic *ὕλη* dicatur. Sed dele *μετά*, omnia erunt apertissima aptissimaque: oportet caloris materiam, quae in intimo residet corpore, foras trahere et sic per totum spargere corpus.

123 C Dum valemus oportet nos sponte abstinere rebus quibusdam quibus interdicitur aegris *τῆς ψυχῆς ἀφαιροῦντας πόρρωθεν ἔτι τὴν περὶ ταῦτα μ ι κ ρ ο λ ο γ ί α ν.*

Cum W. *μικρολυπίαν* legendum videtur.

ib. Proverbium „elige optimum, suave illud faciet consuetudo" *καὶ κατὰ μέρος ὡς ἕκαστα* (l. *εἰς ἕκ.* Wytt.) *πειρωμένῳ χρήσιμόν ἐστι, μάλιστα δὲ τῶν περὶ τὸ σῶμα διαιτημάτων ἐν τοῖς ὑγιεινοτάτοις ἐπάγοντα τὴν συνήθειαν εὐμενῆ καὶ γνώριμα τῇ φύσει καὶ οἰκεῖα παρασκευάζειν.*

Insere *τό* post *μάλιστα δέ*, et dele *ἐν*.

124 A Si nos, dum corpore sumus onusto, *ἀνάγκαι καταλάβωσιν, ἡγεμόνων καλούντων ἢ ξένων ἐπιφανέντων, ὑπ' αἰδοῦς βα-*

δίζειν εἰς ταὐτὸ τοῖς ἱκανῶς ἔχουσι καὶ συμπίνειν i. e. si nobis tum epulandum est cum hominibus sanis et integris. Quid autem tum nobis est faciendum? ἐνταῦθα μάλιστα δεῖ παρατετάχθαι πρὸς „τὴν μέγα σινομένην ἄνδρας αἰδῶ" i. e. non oportet nos falso pudore ductos plus esse et bibere quam concoquere possumus. Apparet in protasi verba ὑπ' αἰδοῦς ferri non posse. Insigne hoc „additamenti praematuri" exemplum de quo corruptelae genere egi in libro *de Emblematis in Platonis textu obviis* p. 46 sqq.

124 C ἄν τε τις παρέχων ἑστίασιν ὥσπερ θυσίαν ἄγευστον αὐτὸς ἀπέχηται παρά τε τῇ κύλικι καὶ τῇ τραπέζῃ, tam vero praeclaram habet suae urbanitatis ostendendae facultatem: potest enim de se ipso iocari.

Vix haec cohaerent, nisi recipis coniecturam παρῇ δέ, quae non, ut refert editor Graecus, Wyttenbachii esse videtur: nihil enim annotat ille.

ib. Narravit in sua diatribe Plutarchus Alexandrum post largam potationem non ἀντειπεῖν Μηδίῳ denuo ad pocula vocanti. Recipienda erat Wyttenbachii emendatio ἀπειπεῖν, *recusare*.

124 E Hic aliquid deprehendimus quod rarissimum in Plutarcho: ut flosculo aliquo sermonem suum exornet admodum inepto. Socrates sua admonitione Φυλάττεσθαι τῶν βρωμάτων ὅσα μὴ πεινῶντας ἐσθίειν ἀναπείθει, καὶ τῶν πωμάτων ὅσα πίνειν μὴ διψῶντας, οὐχ ἁπλῶς τὸ χρῆσθαι τούτοις ἀπηγόρευσεν, ἀλλὰ χρῆσθαι δεομένους ἐδίδασκε καὶ τὸ ἡδὺ κατατάττοντας αὐτῶν εἰς τὸ ἀναγκαῖον. Hactenus rectissime, sed risum movet quod adiicitur: ὥσπερ οἱ τὰ θεωρικὰ ποιοῦντες ἐν ταῖς πόλεσι στρατιωτικά. Haec sic a contextu Demosthenis avulsa sensu carent, et si iam ipse Plutarchus hic intellexit quid diceret, certe auditores intelligere non potuerunt. Conferri aliquo modo potest absurda locutio (64 E): ἐν ταῖς ὑπὸ μάλης πράξεσιν.

125 A Inepti homines qui nil probant quod non magno constet, cum magnam dederunt pecuniam Λαΐδι καὶ τὸ σῶμα φαύλως καὶ πρὸς τὴν συνουσίαν ἀργῶς ἔχοντες διακείμενον ἐγείρουσιν ἅμα καὶ παρακαλοῦσι τὸ ἀκόλαστον ἐπὶ τὴν ἡδονὴν ὑπὸ τῆς κενῆς δόξης.

Nullus hic isti *simul* locus. Repone θαμά, *frequenter*, quod unice huc quadrat.

126 A Aversamur feminas amatoria miscentes pocula et tamen *μισθωτοῖς τε καὶ δούλοις προϊέμεθα τὰ σιτία καὶ τὰ ποτὰ μονονουχὶ μαγγανεύειν καὶ φαρμάττειν.*

Rectissima haec, quamquam paulo laxius cetera sententia structa est. Cur editor Graecus hic *προσεφιᾶσι* dederit prorsus me latet; sensu cassum enim istud, neque praestat quod coniicit ipse *τινὲς ἐφιᾶσι.*

126 B Nunc sobrium victum commendans ipsarum *voluptatum* causam ago: *οὔτε γὰρ πράξεις οὔτ' ἐλπίδας οὔτ' ἀποδημίας οὔτε διαγωγὰς αἱ νόσοι τοσαύτας ὅσας ἡδονὰς ἡμῶν ἀφαιροῦνται.*

Egregia haec: „et alias res adimunt nobis morbi et *voluptates* easque maximas", et egregie additur: *ὅθεν ἥκιστα λυσιτελεῖ καταφρονεῖν τῆς ὑγιείας τοῖς μάλιστα τὴν ἡδονὴν διώκουσι.*

Minime ergo cum Wyttenbachio legendum *ἡδοναί*, quod vel hiatus redarguit.

127 C Navium domini, qui lucri appetentes navem suam nimis onerant ita ut cum periculo navigent, in codicibus dicuntur *οἱ ἀγαθοὶ ναύκληροι*, satis inepte. W. *ἄθλιοι* coniecit dubitanter, quod certe praestat editoris Graeci invento *ἄπλοοι*. Equidem exspectem aliquid quod ipsum illud „lucri appetentes" significet.

130 A *ὁ φήσας μηδὲν γράφειν παραθαλασσίοις περὶ ὀδόντων ἐδίδαξε τὴν χρείαν.*

Aegre hic desidero mentionem *rei cuius* ille usum docuit (aquaene marinae? Sic Didotianus).

131 C Laudatur *θερμολουσία* tamquam *ἐνδόσιμα τῇ πέψει καὶ μαλακὰ παρέχουσα.*

Egregie H. *μαλακτικά.*

131 D *ἐπὶ δὲ τροφὴν παραγενομένους, ἂν μὲν ᾖ τι τῶν πρόσθεν ὄφελος λόγων οἷς τὰς ὀρέξεις κηλοῦμεν καὶ καταπραΰνομεν, ἄλλο τι χρὴ παραινεῖν.*

Primum hic cum Reiskio in imperfecto legendum *ἐκηλοῦμεν* et *κατεπραΰνομεν*; deinde tollendus operarii, ut videtur, error et *παραγενομένοις* legendum, quod ét apud W. ét in Didotiana legitur: ea enim dare consilia debemus *iis* qui ad epulas accedunt, non cum ipsi ad epulas accedimus.

131 F *μάλιστα δὲ τὰς ἀπὸ τῶν κρεῶν φοβητέον ἀπεψίας· καὶ γὰρ εὐθὺς σφόδρα [καὶ] βαρύνουσι, καὶ λείψανον εἰσαῦθις πονηρὸν ἀπ' αὐτῶν παραμένει.*

Incluso *καί* nullus hic locus.

134 E *ὑφισταμένης δὲ κοιλίας οὐδὲν φάρμακον οἷα τῶν σιτίων ἔνια μαλακὰς ἐνδιδόντα προθυμίας καὶ διαλύοντα πρᾴως.*

Pro *προθυμίας* exspectem aliquid quasi *πέψεις*, nam ventrem duriorem cibis irritare perversum est.

135 A Absurdum est stato tempore corpus ad inediam compellere *ἐν καιρῷ ζητούμενον ἔθος ἀπαιτοῦντι.*

Istud *ζητούμενον* non intelligo; natum videtur ex varia lectione *ζητοῦντι*. Nam perinde est utrum hic *ζητοῦντι* legas an *ἀπαιτοῦντι*. Absurdum esse dicitur sic vim facere corpori eo tempore quod solita requirit. Lege ergo: *ἐν καιρῷ τὸ ἔθος ἀπαιτοῦντι* (vel *ζητοῦντι*).

135 D *ἔφη* „sc. Plutarchus" ut recte annotat W.: refertur enim Plutarchi diatribe.

136 A *διὸ τῶν πραγμάτων διδόντων ἀναληπτέον ἑαυτοὺς μήθ' ὕπνου φθονοῦντας τῷ σώματι μήτ' ἀρίστου μήτε ῥᾳστώνης τὸν μέσον ἡδυπαθείας καὶ κακοπαθείας φυλαττούσης ὅρον, οἷον οἱ πολλοὶ μὴ φυλάττοντες ἐκτρίβουσι τὸ σῶμα ταῖς μεταβολαῖς.*

Haud dubie cum W. legendum *φυλάττοντας* et cum Salmasio *ὃν* pro *οἷον*.

137 E Pulchra hac sententia egregius clauditur liber:

ὀρθῶς οὖν ὁ Πλάτων παρῄνεσε μήτε σῶμα κινεῖν ἄνευ ψυχῆς μήτε ψυχὴν ἄνευ σώματος, ἀλλ' οἷον τινα ξυνωρίδος ἰσορροπίαν διαφυλάττειν, ὅτε μάλιστα τῇ ψυχῇ συνεργεῖ τὸ σῶμα καὶ συγκάμνει, πλείστην ἐπιμέλειαν αὐτῷ καὶ θεραπείαν ἀποδιδόντας, καὶ τὴν καλὴν καὶ ἐράσμιον ὑγίειαν ὧν δίδωσιν ἀγαθῶν κάλλιστον ἡγουμένους διδόναι τὸ πρὸς κτῆσιν ἀρετῆς καὶ χρῆσιν ἔν τε λόγοις καὶ πράξεσιν ἀκώλυτον αὐτῶν.

Ubi iniuria Graecus editor Reiskii coniecturam *ὅτι* in textum recepit, nam egregium est quod est traditum: *tum* maxime corporis cura est habenda cum animi labores adiuvat, nam tum corpus maxime fatigatur. Ultimum vocabulum (*αὐτῶν*) quid sibi velit intelligere mihi videor: „*et* animi *et* corporis". Sed multo elegantius erit si id nobis e contextu efficiendum relinquitur. Ergo *αὐτῶν* a sciolo adiectum arbitror.

PRAECEPTA CONIUGALIA.

Praestantissimus hic libellus, qui quo modo ea aetate de ingenua inventute mereri sint soliti „philosophi" egregie nos docet. Scriptus enim est Eurydicae, quae Polliano nuper nupsit, iuveni Romano nobili, ut opinor, divitique. Uterque Plutarcho usus est magistro, dicunturque (138 C) tunc fuisse ἐν φιλοσοφίᾳ παρατρεφόμενοι. Quo nomine significari possunt iuniores, qui dum adultiores ipsam philosophiam discunt — sic 145 B Pollianus dicitur iam ὥραν ἔχειν φιλοσοφεῖν — assident auditores magis quam philosophi, sed in omnes omnino illud convenit pueros puellasque, quos tum opulenti Graeci, magisque etiam Romani, „philosophis" Graecis educandos committebant: magnam enim illius institutionis partem fuisse viros graves, qui τὴν φιλοσοφίαν τέχνην εἶχον, Plutarchi in arte mentibus hominum medendi collegas, docte disputantes audire consentaneum est. Pollianus cum uxore amicis utebantur iis qui tum in republica Romana primas agebant partes, si quidem (145 A) Eurydice iubetur legere ea quae Timoxena scripsit Aristyllae. Est autem Timoxena illa ipsius Plutarchi uxor — si de alia hic esset cogitandum muliere, disertis id verbis dixisset Plutarchus — Aristylla quin sit Timonis, Plutarchi fratris, uxor dubitari non posse videtur: verissimam enim puto Volkmanni esse coniecturam Plin. Epl. I, 5, 5 „aderam Arrionillae, Timonis uxori, rogatu Aruleni Rustici" pro absurdo *Arrionillae* legendum esse *Aristyllae*.

Amici ergo coniugum illorum fuerunt Timon, Plinius, quidni Aruleni Rustici iam mortui fratrem Iunium Mauricum adiciamus, et Tacitum atque adeo ipsum imperatorem Traianum? Plutarchi autem uxor libros scribebat non populo sed feminis sibi affinibus, deque eo argumento, quod maxime tractare mulieres decet: de ornatu muliebri. Sed non is est Plutarchus qui omnino mulieres expertes esse velit artium et disciplinarum, immo vero etiam gravissimas iis commendat geometriam et astronomiam (145 C). Et praeterea se toto libro virum praebet qui de nulla re etiam cum femina liberrime colloqui vereatur. Nulla enim re maiorem ille iustioremque movet admirationem quam simplicitate illa, qua de rebus agatur quae reticeri vel

tecte significari soleant — et quae illae sint ipse libelli docet titulus — atque cum simplicitate alia virtus iuncta est non minus insignis: castissimus est libellus purissimusque, totique illi aetati praeclarum dat sincerorum testimonium morum, qua ad primarias feminas sic scribi potuerit a viris clarissimis.

Satis integer ad nos libellus egregius pervenit, ita ut ad paucos tantum locos quae annotem habeam.

138 C *οἱ παλαιοὶ τῇ Ἀφροδίτῃ τὸν Ἑρμῆν συγκαθίδρυσαν, ὡς τῆς περὶ τὸν γάμον ἡδονῆς μάλιστα λόγου δεομένης, τήν τε Πειθὼ καὶ τὰς Χάριτας ἵνα κτέ.*

Ut bene haec cohaereant et oppositionis constet ratio, lege *τὸν μὲν . . . τὴν δέ.*

139 D Primum exemplum (*ὁμοιότητας* ea dicit ipse scriptor 138 C) est Solonis praeceptum *τὴν νύμφην τῷ νυμφίῳ συγκατακλίνεσθαι μήλου κυδωνίου διατραγοῦσαν, αἰνιττόμενος ὡς ἔοικεν ὅτι δεῖ τὴν ἀπὸ στόματος καὶ φωνῆς χάριν εὐάρμοστον εἶναι πρῶτον καὶ ἡδεῖαν.*

Quid sibi isto loco *πρῶτον* velit frustra quaeris. H. locum sanasse videtur mutando in *πρώτην* et traiiciendo ut fieret *τὴν πρώτην ἀπὸ στόματος κτέ.*

140 B Reges Persarum, cum hilarius fit convivium, iustas dimittunt uxores arcessunt mulierculas, *ὀρθῶς γε τοῦτο ποιοῦντες ὅτι τὸ συνακολασταίνειν καὶ παροινεῖν οὐ μεταδιδόασι ταῖς γαμεταῖς.*

Immo *τοῦ*, quemadmodum paulo infra legitur *παροινίας καὶ ἀκολασίας καὶ ὕβρεως ἑτέρᾳ μεταδίδωσιν.*

140 D Felicem praedicat civitatem Plato in qua *τὸ ἐμὸν καὶ τὸ οὐκ ἐμὸν ἥκιστα φθεγγομένων ἀκούουσι διὰ τὸ κοινοῖς ὡς ἔνι μάλιστα χρῆσθαι τοῖς ἀξίοις σπουδῆς τοὺς πολίτας.*

Recte procedet sententia, si pro *ἀκούουσι* legetur *ἀκούεται.*

141 D Oportet iustam uxorem cum se in speculo contemplatur, si facie parum formosa est, sic secum loqui: „quid si non ero pudica?", si est formosa „quid si etiam pudica ero?" Ratio utriusque dicti sic nunc redditur:

τῇ γὰρ αἰσχρᾷ σεμνότερον εἰ φιλεῖται διὰ τὸ ἦθος, ἢ τὸ κάλλος.

Utriusque, aio, dicti est reddenda ratio, quare recte sic tradita verba supplevisse:

τῇ γὰρ αἰσχρᾷ σεμνὸν εἰ φιλεῖται διὰ τὸ ἦθος, τῇ δὲ καλῇ εἰ διὰ τὸ ἦθος μᾶλλον ἢ τὸ κάλλος.

W. censendus est.

142 E *κρατεῖν δὲ δεῖ τὸν ἄνδρα τῆς γυναικὸς, οὐχ ὡς δεσπότην κτήματος ἀλλ' ὡς ψυχὴν σώματος συμπαθοῦντα καὶ συμπεφυκότα τῇ εὐνοίᾳ.*

Sic Wyttenbachiana et Didotiana. Graecus editor omisso *δεῖ* addit *δίκαιόν ἐστι* post *εὐνοίᾳ*, quod languidissimum videtur.

143 E *Ἡ Ἑρμιόνη δοκεῖ τι λέγειν [ἀληθὲς] λέγουσα.*

Iam W. sensit vocabulum inclusum esse scioli additamentum.

144 B Recte Madvigius *τούτων δὲ πάντων ἱερώτερός ἐστιν ὁ γαμήλιος σπόρος* pro *ἱερώτατος*. Frequens istud in codicibus vitium.

145 A *ὁ δὲ τῶν αὐτῶν ἡδονῶν αὐτὸς μὲν ἀπολαύων ἐκείνην δὲ* (sc. uxorem) *ἀποτρέπων οὐδὲν διαφέρει τοῦ κελεύοντος διαμάχεσθαι [τὴν γυναῖκα] πρὸς τοὺς πολεμίους, οἷς αὐτὸς ἑαυτὸν παρέδωκε.*

En ioculare additamentum! Quis talia unquam uxorem suam aut omnino mulierem iussit?

Nos eo deleto *militibus* sua reddamus!

145 B Cave uxor te videat *χαίροντα χρυσώσεσιν ἐκπωμάτων καὶ γραφαῖς οἰκημάτιων καὶ χλίδωσιν ἡμιόνων καὶ ἵππων περιδεραίοις.*

Sic Graecus editor, annotatque *χλίδωσιν* istud Stephani esse pro *χλιδώσεσιν*. Puto Stephanum *χλιδῶσιν* dedisse, sed vereor ut hoc verbum subiectum habere possit *rem*, non hominem. Quid legendum sit nescio, nam vulgatum *χλιδώσεσιν* nihili videtur.

145 E Eurydice a magistro suo iubetur semper in ore habere *τὰς φωνὰς ἐκείνας ὧν* (ait) *καὶ παρθένος οὖσα παρ' ἡμῖν ἀνελάμβανες.*

Ut genitivi *ὧν* constet ratio, lege *μετελάμβανες*, quod verbum egregie convenit in *παρατρεφομένην ἐν φιλοσοφίᾳ*.

SEPTEM SAPIENTIUM CONVIVIUM.

„Externis", quibus hunc librum Volkmannus post Reiskium et Meinersium Plutarcho abiudicat, argumentis duo mihi addere posse videor multo illis graviora. Quae sint statim dicam; primum de Volkmanni argumentis videamus. Sunt ea, ne quid dissimulem, nullius pretii. Refutare conatur Volkmannus Wyt-

tenbachium, qui — me iudice, recte — contendit quae Porphyrius in libro *de abstinentia* communia cum nostro habeat libello ea ex nostro in Porphyrii librum esse translata. Contrarium verum esse Volkmannus censet atque sic disputat:

in Convivio Solon demonstrat multo melius consultum fore hominibus, si neque edendum iis esset neque bibendum, atque etiam quaestionem tractat quo modo tum homines usuri essent tempore illo libero. Respondet autem Solon: „quemadmodum servus, libertatem nactus, sibi faciet quae antea fecit domino, sic tunc mens eas curas, quas nunc corporis causa sustinet, in semet ipsam convertet".

„Fere eadem" Volkmannus ait „et apud Porphyrium leguntur, sed ibi apte illa cum cetera cohaerent disputatione, in Convivio vero sine ulla transitione annectuntur huic observationi: difficilius esse cibos e corpore removere quam in corpus inferre".

Iniquus hic in Convivii scriptorem Volkmannus videtur; etenim illa observatione suam *claudit* demonstrationem Solon additque etiam flosculum, quo aptissime redit ad id quod totam hanc provocavit disputationem: Cleodori aio sententiam, ideo esse et bibere pulchras esse res quia occasionem nobis praebeant multorum negotiorum quibus vita nostra ornetur atque exhilaretur.

Quid quod ipsa hic Porphyrii verba satis certum mihi praebent indicium usum eum esse nostro Convivio. Sic enim nunc disputat Solon (160 BC):

ὥσπερ εἰ διαποροῖεν αἱ Δαναΐδες τίνα βίον βιώσονται καὶ τί πράξουσιν ἀπαλλαγεῖσαι τῆς περὶ τὸν πίθον λατρείας καὶ πληρώσεως, οὕτω διαποροῦμεν ἡμεῖς, εἰ γένοιτο παύσασθαι φοροῦντας εἰς τὴν σάρκα τὴν ἄτρυτον ἐκ γῆς ἅμα καὶ θαλάττης τοσαῦτα, τί πράξομεν ἀπειρίᾳ τῶν καλῶν τὸν ἐπὶ τοῖς ἀναγκαίοις στέργοντες βίον, (Sequitur illud de servis libertatem adeptis quod modo citavimus.)

Haud dubium est quin hic inter se opponantur *τὰ ἀναγκαῖα* et *τὰ καλά*, atqui quae *τοῖς ἀναγκαίοις* opponuntur sunt *pulchra, speciosa, superflua.* Illa autem *ἀναγκαῖα* sunt studia veritatis quibus mentem excolimus, ad ea compellemur *ἀπορίᾳ τῶν καλῶν* i. e. quia iam *non habemus* superfluas istas *corporis* curas. Lege ergo *ἀπορίᾳ* non *ἀπειρίᾳ* cui nullus hic locus. Apud Porphyrium autem ipsum illud *ἀπορίᾳ τῶν λόγων* legitur quod praepostere et perverse Wyttenbachius cum Roerio in *ἀπειρίᾳ* mutavit. Ergo

Porphyrius hic *Convivii* textum integrum etiamtum habuit ante oculos.

Externa Volkmanni dicebam *argumenta*: revera hoc uno usus est, eiusdem loci apte a Porphyrio, inepte in *Convivio* adhibiti. Quod quam parvi esset pretii iam vidimus. Sed praeterea de altero Porphyrii loco ita egit ut sententiam Wyttenbachii de Porphyrio e Convivio hauriente refelleret. Et Convivii auctor ét Porphyrius Homerico versu (E 341) *οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσι* utuntur ad demonstrandum melius esse non uti cibo quam cibo uti. Atque Volkmanno auctore uterque id ex eodem in Homerum commentario exscribit. Haud opinor. Quae apud utrumque prorsus sunt eadem haec sunt:

istud *οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσι κτἑ.* Homerus dicit:

Porph.	Convivium
ὡς οὐ μόνον τοῦ ζῆν ἀλλὰ καὶ τοῦ ἀποθνήσκειν ἡ τροφὴ ὑπῆρχεν ἐφόδιον.	*ὡς μὴ μόνον τοῦ ζῆν ἀλλὰ καὶ τοῦ ἀποθνήσκειν τὴν τροφὴν ἐφόδιον οὖσαν.*

Cardo quaestionis in voce quae est *ἐφόδιον* versatur. Apte autem et eleganter ea imagine utitur *Convivii* scriptor sic disputans: „edendo laborem parimus corpori doloremque"; recte ergo Homerus hoc utitur argumento ad demonstrandum deos immortales esse quod non edant; cibo enim uti non solum vivendi sed etiam moriendi *ἐφόδιον* est". Sed Porphyrii haec est disputatio: „quemadmodum lapis Magnes ferrum attrahit, ita divinum attrahit humanum; ergo ne sine causa humanum istud grave reddamus. O utinam nobis omnino nullo cibo opus esset, ut diis apud Homerum: tum revera essemus immortales; Homerus enim iis quae de diis dicit diserte significat cibo uti non solum vivendi esse *ἐφόδιον* sed et moriendi". Lepide ergo in *Convivio* istud *ὀξύμωρον* „moriendi *ἐφόδιον*" adhibetur, absurde apud Porphyrium cum illa magnetis imagine iungitur, quacum nihil commune habet. Et in *Convivio* praesens *ἀποθνήσκειν* rectissime habet, est enim „ventrem nimis onerare, in morbum incidere, denique mori". Apud Porphyrium, si tamen per fas et nefas illud *ἐφόδιον* esset adhibendum, perfecto *τεθνάναι* opus esset ut *ἐφόδιον τοῦ τεθνάναι* esset id quod efficit ut homines *sint* mortui i. e. „non revera vivant ut vivunt dii".

Vides infirma esse Volkmanni argumenta externa. Firmamenti aliquid ipse addam — tam parum cupide hic agam — et, ut iam dixi, duo proponam nova, Volkmannianis, ut mihi quidem videtur, multo graviora.

Proverbium „bestiarum ferarum tyrannus, cicurum adulator pessima est" legitur ét in *Convivio* (147 B) ét in libro *Quomodo adulator* (61 C) .... mirum ni ibi legatur, sed sine ulla dubitatione Bianti tribuitur, in *Convivio* vero fuse disputatur sitne Thaletis an alius. Num ergo ego hoc argumento Convivium Plutarcho abiudico? Minime. Primum enim ipsa illa de illius proverbii auctore disputatio haud ingratum praebet Convivio ornamentum et in Convivio scribendo noster πύνυ σοφιστικῶς quam plurimis ornamentis adhibendis dat operam, at in libro *Quomodo adulator* illo proverbio tamquam argumento utitur, quis auctor eius sit nihil curans. Deinde omnem ἀκρίβειαν φιλολογικήν nihili facere solet Plutarchus utpote qui moribus hominum emendandis det operam non docendis hominibus. Conferri potest quod proverbium: „qui salvus esse vult ei aut fideli amico aut acri inimico opus est" modo Diogeni, modo Antistheni adscribitur, idque haud sine vocabulorum immutatione (v. Wytt. VI, 1, 548). Postremo inter „sophisticum" *Convivium* et „philosophicum" librum *Quomodo adulator* sat magnum intercessisse temporis spatium verisimile est, alterum scribens alterius immemor esse potuit Plutarchus. Concedes tamen ei, qui Plutarcho *Convivium* abiudicare velit, hanc inter duo libros discrepantiam argumentum praebere speciosum.

Alterum vero eiusmodi est ut quid agam me nescire fatear. Proclus (ad Hes. O. e. D. vs. 650) *a Plutarcho* abiudicari Hesiodo tradit totum locum de Homeri et Hesiodi certamine, in Euboea in Amphidamantis funere instituto. At in *Convivio* (153 F) illud certamen fuse describitur cum magna colloquentium delectatione. Quid ergo? Erravitne Proclus an mentitus est? Difficile dictu. Hoc tamen sentio sat molestum esse scrupulum istum quem nobis *Convivium* Plutarcho vindicantibus iniicit Proclus. Nam Plutarcho quominus vindicem argumenta „externa" ne sic quidem aucta et corroborata me retinent. De „internis" Volkmanni videamus.

Sunt quae ille graviter reprehendat, nihil vero gravius quam

absurdam insanamque Solonis disputationem de *non edendi* felicitate, propter quam nobis vel eripienda intestina sint. Neque minus absurda mihi videtur; quid vero si *quam absurdissimam* eam esse ipse Plutarchus voluit, quo magis ludibrio haberet non Solonem sed sui temporis acres illos perfectae virtutis patronos? Accedit quod in *Convivio* paulo antea mulieres abierunt et strenue potandi factum est initium: quidni paulo liberius nunc Solon loquatur? Et quod Soloni hic *Orphica* quaedam et *Pythagorica* tribuitur philosophia, falsum quidem est, sed cur facilius eum errorem committere potuit quivis alius, qui tamen non plane esse ineptus homo, quam ipse Plutarchus? Nam ne ipse quidem Volkmannus sat bonum scriptorem fuisse qui *Convivium* fecerit, negare potest. Cur ergo vitia quae notat ab illo commissa esset credamus, a Plutarcho non credamus? Velut illud est quod in initio *Convivii* de *una* tantum quaestione ab Amaside proposita sermo est, deinde de multis; quod in *Convivio* non edocemur quo modo sapientes illi Corinthum convenerint (qua de re olim exstitisse fabulam auctor est Diog. L. I, 99). Si talia aequo animo Volkmannus fert in homine quem ipse *pulcherrime* (brillant" I, 199, 2 a calce) scribere potuisse concedit, quidni et nos in Plutarcho aequo feramus animo?

Equidem Plutarchum auctorem Convivii agnosco in multis rebus. Poeta, quem maxime admiratur et diligit Plutarchus, Hesiodum, dico, hic quoque insignem tenet locum; ét alia proverbia quae Plutarcho sunt in deliciis, hic inveniuntur ét illud de *tyranno* et *adulatore*; iocum illum Lucianeum, quo Amasis fingitur non *loquens de ebibendo mari* sed ipsum mare *ebibens* (151 D) admodum placuisse Plutarcho aliunde efficimus; denique id quod ét alii Plutarchi libri habent ét *Amatorius*, libri *de daemonio Socratis*, et *de Sera Numinis Vindicta* id hic quoque observatur: scriptor ipso Platone δραματικώτερος esse studet, ita disputationes narrationibus et illas novis narrationibus involvit.

Et haec quidem de libri forma habituque. Ad praecipuas vero *res* quae demonstrantur quod attinet, tantum non ipsam Plutarchi vocem audio. *Praecipuas* autem cum dico ante omnes alias de duabus cogito. Primum quod Cleodorus describit quanta sit edendi bibendique utilitas, eum enim esse fontem multarum artium disciplinarumque atque adeo amicitiae et Φι-

λανθρωπίας [1]), mutato nomine hic ipse pastor Chaeronensis loquitur, quo nemo magis amavit epularum et conviviorum iucunditatem. Deinde — et hoc gravius — postquam narravit Arion quid sibi evenerit, Pittacus de *miraculis* sic disputat (163 D): „ut ét in credendo ét in non credendo modum teneas intelligendum tibi sit quid intersit inter *τὸ ἀδύνατον* et *τὸ ἀσύνηθες*" additque Anacharsis (E F): „quidni Deus non solum vento, aqua, igne sed etiam animalibus utatur instrumentis". Nonne hoc ipsi Plutarcho persuasissimum fuit, nonne saepe alibi de quaestione illa difficillima in eandem sententiam disputavit? (cf. Brut. 39, Caes. 66, Dio 2, Marc. 4, Cor. 24 sq. Cam. 6 al.).

Denique num credibile est libri tam artificiose structi auctorem latere maluisse post scriptorem vetustum (Volkmanno enim auctore *Convivium* Porphyrio est posterius) quam operam dedisse ut quam maxime et aequalibus et posteris innotesceret?

Iam ad alteram huius capitis partem ipse mihi Volkmannus transitum parat. In oratione [2]) nihil est quod nos de Plutarcho auctore dubitare cogat, nisi forte id quod ad legendum tam facilis hic liber est. Nam qui dicere possit Volkmannus tam corruptum ad nos pervenisse *Convivium* ut vix te inde intrices minime intelligo. Inspice annotationem criticam, videbis rarius hic quam in multis aliis libris haesisse viros doctos. Ipse vero qui tot iam annos in Plutarcho totus sim, saepissime me etiamnunc timere fateor ut recte eum intelligam, in Convivio vero vix unquam mihi illud accidit. Pauca ergo hic quoque annotabo.

146 D (Periander) *μετὰ γὰρ τὸν ἔρωτα τῆς μητρὸς αὐτοῦ προεμένης τὸν βίον ἑκουσίως, οὐ τεθυκὼς τῇ Ἀφροδίτῃ τότε πρῶτον .... ὥρμησε .... θεραπεύειν τὴν θεόν.*

Prava distinctio haec reddidit sensu cassa. Dele vigulam post *ἑκουσίως* et pone post *Ἀφροδίτῃ*.

146 F In decantatam narratiunculam de Biante et rege Aegyptio ultro vitium intulit editor Graecus *τὴν γλῶτταν ἐξελὼν ἐξέπεμψε* legendo pro *τὴν γλ. ἐξελὼν ἔπεμψε.*

---

1) Nonne Plutarchum agnoscis in hisce (158 C): *παρακειμένης τραπέζης, ἣν ἀναιροῦσιν αἰρομένης τροφῆς φιλίων θεῶν βωμὸν οὖσαν καὶ ξενίων?*

2) Atque etiam in sermone, nam barbarum istud *ἥμην* (146 C) et alibi legitur ubi non exspectes.

147 B Commemorato ab Aegyptio dicto illo de tyranno sene tamquam Thaletis „ἀλλὰ τοῦτο μὲν" εἶπεν ὁ Θαλῆς „Πιττακοῦ ἐστιν εἰρημένον ἐν παιδιᾷ ποτε πρὸς Μυρσίλον· ἐγὼ δὲ θαυμάσαιμ' ἂν" ἔφη „οὐ τύραννον ἀλλὰ κυβερνήτην γέροντα θεασάμενος".

Absurda ista egregie sic W. restituit: ἐγὼ δὲ θαυμάσαι μ' ἂν ἔφην, οὐ τύραννον κτἑ. Nunc lepidissime haec Thales addit: sed parum refert, meum enim facere possum istud οὐδὲ οὕτω κακῶς, si quidem idem non minus in tyrannum convenit quam in gubernatorem.

147 D „Recte agit" sic Thales pergit „Periander cum viris sapientibus confabulans, ὡς δὲ Θρασύβουλος αὐτῷ κολούσεις τῶν ἄκρων οὑμὸς πολίτης ὑφηγεῖται μὴ προσιέμενος".

Ipse locus arguit nomen Thrasybuli a sciolo additum.

148 B ἐπιὼν δὲ τούς τε δρόμους ἐθεᾶτο κτἑ.

Lege περιιών (π).

149 E Recte hic procedent omnia si cum W. legemus: „οἶμαι δ'" εἶπεν „ὦ Διοκλεῖς, καὶ πέρας ἔχειν τὸ σημεῖον" pro εἶχε.

150 B ἡ δ' Εὔμητις ἐκάθισε παρὰ τὸ δεῖπνον.

Absurda haec; recte, u. o., W. παρὰ τὸν Κλεόβουλον.

151 B ὁ δ' αὐτὸν ἐκέλευσε λύσαντα πάντα πᾶσιν ἐς μέσον ἀναγνῶναι.

Recte πάντα, cui nullus hic locus, delet R.

152 A „Falsa multa" Niloxenus ait, de viris sapientibus circumferuntur οἷα καὶ πρὸς ἡμᾶς εἰς Αἴγυπτον ἀπηγγέλη περὶ Χίλωνος, ὡς ἄρα διαλύσαιτο τὴν πρὸς Σόλωνα φιλίαν, ὅτι τοὺς νόμους ὁ Σόλων ἔφη μετακινήτους (δεῖν) εἶναι. (Illud δεῖν ego inserui.) Tum ille qui de convivio refert:

γελοῖος ὁ λόγος· οὕτω γὰρ δεῖ πρῶτον ἀποποιεῖσθαι τὸν Λυκοῦργον αὐτοῖς νόμοις ὅλην μετακινήσαντα τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν.

Optime haec decurrunt: Chilon Spartanus falso dicitur Soloni renuntiasse amicitiam, quia Solon leges mutabiles esse debere dixerit; falso, nam si Spartanus ille immutabiles eas esse voluisset, quid ei iudicandum fuisset de Lycurgo ipso?

Apparet Wyttenbachium omnia perturbasse μὴ μετακινήτους legendo.

ib. Biante auctore optimus sit rex „εἰ πρῶτος χρῷτο τοῖς νόμοις τῆς πατρίδος".

Rectissime: „ipse primus". *Exemplum* eius rei dare civibus rex debet. Non utor Graeci editoris invento *ἀτρόποις*.

152 D Reprehensus a Solone ob nimiam libertatem Aesopus respondet:

σὺ γὰρ οὔπω γέγραφας ὅτι ὅμοιον οἰκέτας μὴ μεθύειν, ὡς ἔγραψας Ἀθήνησιν οἰκέτας μὴ ἐρᾶν μηδὲ ξηραλοιφεῖν.

Isto *ὅτι ὅμοιον* quid faciam dubito; delet R., in *ὧδε νόμον* mutat W. Requiri aliquid videtur quod voci *Ἀθήνησιν* opponatur.

ib. Pro *Κλεόδωρος* W. *Κλεόδημος* reposuit, ut idem homo semper eodem nomine appellaretur. Eodem consilio Graecus editor ubique *Κλεόδωρος* legit. Difficilis optio.

152 E *πάλιν δ' ὁ Αἴσωπος „καὶ μήν" ἔφη „Θαλῆς ἔδοξεν εἰπεῖν ὅτι τάχιστα γηράσει".*

Ipsa nocte obscuriora haec.

153 C *ἀλλ' ἵνα μὴ δοκῶμεν εὐθύνειν τὰς τῶν ἑτέρων ἀποκρίσεις, τὰς οἰκείας ταῖς ἐκείνου παραβάλωμεν.*

Post *δοκῶμεν* excidisse *μόνον* videtur.

153 E *ἀποκρινάμενος οὐδὲν ἀλλ' ἢ [μόνον κελεύσας] κρόμμυα καὶ θερμὸν ἄρτον ἐσθίειν.*

Inclusa recte delet H.

154 E Quae esset optima democratia quinque iam sapientes dixerunt, *μετατραπεὶς δὲ ὁ Χίλων ἀπεφήνατο κτέ.*

Pro *μετατραπείς* H. *μετὰ τούτους*, Graecus editor *μετὰ τοῦτον*, utrumque satis languidum. Quidni *μεταστραφείς* legamus? Ex iis quae paulo ante (152 E) leguntur: *καὶ ὁ Χίλων ὑπολαβὼν ἔφη „διὰ τοῦτό τοι μᾶλλον ἀφεκτέον αὐτοῦ"* (sc. *τοῦ λαλεῖν ἐν οἴνῳ βρεχόμενον*) efficias severum illum Spartanum se tum a poculis et loquacibus istis convivis avertisse.

155 C „Etiamsi aliquis" Anacharsis ait „in fovea aliqua cum familiaribus bene moratis *κοινωνῇ τῶν ὑπόντων*, domus ea dici possit bene instructa".

Operariine vitium est istud *ὑπόντων*? In Wyttenbachiana et Didotiana recte *ὑπαρχόντων* legitur, quod retinendum. Certe non *ὑπόντων* legendum, requireretur enim hoc sensu *ἐνόντων*.

156 A Anacharsidi obiicit Pittacus quod ante annum nimis indulserit genio *παρὰ λίβυτ' ἀδελφῷ*.

Emendationem Madvigii *παρὰ Λιβυτάδῃ Δελφῷ* editor Graecus in calce paginae commemorat. Qualem ergo esse oportet emen-

dationem ut in textum recipiatur? Editori hoc quoque cavendum est ne nimis sit cautus et anxius.

ib. Ibi ergo Anacharsis *μεθυσθεὶς* poposcit *ἆθλον καὶ στέφανον.* Excidit *πρῶτος* ante *μεθυσθεὶς* (quod servavit Athenaeus 437 F), sed isto *καὶ στέφανον* melius carebimus. Apud Athenaeum pro *ἆθλον* legitur *νικητήριον.*

156 E *τὴν οἰνοχόην ἀτρέμα κεῖσθαι „κρητῆρος ὕπερθεν" .... ἀπηγόρευσεν Ἡσίοδος ἐν τοῖς πίνειν μᾶλλον ἢ διαλέγεσθαι δυναμένοις.*

Dele *ἐν*, strenuorum enim potatorum est nunquam cessare ab hauriendo et bibendo.

Sequitur locus 4 linearum (*ἐπεὶ .... πλησίον*) conclamatus. Qui tamen sensus requireretur recte perspexisse H. videtur.

157 A *ἐπεὶ πάλιν περὶ οἰκονομίας λόγος γέγονε ....*

Istud *περί* W. addidit, falso si quid video: sic enim etiam articulus esset addendus substantivo *λόγος*. Etenim *οἰκονομίας λόγος γέγονε* est: „oeconomiae est facta mentio", sed „nos de oec. colloqui coepimus" est *περὶ οἰκ. ὁ λόγος γέγονε.*

157 B Cleobulus fabulam a filia sua inventam de cane, qui hieme aedes sibi facere decrevisset cum iaceret contractus, sed aestate illud consilium missum faceret videns quantis sibi extento porrectoque opus esset aedibus narravit. Tum quid sibi ea fabula velit sic explicat:

οὐχ ὁρᾷς καὶ τοὺς μικροὺς νῦν μὲν εἰς μικρὰ κομιδῇ συστέλλοντας ἑαυτοὺς ὡς στρογγύλως καὶ Λακωνικῶς βιωσομένους, νῦν δέ, εἰ μὴ τὰ πάντων ἔχουσιν ἰδιωτῶν ἅμα καὶ βασιλέων, ὑπ' ἐνδείας ἀπολεῖσθαι νομίζοντας;

Istud *μικρούς* solito in Plutarchi textu vitio inde natum est quod, cum scribendum esset *ἀνοήτους* vel eiusmodi aliquid, librarii mens aberravit ad sequens *μικρά*. Mox (C) haec opponuntur: *ἀλλὰ καὶ τοὺς σοφοὺς ὑμᾶς ὁρῶμεν ἀνίσοις μέτροις τὰς κτήσεις νενεμημένας πρὸς ἀλλήλους ἔχοντας.*

157 D *καθάπερ τῷ νόμῳ τῷ λόγῳ.*

Prius *τῷ* non cum editore Graeco in *τῳ* mutandum, sed delendum est.

157 E *ἐκεῖνος* (Hesiodus) *γάρ ἐστιν* (ait Solon) *ὁ πρῶτος Ἐπιμενίδῃ σπέρματα τῆς τροφῆς ταύτης* (sc. *τῆς ἀλίμου*) *παρασχὼν καὶ ὁ ζητεῖν διδάξας*

ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Deleatur *καὶ ὁ*. Ista re docenda Hesiodus Epimenidi praebuit sui medicamenti principium.

157 F Hic Periander exclamat:

οἴει γὰρ τὸν Ἡσίοδον ἐννοῆσαί τι τοιοῦτον, οὐκ ἐπαινέτην ὄντα φειδοῦς ἀεὶ καὶ πρὸς τὰ λιτότατα τῶν ὄψων ὡς ἥδιστα παρακαλεῖν ἡμᾶς.

Transpone *καί* ut ante *οὐκ* legatur et haec condat sententia: „num putas Hesiodum aliquid eiusmodi (ut istud Epimenidis medicamentum) in mente habuisse *et non multo potius* ad vilissimos nos — ut est parsimoniae laudator — vocare cibos tamquam qui sint dulcissimi?"

τὰ δ' ἄλιμα ταῦτα καὶ ἄδιψα φάρμακα μᾶλλον ἢ σιτία πυνθάνομαι, καὶ μέλι καὶ τυρόν τινα βαρβαρικὸν δέχεσθαι καὶ σπέρματα πάμπολλα τῶν οὐκ εὐπορίστων.

Dele virgulam post *πυνθάνομαι*. Haec enim est sententia: „audio ista *ἄλιμα* medicamenta (medicamenta enim sunt non cibi) ex multis componi rebus paratu non facilibus."

πῶς οὖν οὐκ ἂν τῷ Ἡσιόδῳ , . . . „ἔργα βοῶν κτέ." εἰ τοσαύτης δεήσει παρασκευῆς;

Pro *ἐν* Pflugkius recte *ἂν* legit, sed simul negatio delenda et sic ordienda interrogatio: *πῶς ἂν οὖν τῷ Ἡσιόδῳ κτέ.* „qui carere bobus aratoribus poterimus, si tanto nobis opus erit apparatu?"

158 B Lepidissima est Cleodori observatio de Aesopo Hesiodi discipulo, dignissimaque Plutarcho.

158 D Egregie quid sit *βίος* hic explicatur, vide Wyttenbachii utilissimam annotationem.

ib. *δεινὸν μὲν οὖν, ὦ ἑταῖρε, καὶ τὸ τῆς γεωργίας αὐτῆς*: „ipsa quoque agricultura in summum veniet discrimen." Cur Graecus editor hic *αὐτῇ* legat me latet.

159 B *τὸν νεκρὸν ἀνατεμόντες ἔδειξαν τῷ ἡλίῳ.*

Recte ante *ἔδειξαν* W. inseruit *τὰ σπλάγχνα.*

Quae paulo post sequuntur sic cum Marklando sunt distinguenda:

ζῶν γὰρ οὐδεὶς ἀπ' οὐδενὸς τρέφεται ζῶντος, ἀλλὰ θανατοῦντες τὰ ἔμψυχα, καὶ τὰ φυόμενα, τῷ τρέφεσθαι καὶ αὔξεσθαι μετέχοντα τοῦ ζῆν, ἀπολλύντες, ἀδικοῦμεν.

159 D Quod hominis intestina et cum aliis *σκεύεσι* et cum *φρεωρύχοις* comparantur male me habet.

161 A Delphines συναγαγόντες (αὐτοὺς) εἰς ταὐτό κτἑ.

Supplementum est Wyttenbachii.

161 E Gloriae quadam cupidine salvus in patriam venire volebat Arion ὡς θεοφιλὴς ἀνὴρ φανείη καὶ λάβοι περὶ θεῶν δόξαν βέβαιον.

Delectat me iste ὀρθόδοξος cautor. Lege cum R. παρά pro περί.

161 F ἑστώσης δὲ πάντη τῆς θαλάσσης ἀκύμονος ὥσπερ τρίβον ἀνασχιζόμενον τῷ δρόμῳ, διανοεῖσθαι πρὸς αὐτόν κτἑ.

Sententiam loci utcunque dispicio, structura corrupta est neque quomodo emendem certus sum.

162 A ὁ Γόργος ἔφη .... ἐκπέμψαι πλοῖα καὶ στρατιώτας ἐπὶ τὰς καταρσεις φυλάξοντας.

Dele ἐπί.

163 C Cum filia Sminthei ex oraculi responso in mare demittebatur, iuvenis quidam amore eius captus παρὰ τὸν καιρόν accurrit eamque amplexus et ipse interire voluit.

Possuntne Graeca verba significare: „eo ipso temporis momento"?

163 D εἴ τις εἰδείη .... μάλιστ' ἂν .... διαφυλάττων.

Haeccine in textu servari, non recipi Wyttenbachii διαφυλάττοι!

164 C Χερσίας δ' οὑτοσί φησι τὴν Ἄτην (ἣν) ὑπὸ τοῦ Διὸς ῥιφῆναι κτἑ.

Sic recte supplet W. ut e praecedentibus subaudiatur λοιδορεῖν αὐτόν.

DE SUPERSTITIONE.

Quisquis fuit qui Plutarchi scripta collegit, hic certe eius mentem bene cognitam habuit. Nihil enim Plutarcho magis fuit persuasum quam certissimum ire qui medio eat. In convivio autem satis strenuum se praebuit miraculorum defensorem, hic autem se metuere declarat ne nimis miraculis obnoxios reddiderit homines curae suae commissos. Ergo vehementius etiam nunc impugnat infirmos et superstitiosos, remque eo deducit ut totam disputationem praeclara hac claudat sententia: quemadmodum saepe homines latronum vel ferarum metu abeunt in praeceps sic alii

Φεύγοντες τὴν δεισιδαιμονίαν ἐμπίπτουσιν εἰς ἀθεότητα τραχεῖαν καὶ ἀντίτυπον, ὑπερπηδήσαντες ἐν μέσῳ κειμένην τὴν εὐσέβειαν quod sive ab Aristotele sive ab alio sumpsit Plutarchus, certe *suum* fecit.

Iure autem maxime libellus noster inclaruit praestantissimo loco ubi demonstratur superstitiosum magis etiam impium esse quam *τὸν ἄθεον* (169 F). Si usquam, ibi Plutarchi vivam audis vocem.

164 E *τῆς περὶ θεῶν ἀμαθίας* altera pars *ὥσπερ ἐν χωρίοις σκληροῖς τοῖς ἀντιτύποις ἤθεσι τὴν ἀθεότητα,* altera *ὥσπερ ἐν ὑγροῖς τοῖς ἁπαλοῖς τὴν δεισιδαιμονίαν π ε π ο ί η κ ε.*

L. *ἐ μ π ε π ο ί η κ ε*, ut olim edebatur.

165 D *οὐ φοβεῖται θάλασσαν ὁ μὴ πλέων οὐδὲ πόλεμον ὁ μὴ στρατευόμενος, οὐδὲ λῃστὰς ὁ οἰκουρῶν οὐδὲ συκοφάντην ὁ πένης, οὐδὲ φθόνον ὁ ἰδιώτης, οὐδὲ σεισμὸν ὁ ἐν Γαλάταις οὐδὲ κεραυνὸν ὁ ἐν Αἰθίοψιν.*

Post *Γαλάταις* excidit *οἰκῶν.*

165 E *δεισιδαιμονία .... οὐδὲ τῇ ψυχῇ π ο τ ε γοῦν δίδωσιν ἀναπνεῦσαι.*

Immo *τότε* (cum Pflugkio) sc. in somno, de quo hic sermo est.

166 A Homines infirmi, somnio territi, *ὕπαρ ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς καὶ δαπανῶσι καὶ ταράττουσιν εἰς ἀγύρτας καὶ γόητας ἐμπεσόντες.*

Egregia est Wyttenbachii transpositio *ταράττουσι καὶ δαπανῶσιν.* Est enim *δαπανᾶν ἑαυτόν* rem familiarem suam dissipare.

166 C Infirmum hominem sic possis alloqui: *ὅ τι* [*τὸν ὕπνον*] *οἱ θεοὶ λήθην κακῶν ἔδοσαν ἡμῖν καὶ ἀνάπαυσιν, τί τοῦτο κολαστήριον σαυτῷ ποιεῖς ἐπίμονον καὶ ὀδυνηρόν;*

Manifestum emblema expulit Duebnerus. In sequentibus *τῆς ἀθλίας ψυχῆς εἰς ἄλλον ὕπνον ἀποδρᾶναι μὴ δυναμένης* servari *ὕπνον* velim.

167 A In somniis infirmorum

Ἅιδου τινὲς ἀνοίγνυνται πύλαι βαθεῖαι καὶ ποταμοὶ πυρὸς ὁμοῦ καὶ Στυγὸς ἀπορρῶγες ἀνακεράννυνται.

Recte *βαθεῖαι* dici videntur ipsae *πύλαι* siquidem *profunda* est vorago ad quam dant aditum, sed corruptum *ἀνακεράννυνται* censeo. Ecquid *ἀναπετάννυνται*? Foribus apertis *patent* ista et *conspiciuntur.*

167 D Rectissime quae turbata hic traduntur sic disposuit W.: *οἱ μὲν οὐχ ὁρῶσι τοὺς θεοὺς τό παράπαν, οἱ δὲ παρορῶσιν, οἱ μὲν οὐδ' ὑπάρχειν νομίζουσιν, οἱ δὲ δοξάζουσι φοβερὸν τὸ εὐμενὲς καὶ τυραννικὸν τὸ πατρικὸν καὶ βλαβερὸν τὸ κηδεμονικὸν καὶ τὸ ἀμή-νιτον ἄγριον εἶναι καὶ θηριῶδες.*

Praesertim illa dispositio eo commendatur quod sic *ὑπάρχειν* suam sibi vim obtinet, in vulgata est *κακοὺς ὑπάρχειν.* Recte etiam W. *ἀμήνιτον* dedit pro *ἄμικτον.*

167 E A verbis *κοινὸν ἀνθρώπων* non a *Φέρε δὴ πρῶτον* novum incipere caput debet. Novum enim hinc incipit argumentum.

168 A *εἰ καὶ μικρότατον αὐτῷ κακόν τι συμπεπτωκός ἐστιν,* alia magna affingit ipse, (recte *τι* delet H.) *παντὶ θρήνῳ καὶ παντὶ στεναγμῷ καθαπτόμενος.*

Ultimum vocabulum ut sit sincerum metuo. Quando recte *καθάπτεσθαι* ponatur docet 171 C ubi est „reprehendere”.

168 E Postquam narravit Tiribazum primum se acriter defendere coepisse, sed cognito se regis iussu prehendi gladium deiecisse, sic pergit: *ἄρ' οὖν οὐχ ὅμοιόν ἐστι τὸ γιγνόμενον.*

Certe aliquid hic post *τό* est inserendum, ut minimum *νῦν.*

169 A *ἦν δ' ἴσως καὶ Νικίᾳ .... κράτιστον οὕτως ἀπαλλαγῆναι .... ἢ φοβηθέντι κτέ.*

Aut cum H. *κρεῖττον* est legendum pro *κράτιστον* aut ante *ἢ* inserendum *μᾶλλον.*

169 B *δεινὸν τὸ τῆς δεισιδαιμονίας σκότος ἐμπεσόντος ἀνθρώπου συγχέαι καὶ τυφλῶσαι λογισμόν.*

Male editor Graecus *ἐκπεσόντος,* est enim *ἐμπεσόντος* hominis qui (in eas tenebras) incidit.

169 C Hic apparet de Christianismo nunquam quidquam audivisse Plutarchum. Nam si de Iesu praedicatione, qualem nos cognovimus, ullus ad eum pervenisset rumor, haud dubie hic eius fecisset mentionem, ubi de Iudaeis tam anxie Sabbata sua observantibus ut ultro in certam incucurrerint perniciem narrat.

169 D Cum feriae celebrantur in honorem deorum *τὸν ἄθεον* videbis *παραφθεγγόμενον ἀτρέμα* (an *ἠρέμα?*) *πρὸς τοὺς συνήθεις ὅτι τετύφωνται καὶ δαιμονῶσιν οἱ θεοῖς ταῦτα δρᾶσθαι νομίζοντες.*

Ne ipse quidem *ἄθεος* negare potest haec *fieri in honorem deorum.* Sed negat ista *θεοῖς ὁρᾶσθαι,* quod reponendum.

170 A Deus iratus *θηρίον ἔχων τοῖς καρποῖς. ἐφήσει.*

Dele *ἔχων* cum H., noli vero cum eodem 171 A: *ἡ δὲ δεισιδαιμονία τῇ ἀθεότητι καὶ γενέσθαι παρέσχεν ἀρχὴν καὶ γενομένῃ δίδωσιν ἀπολογίαν* delere *ἀρχήν*. Sic enim *τὸ γενέσθαι* legendum foret. Sed non ingrata haec ubertas qua teres atque rotunda existit periodus.

— B Vocabula de Diana barbara illustrent Lobeckii.

171 C Et hic et 167 D habes verbum *λυσιτελεῖ* sequente coniunctione *ἤ*, ut sit „*magis* prodest"·

171 E *οὐδὲν οὕτω πολυπλανὲς .... μᾶλλον ὡς τὸ τῆς δεισιδαιμονίας.*

Quis obloquatur Herchero *μᾶλλον* delenti?

REGUM ET IMPERATORUM APOPHTHEGMATA.

In libro *de Plutarcho philosopho* de hac sylloge sileri poterat. Nam lateatne sub ea pars aliqua collectionis a Plutarcho factae et qualis illa fuerit neque novimus neque equidem magnopere curo. Hoc mihi scire satis est Plutarchum dictis et narratiunculis, e quibus aliquid utilitatis percipi posset, componendis strenue dedisse operam. Hoc mentium medicum fecisse et ipsa res clamat et docet ipsius testimonium (*de Ira Cohibenda* p. 457 E):

διὸ καὶ συνάγειν ἀεὶ πειρῶμαι καὶ ἀναγιγνώσκειν οὐ ταῦτα δὴ μόνον τὰ τῶν φιλοσόφων, ἀλλὰ μᾶλλον τὰ τῶν βασιλέων καὶ τυράννων

qui locus etiam a Wyttenbachio affertur (cf. *Avondzon* ed. altera I, 47, II, 35 sq.). Sed non minus mihi constat hunce libellum *non* esse ab ipso Plutarcho consarcinatum sed ab homuncione quodam stupidissimo, qui praesertim Plutarchi Vitis usus est. Qui e quo genere fuerit hominum egregie docent duo loci:

p. 196 E. Postquam narravit quod dedisset magni animi documentum Scipio in funere Terentii, haec ex suo fonte adscripsit: *ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον*!

p. 199 D. De Catone haec narrat: *πλείονας δὲ πόλεις ἑλών, ὥς φησι, τῶν ἡμερῶν ἃς διέτριψεν ἐν τοῖς πολεμίοις κτέ.* In vita

Catonis c. X haec leguntur: *αὐτὸς δέ Φησιν ὁ Κάτων πλείονας εἰληΦέναι πόλεις ὧν διήγαγεν ἡμερῶν ἐν Ἰβηρίᾳ*, ubi isti *Φησιν* suus sibi locus est; a nostra collectione vocabula *ὥς Φησι* sunt quam alienissima.

De variis locis pauca annotabo, sed, ut opinor, cognitu haud ingrata.

172 C Traianum rogat — vel potius rogare se simulat scriptor — ut opusculum suum benevole accipiat

εἰ ὅρον ἔχει τινὰ πρὸς κατανόησιν ἠθῶν καὶ προαιρέσεων ἡγεμονικῶν.

Alteram lectionem *εἰ πρόσΦορον ἔχει τι* iure W. praetulisse videtur. Certe intelligo eam; sed quam exscripsi ipsa est nocte obscurior.

172 E Qui *Vitas* in suum usum vult convertere is abundare debet otio

ἐνταῦθα δὲ καὶ τοὺς λόγους αὐτοὺς καθ' αὑτοὺς ὥσπερ δείγματα τῶν βίων καὶ σπέρματα συνειλεγμένους οὐδὲν οἴομαί σοι τὸν καιρὸν ἐνοχλήσειν.

Isto *ἐνταῦθα* bene Plutarchum suum imitatur, frequens enim apud illum *ἐνταῦθα* pro *ἐνθάδε* (hoc loco significatur ipsa haec sylloge); pro *ἐνοχλήσειν* mallem aliud dedisset verbum, sed vel sic quid sibi velit apparet. Ut tamen totius loci constet ratio, prius illud *καί* est eliminandum: illic (in Vitis) apophthegmata cum rebus narratis mixta sunt, hic pura puta ea habes, ita ut brevi tempore possis percurrere.

173 E Ab Artaxerxe Satibarzanes iniustam rem petebat. Rex cognito eum certa pecunia corruptum id fecisse illam ei numerare iussit et

„λάβε" εἶπεν „ὦ Σατιβαρζάνη· ταῦτα μὲν γὰρ δοὺς οὐκ ἔσομαι πενέστερος, ἐκεῖνα δὲ πράξας ἀδικώτερος"

Ne Rex quidem Persarum negare potest se si pecuniam quamvis parvam impenderit pauperiorem fieri. Exime ergo *οὐκ*, habebis dictum egregium cuius haec sententia: „malo pauperior quam iniustior fieri".

173 F Mire *iustam uxorem* *γυναῖκα γνησίαν* appellat.

176 A Hospes quidam Dionysio pollicebatur se ei insidias quasdam aperturum. Cui cum aurem rex praebuisset, „da mihi" inquit „talentum ut videaris omnia iam cognovisse". Et dedit rex *προσποιούμενος ἀκηκοέναι καὶ θαυμάζειν τὴν μέθοδον τοῦ ἀνθρώπου.*

Non, ut opinor, admirari se simulabat hanc rationem sed revera et iure admirabatur; erat enim prudentissima. Lege ergo *θαυμάζων* pro *θαυμάζειν.*

176 E Agathocles, figuli filius, rerum potitus solebat ét fictilia et aurea vasa apponi iubere et haec filiis dicere:

„τοιαῦτα ποιῶν πρότερον νῦν τοιαῦτα ποιεῖ διὰ τὴν ἐπιμέλειαν καὶ τὴν ἀνδρείαν".

Sensu cassa haec. Lepide dictum restitues pro *ποιεῖ* legendo *ποιοῦμαι.* „Ipse olim meis manibus faciebam fictilia, nunc aurea alios mihi facere iubeo".

181 D Cum quidam Alexandri res gestas praestare Herculis operibus dixisset, ille *„ἀλλ' ἐγώ" εἶπε „τὰς ἐμὰς πράξεις μετὰ τῆς ἡγεμονίας ἑνὸς οὐ νομίζω ῥήματος ἀνταξίας εἶναι τοῦ Ἡρακλέους".*

Vertunt ultima: „ne uni quidem dicto Herculis aequalia arbitror". Si sanus locus, haec esse debet sententia: „ipsum *nomen* Herculis ineptam vestram confutat adulationem".

182 E Antigonus cum Anaximenis rhetoris discipulum orationem habentem audiret, quam bene ille meditatus erat, aliquid eum rogavit. Quo tacente *„τί λέγεις" εἶπεν, ἢ*

„ταῦτ' ἐστὶ τὰν δέλτοισιν ἐγγεγραμμένα;"

Nullam hinc extundo sententiam. Suspicor, versu Euripidis leviter mutato, sic olim scriptum fuisse: *„τί λέγεις" εἶπεν „οὐ*

ταῦτ' ἐστὶν ἐν δέλτοισιν ἐγγεγραμμένα;

Hoc sensu: „heus tu, ecquid id quod ego te rogo non habes in libello quem tam diligenter edidicisti?" De *τί λέγεις* v. Avondzon (2ª ed.) v. I 269.

184 D *Ἀντίοχος ὁ στρατεύσας δεύτερον ἐπὶ Πάρθους κτέ.*

Quantocius repone *Ἀντίοχος ὁ δεύτερος στρατεύσας ἐ. Π.* Etiam in praecedentibus citatur *Ἀντίοχος ὁ πρῶτος, ὁ δεύτερος, ὁ τρίτος.*

185 F *Μυρωνίδης παρήγγειλεν ἔξοδον Ἀθηναίοις ἐπὶ Βοιωτοὺς στρατεύων.*

Ultimum vocabulum ex annotatione adhaesisse suspicor.

186 D Alcibiades *ἔχων κύνα πάγκαλον ἐωνημένον ἑπτακισχιλίων δραχμῶν κτἑ.*

Immo *ἐωνημένος* quemadmodum et in Vita.

187 A *παρατασσόμενος δὲ τοῖς βαρβάροις ἔφη δεδιέναι, μὴ τὸν Ἰφικράτην οὐκ ἴσασιν, ᾧ καταπλήττεται τοὺς ἄλλους πολεμίους.*

Ipse epitomator quod ante oculos habebat non intellexit. In fonte eius non *τὸν Ἰφικράτην* erat sed *τὸ Ἰφικράτους ὄνομα.* Ipsum Iphicratis nomen timorem incutiebat Graecis, barbaris incutere vix poterat.

188 B *ὀργιζομένων δὲ τοῖς Βυζαντίοις τῶν Ἀθηναίων, μὴ δεξαμένων τῇ πόλει πεμφθέντα μετὰ δυνάμεως βοηθὸν αὐτοῖς πρὸς Φίλιππον κτἑ.*

Solito in Plutarchi codicibus vitio nocuerunt inter se vocabula vicina: natum enim istud *ὀργιζομένων .... δεξαμένων* ex *ὀργιζομένων .... δεξαμένοις.* Nam sic esse legendum Phocionis docet dictum quod sequitur: „nolite succensere sociis, si nostris ducibus fidem non habent, sed succensete ducibus, quibus fides non habetur".

189 E *ἐκέλευε δὲ* (Lycurgus) *τὰς οἰκίας ποιεῖν ἀπὸ πρίονος καὶ πελέκεως· αἰσχύνεσθαι γὰρ εἰς οἰκίας λιτὰς ἐκπώματα καὶ στρώματα καὶ τραπέζας πολυτελεῖς εἰσφέροντας.*

Verbo non opus est ad demonstrandum hic futurum *αἰσχυνεῖσθαι* requiri.

190 A *Θεόπομπος ἔν τινι πόλει πρὸς τὸν ἐπιδεικνύμενον τὸ τεῖχος αὐτῷ καὶ πυνθανόμενον εἰ δοκεῖ καλὸν καὶ ὑψηλὸν εἶναι „οὐδ' εἰ γυναικῶν" εἶπεν „ἦν".*

Tribus aliis locis (212 E; 215 D; 230 C) fortis viri dictum integrum est servatum; hic duo additamenta illud corruperunt: *οὐδέ* et *καὶ ὑψηλον.* Ludicrum est istud: „si mulierum (vel: ne si mulierum quidem) essent moenia, *celsa* essent". Simile additamentum invenies 221 F.

191 D Agesilaus in Aegypto bellum gerebat; regis adversarii,

cui auxilio venerat, numero erant multo superiores. Quos cum videret se vallo munire rex, impetum in eos facere iussit; noluit Agesilaus intelligens vallo isto suas copias hostium exercitui pares fieri. Quod et docuit eventus, etenim

ἔτι μικρὸν ἀπολιπούσης τῆς τάφρου συνάψαι κατὰ τοῦτο παρατάξας τὸ διαλεῖπον καὶ πρὸς ἴσους ἴσοι ἀγωνισάμενοι ἐνίκησαν.

Inutilis annotatio *τὸ διαλεῖπον* in alienam praeterea sedem irrepsit; expunge (nolim enim traiicere ut fiat *τοῦτο τὸ διαλεῖπον*) et *παρέταξε* lege, sanus fiet locus. Hoc enim est quod Xenophon appellat *ταμιεύειν ὁπόσοις βούλει μάχεσθαι.* Verbum *παρατάξας* etiam sine obiecto poni potest.

193 B Absurdo nonnumquam sermone utitur noster, velut hic *Ἰάσονα θεασάμενος* est: „vultu in Iasonem converso". Eiusdem farinae est *μετεμέλοντο ταῖς ὁμολογίαις* 196 D.

194 E Pelopidas ab Alexandro in vincula coniectus ab Epaminonda in patriam reductus gratias se habere Alexandro aiebat, idque hoc argumento:

πεπείραται γὰρ ἑαυτοῦ νῦν μάλιστα οὐ μόνον πρὸς πόλεμον ἀλλὰ καὶ πρὸς θάνατον εὐθαρσῶς ἔχοντος.

Aut legendum *πεπείραμαι γὰρ ἐμαυτοῦ* aut restituendum quod W. habet: *πεπειρᾶσθαι.*

195 A Nullus est liber tam futilis quin suos sibi scholiastas nactus sit. Velut hic in narratione de Pyrrho et Fabricio:

τὸν μέγιστον ἐλέφαντα τοῦ Πύρρου παρασκευάσαντος ἐξόπισθεν τῷ Φαβρικίῳ ῥήξαντα φωνὴν ἐπιφανῆναι, ἐπιστραφεὶς ὁ Φαβρίκιος κτἑ.

post *ἐπιφανῆναι* irrepsit scioli annotatio *καὶ τούτου γενομένου* quo facto plane perturbatur oratio.

199 A *Τὴν δ' ἀδικίαν ἔλεγε* (Cato) *τοῖς ἀδικοῦσι κἂν μὴ κίνδυνον ἅπασι φέρειν.*

Excidisse hinc non pauca W. censet, mihi abundare *καί* (in *κἄν*) videtur, quo expuncto egregiam hanc obtinebimus sententiam: „periculum omnibus affert iniuria si non affert auctori" i. e. certa manere poena maleficum debet aut in perpetuo periculo versabuntur omnes cives.

200 E *ἐκπεμφθέντα δ' αὐτὸν ὑπὸ τῆς βουλῆς τρίτον κτέ.*
Transpone ut fiat *τρίτον αὐτόν.*

202 A Cum Metellus de impetu in arcem quandam hostium faciendo deliberaret centurio quidam aiebat
ὡς ἐὰν δέκα μόνους ἀποβάλῃ λήψεται τὸ χωρίον.
Tum Metellus: „ecquid ipse unus eorum esse vis?"
Absurdum est dicere quamvis paucis militibus *amissis* locum expugnari posse. Neque opus erat centurionem rogare velletne in eorum esse numero. Quis enim vult *perire*? Legendum arbitror: *ἀπολάχῃ* ut hoc dicat centurio: tam ignavi sunt hostes et tam fortes tui milites ut decem eorum, *quos sorte duxeris*, huic pares sint negotio; ne *eligere* quidem opus est.

203 D Pompeius Mamertinos *οἷός τε ἦν ἀποσφάττειν ἅπαντας.* Sequitur illa narratio quam Plutarchus in deliciis habet de Sthenio omnem culpam in se convertente. Lege *οἷος ἦν*: volebat mactare, in eo erat ut mactaret.

206 F „Non metuo" sic hic loquens inducitur Caesar *„τοὺς βαναύσους καὶ λιπῶντας, ἀλλὰ τοὺς ἰσχνοὺς καὶ ὠχρούς".*
Quid in *βαναύσους* lateat nescio, in Vita est *παχεῖς καὶ κομῶντας*. An sic Latinum *urbanos* redditur?

ib. Octavianus *Ἀντώνιον ἀπῄτει δισχιλίας πεντακοσίας μυριάδας τοῦ πρώτου Καίσαρος ἀναιρεθέντος ἐκ τῆς οἰκίας ἃς πρὸς αὐτὸν ὁ Ἀντώνιος μετήνεγκεν.*
Locum turpiter depravatum certa emendatione sanare possumus: pro *οἰκίας* legamus *οὐσίας* et ista *ἐκ τῆς οὐσίας* ponamus ante *τοῦ πρώτου*. Certam emendationem esse manifesto apparet e Vita Ciceronis c. 43 in fine: *ἃς Ἀντώνιος ἐκ τῆς οὐσίας κατεῖχεν.*

APOPHTHEGMATA LACONICA

Eadem est huiusce libelli atque praecedentis ratio, excerptus est e variis vitis sed fortasse compilatori prae manibus fuerunt excerpta quae ipse Plutarchus fecerat. Sermo et in hoc et in

altero libello — id quod identidem et Wyttenbachius observat — plane Plutarcheus.

De hisce locis proferre aliquid in medium velim:

208 B Agasicles mirante quodam quod, discendi cupidus cum esset, sophistam quendam non admitteret respondit

τούτων χρῄζω μαθητὴς εἶναι, ὧν εἰμι καὶ υἱός.

Ain vero? A solisne parentibus discere volebat rex? At hi, ut opinor, iam mortui erant, neque quisquam sic parentes suos significat. Uno deletò vocabulo *εἰμι* egregiam sententiam lepide enuntiatam obtinebimus: hunc solum habere magistrum volo quem et patrem habere velim, i. e. quem tamquam patrem suspicere et venerari possim. Sophistam istum fama fuisse adversa sponte intelligimus.

208 D Agesilaus, cum ei a magistro locus minus honestus esset assignatus, paruit

καὶ εἶπεν· εὖγε· δείξω γὰρ ὅτι οὐχ οἱ τόποι τοὺς ἄνδρας ἐντίμους, ἀλλ' οἱ ἄνδρες τοὺς τόπους ἐπιδεικνύουσι.

Immo vero *ἀποδεικνύουσι faciunt, reddunt.*

208 E *προστάττοντος δέ τινος αὐτῷ ἰατροῦ περιεργοτέραν θεραπείαν [καὶ οὐχ ἁπλῆν] „νὴ τὼ θεώ" Φησίν „οὐ πάντως μοι πρόκειται ζῆν" [οὐδὲ πάντα ἀποδέχομαι].*

Suum sibi magistellum magistellus nactus est!

209 D *Μεγαβάτου δὲ τοῦ Σπιθριδάτου παιδός, ὃς ἦν κάλλιστος τὴν μορΦήν, προσελθόντος αὐτῷ ὡς ἀσπασομένου καὶ Φιλήσοντος .... ἐξέκλινεν.*

Solito in Plutarchi codicibus vitio vicinus genitivus *προσελθόντος* dativos *ἀσπασομένῳ καὶ Φιλήσοντι* corrupit. Sequuntur haec:

ὡς δὲ ἐπαύσατο ἐκεῖνος προσιών, ἐπεζήτησεν αὐτὸν ὁ Ἀγησίλαος· τῶν δὲ Φίλων Φαμένων ὡς αὐτὸς εἴη αἴτιος, τρέσας τὸ τοῦ καλοῦ Φιλήματος ἐλθεῖν, καὶ, εἰ μὴ ἀποδειλιάσει, ἥξειν ἐκεῖνον κτὲ.

Locum mutilum sic supplet B: *τρέσας τὸ τοῦ καλοῦ Φίλημα, τοῦ μὴ ἐντὸς Φιλήματος ἐλθεῖν.* Aliquanto melius, ut opinor, W.: *τρέσας τὸ τοῦ καλοῦ Φίλημα· καὶ νῦν ἔτι ἐντὸς Φιλήματος, εἰ μὴ αὐτὸς ἀποδειλιάσει, ἥξειν ἐκεῖνον.*

212 D Lysandri orationem seditiosam, post mortem eius inventam, Agesilaus in lucem edere volebat ut scirent omnes quam malus ille fuisset civis:
ἐπεὶ δέ τις τῶν γερόντων τὸν λόγον ἐπελθὼν καὶ φοβηθεὶς τὴν δεινότητα συνεβούλευε μὴ τὸν Λύσανδρον ἀνορύττειν, ἀλλὰ τὸν λόγον μᾶλλον αὐτῷ συγκατορύττειν morem ei gessit.

Nihili est *ἐπελθών*. Lege *διελθών*: oculis orationem *percucurrit* ille senator.

213 B Turpis erat pax Antalcidae, tradidit enim regi
τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ Ἕλληνας, ὑπὲρ ὧν ἐπολέμησεν Ἀγησίλαος .... ὅθεν δὴ κάκιστα συνέβη τῆς κακοδοξίας ταύτης Ἀγησιλάῳ μετασχεῖν.

Iannotii coniecturam *ἥκιστα* (pro absurdo *κάκιστα*) recepit B. Sed nihil ea proficimus. Legendum *μάλιστα*. Maxima pars turpitudinis in Agesilaum redundavit: privabatur enim praecipua sua gloria, quam ei bellum afferebat.

213 D *Καλλίου τοῦ Λ α κ ε δ α ι μ ο ν ί ο υ.*
En praeclarum historicum!

214 F Dolus, quo in re divina facienda Agesilaus ut sociis anxiis animum adderet usus est, sic narratur:
ἐπὶ τὴν ἀριστερὰν ὑπεστρωμένῃ τῇ χειρὶ νίκην προσέγραψε.

Praeclare W. emendavit *ὑπεστραμμένην νίκην*: manui inscripsit vocabulum *νίκην* sinistrorsum conversum. Quid deinde factum sit cum imponeretur iecur sponte apparet.

216 B Quantis fuerint obnoxiae periculis huiuscemodi syllogae egregie docet hic locus. Relatum est lepidum illud notumque dictum quo Agis refutavit antiquarium lamentantem *τἄνω κάτω γέγονεν*. Respondit enim: „ergo omnia nunc recte habent, istud enim pater meus puero mihi dicere solebat”. Sed addidit stolidissimus quidam homuncio: *ἔφη δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτῷ παιδὶ ὄντι τοῦτ' εἰρηκέναι· ὥστ' οὐ χρὴ θαυμάζειν εἰ χείρω τὰ μετὰ ταῦτα τῶν προτέρων, ἀλλ' εἴ που βελτίω καὶ παραπλήσια γένοιτο*, quae nihil intelligentis sunt. Quis iam praefracte neget et hanc et alias collectiones tamquam ex primario fonte ex aliqua ab ipso Plutarcho composito fluxisse opusculo? Cf. 216 E ubi Acrotatus, adolescens vere Spartanus, verbosus fit sophista.

217 D Antalcidas in Samothrace a sacerdote rogatus *τί δεινότερον δέδρακεν ἐν τῷ βίῳ* respondit: „non tibi sed diis hoc dicam". Cf. 229 D ubi simile aliquid de Lysandro narratur. Sed nostro loco verba *εἴσονται αὐτοὶ οἱ θεοί* sic verterim potius: „verisimile est deos id novisse (ut tibi dicere opus non sit"). Et pro *δεινότερον superlativus* legendus videtur.

218 A Hic deprehendis *doctum* compilatorem disputantem utrum sapiens quoddam dictum (quod ille *χρείαν* appellat) Socratis sit an Aristonis Spartani.

218 D Corinthum, quam oppugnabat, capi posse intellexit cum *εἶδεν ἐκ τοῦ περὶ τὸ τεῖχος τόπου λαγωοὺς ἀναστάντας.*
Ecquid *ἔκ του*?

218 F Archidamus iunior cum suaderet quidam ut procul a patria committeret proelium
οὐ τοῦτο, ἔφη ὁρᾶν δεῖ, ἀλλ' οἱ μαχούμενοι κρείσσονες τῶν πολεμίων ἐσόμεθα.
Pro *οἱ* B. *οἶ*. Lege *εἰ*.

219 D Brasidas ad bellum profectus ephoris scripsit:
ἅσσα δηλῶμαι πράξω κατὰ πόλεμον ἢ τεθναξοῦμαι.
Pro *δηλῶμαι* exspecto aliquid quod „iussus ero" significet. An *ἅσσα δὴ λῶ* scripsit Brasidas? Hoc sensu: quidquid consilii cepero perficiam nisi in proelio cecidero.

220 F In qua barbarie natum censeas hominem qui *ποδαπός* pro *ποῖος* scripserit?

222 E *τοῦ δὲ Κύρου τὸν μισθὸν προπέμψαντος τοῖς στρατιώταις καὶ ξένια αὐτῷ, μόνον ἔλαβε τὸν μισθὸν τὰ δὲ ξένια ἀντέπεμψε* (Callicratidas)
Estne *ἀντέπεμψε remisit,* an *ἀπέπεμψε* legendum?

223 F Cleomenes, sophista dicente de virtute *πλεῖω ἐγέλασε.* Quid sibi velit istud *πλεῖω* nescio; an *τοῦ εἰωθότος* excidit?

233 A *ἐπεὶ δέ τις τὰς ἀμυγδαλᾶς τῶν σκληρῶν ἑώρα διπλασίου πωλουμένας, „μὴ σπάνιοι" ἔφη „οἱ λίθοι;"*
Immo *τῶν ἀμυγδαλῶν τὰς σκληράς* et sic vertit X.

234 D *Σπαρτιάτης ἐρωτηθεὶς εἰ ἀσφαλὴς ἡ εἰς Σπάρτην ὁδὸς εἶπεν· ὁποῖος καθίσῃς.*

Responsum istud varie tentatum sic in integrum restituatur: *ὁποῖός κα ἴῃς*: „prout ipse es qui eo iter facis". Sic demum recte illustrandi causa additur: *οἱ μὲν γὰρ λέοντες βαδίζοντι ὅπα κα λέωντι, τὼς δὲ λαγὼς ἐπὶ τᾷ σκηνᾷ θηρεύομες.*

INSTITUTA LACONICA.

Lepide sane et prudenter Wyttenbachius:

„De hoc libro item censeo ut de antecedente; ut eum nec germanum nec spurium pronunciare firmiter audeam. Nam materia quidem est Plutarchea, collecta maximam partem ex Vita Lycurgi: idque vel ab ipso Plutarcho vel postea ab alio homine; neque enim rationem video quominus vel alterutrum vel etiam utrumque fieri potuerit".

Haud tamen facile mihi persuadebitur Plutarchum e Vitis suis excerpta fecisse: dudum ea fecerat priusquam vel Vitas vel Moralia scribere inciperet; atque ad ea *aliquo modo* referenda esse et haec *Instituta Laconica* et varia illa *Apophthegmata* quis praefracte neget?

Multo vero minus mihi probatur id quod paulo post idem disputat: „illud fortasse haud leve sit auctoritatis indicium, quod in fine p. 239 E et seq. Lacedaemonii propter spreta ac deserta maiorum instituta reprehenduntur, eosque hoc nomine per quandam scriptionem a se reprehensos esse ipse profitetur Plutarchus in vita Lysandri (c. 17 fin.): „*περὶ μὲν οὖν τούτων καὶ δι' ἑτέρας που γραφῆς ἡψάμεθα Λακεδαιμονίων*". (Interiectis paucis paginis eadem recurrit disputatio ad 239 E).

Nam in hocce libello tota illa reprehensio una absolvitur pagina, at loco in vita Lysandri, si quid video, *integer* de eo argumento significatur liber.

Quid quod ipse se Wyttenbachius refutat ad 240 B docte sic disputans: „hic et sequens totus locus, nescio quomodo, alienus a Plutarchi auctoritate ac supposititius videtur. Nam ipse alibi Plutarchus ita loquitur quasi sua adhuc aetate viguerint instituta Lacedaemoniorum e. q. s.".

An forte caput 42 W. abiicere, cetera *ipsi Plutarcho* vult vindicare? Cui istud probabitur? Noster haud dubie hac in re Xenophontis Cyropaediam cum suo epilogo est secutus.

Quod autem dicit W.: „statum Graecorum sub Romanis *δουλείαν* dicere nec cum Plutarchi prudentia nec cum veritate satis congruit" id partim falsum est, partim verum. Non enim *Romanorum* imperium *δουλείαν* appellat, sed eo vocabulo respicit id quod modo dixit *ὑπὸ τῶν ἰδίων πολιτῶν ἐτυραννεύθησαν*, atque istis *εἰς δουλείαν μετέστησαν* hanc libelli adiicit clausulam: *καὶ νῦν* (i. e. aliquanto post istam *δουλείαν* atque *τυραννίδα*) *ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο.* Sed recte iudicat W. vel sic quae de Romano imperio hic legantur parum congruere cum aliis Plutarchi locis (praesertim in *praeceptis Reipublicae gerendae*), ubi felices praedicantur Graeci quibus *liceat* parere Romanis. Hoc vero verissimum: „oratio durior et praefractior videtur quam pro Plutarchi ratione et modestia".

Denique: et hunc libellum aliquanto post Plutarchum ex eius libris excerpsit magister aliquis. Sed et ipse Plutarchus haud dubie in suum discipulorumque usum sedulo eiusmodi syllogas composuit; diu post mortem eius in manibus eae erant docentium discentiumque, quorum illi eas in suos receperunt libellos. Quod quomodo fecerint iam diiudicari nequit. Hoc unum intelligimus: sic factum esse ut genuinae Plutarchi syllogae perirent.

Ad huiusce libelli orationem quod attinet, omnino parum distat a Plutarchea; barbariem redolet quod bis (240 A et B) *μεταξύ* ponitur pro *ἔπειτα*, et alia quaedam vocabula serioris aetatis videntur. Quae sedulo colligere quid attinet? Vel sic intelligimus libros per multa saecula magistrorum puerorumque tritos manibus varias contraxisse maculas.

De singulis locis haec observo:

235 E *δοκιμαζομένου μάλιστα παρ' αὐτοῖς τοῦ μέλανος λεγομένου ζωμοῦ, ὥστε μὴ κρεαδίου δεῖσθαι τοὺς πρεσβυτέρους, παραχωρεῖν δὲ τοὺς νεανίσκους.*

Solitum in Plutarchi textu vitium recte sustulit Turnebus *τοῖς νεανίσκοις* legendo.

238 D *τῶν δὲ ταφῶν ἀνεῖλε* (Lycurgus) *τὴν δεισιδαιμονίαν .... πλησίον ἔχειν τὰ μνημεῖα τῶν ἱερῶν συγχωρήσας.*

Mirum consilium! Fraudi fuit magistello vox ἠρίον in ἱερόν corruptum. Auctor eius scripserat πλησίον ἔχειν τὰ ἠρία σ. Licebat cuique civium suum sibi sepulcrum habere prope aedes suas.

Eodem modo iudico de libello c. t.

LACAENARUM APOPHTHEGMATA.

240 F Gyrtiadis dictum οὐ δεῖν τοὺς ἀγαθοὺς βοᾶν ἀλλ' ἰατρεύεσθαι non intelligo. Corruptum videtur ultimum vocabulum.

241 A ἄλλη ἀκούσασα τὸν υἱὸν ἐν παρατάξει πεσόντα ἔφη· „δειλοὶ κλαιέσθωσαν· ἐγὼ δέ σε, τέκνον ἄδακρυς καὶ ἱλαρὰ θάπτω τὸν καὶ ἐμὸν καὶ Λακεδαιμόνιον".

Expunctis verbis καὶ ἱλαρά sat bellum restat distichon; novicia forma κλαιέσθωσαν antiquum vocabulum sua expulit sede.

241 D Χίων φυγάδες ἐλθόντες εἰς Σπάρτην πολλὰ Παιδαρήτου κατηγόρουν· μεταπεμψαμένη δὲ αὐτὸν ἡ μήτηρ αὐτοῦ Τελευτία κτἑ.

Immo vero αὐτούς. In classe remanebat Paedaretus eique *scripsit* mater se turpia de eo ex legatis audivisse.

MULIERUM VIRTUTES.

Hinc intellegitur quales fere fuerint συναγωγαί illae quas se, quamdiu mentibus hominum curandis dederit operam, sedulo parasse Plutarchus aut diserte testatur aut tacitus significat. Nam licet *librum* hunc de mulierum virtutibus unius de suo grege mulieris causa composuerit, materiem diu in promptu habebat, sive iam ante praeclara mulierum facta collegerat sive ea nunc ex ampliore excerpsit volumine virtutis fortitudinisque exempla complexo. Hoc ergo primum liber hic habet cur inter Plutarchi scripta insignem obtineat locum. Alterum ad totam antiquitatem pertinet. Christianorum de virtute opinionem (sive, ut docto utar vocabulo, *philosophiam moralem*) magnopere discrepare ab ea quam gentilium magistri tradere sint soliti, sciunt omnes et quaevis fere pagina Latine Graeceve scripta docere potest. Sed nescio an nusquam magis illud quam hic appareat. Certe equidem non memini me usquam legere hanc doctrinam tam aperte (et paene dixerim tam impudenter) propositam:

„bonum et laudabile sit id quo tendis, qua via eo pervenias parum refert". Etenim dummodo patria liberetur, tyrannus occidatur, hostes vincantur, omni fraudis, fallaciae, crudelitatis genere uti licere haud pauca exempla hic a Plutarcho collecta docent clamantque. Nolo tamen eam rem bono meo pastori vitio vertere: bona fide quod ipsi erat persuasum gregi suo tradidit, cuius commodis prospicere ex animi sententia cupiebat. Ergo ne ob eam quidem causam eum reprehendo quod de „suicidio" (sic enim loquimur vocabulo parum Latino) tam diversa a nostra religione docuerit. Damnat illud fides Christiana et tam severe quidem olim damnavit ut siquis vivus rogo traditus de industria fumum ore excepisset ut intercluso spiritu suffocaretur potius quam flammis cum diro cruciatu absumeretur, omnem martyrii amitteret gloriam [1]). Plutarchus de eo idem semper statuit quod Stoici, quorum dictum illud: „propinquus est portus, huc dirige naviculam tuam quassatam" ei in deliciis fuisse videtur, sed hic tamen sententiam suam planius quam usquam alibi profert. Cum summo enim contemptu (p. 263 B) loquitur de tyranno illo qui ad incitas redactus *ἔπαθεν ὅμοια πολλοῖς τῶν κακῶν καὶ ἀνοήτων· τὸν μὲν γὰρ θάνατον ἐφοβεῖτο, τῷ βίῳ δ' ἤχθετο· βουλόμενος δὲ μὴ ζῆν, προέσθαι δὲ τὸ ζῆν μὴ δυνάμενος* (lenia se tabescere morte passus est). Conferri possunt quae de morte Ciceronis Plutarchus dicit.

Ad proprium huius libri redeo consilium. Docere vult Plutarchus *μίαν εἶναι καὶ τὴν αὐτὴν ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἀρετήν*, sed nusquam manifestius eum deprehendimus in illo vitio, quod neque omnino turpe mihi videtur et in mentium certe medico aequo animo ferendum puto: prae ea re quam consectatur, hominum salutem et prosperitatem dico, nihili facit omnem *ἀκρίβειαν* atque ipsam artem „logicam". Recipit enim in hunc librum exemplum Stratonices quae, cum se sterilem esse intellexisset, ipsa ad maritum Deiotarum pellicem adduxit e qua successorem sibi procrearet prolemque ex ea natam materno amore est complexa. Eant viri et hoc exemplum imitentur!

Et scripsit librum Cleae, quam olim disputatione philosophica

---

1) Hoc me Naberus docuit literis illis de quibus narravi in praefatione libri c. t. „de Avondzon" iterum editi.

consolatus est maerentem ob Leontidis mortem (sororem eam fuisse Cleae, licet non dicat Plutarchus, sponte intelligimus). Est eadem illa Clea, cui postea librum *de Iside et Osiride* misit. Postea, aio, nam tunc erat matura iam mulier, non solum initiata sacris Osiriacis sed etiam *regina* [1]) Thyiadum Delphicarum. Et perdoctam eam esse oportuit quae spissum illud volumen perlegere potuerit, quod nunc praeter doctos Aegyptologos vix ullum sit inventurum lectorem. At quo tempore nostrum accepit libellum vera erat mulier, venustatis et elegantiae amantissima. Lege mihi praefationem illam lepidissimam humanissimamque: concedes te numquam quidquam vidisse aptius ad animos mulierum virginumque captandos. Hinc illud quoque natum opinor quod tam limpido elegantique sermone liber scriptus est, fere nusquam haeres et si inspicis annotationem editoris criticam vix unquam haesisse alios, vix quidquam turbasse librarios videbis.

Denique licet Cleae nomen in fronte gerat, ab omnibus, quotquot erant in orbe terrarum viri mulieresque cultiores, legi librum suum voluit Plutarchus, a Romanis praesertim: ideo ex historia Romana tam multa sunt petita exempla.

De singulis locis haec annoto: cur tam pauca iam norunt qui meam de toto libro legerunt disputatiunculam.

243 F Censebant Troianae *εὖ τε καὶ κ α λ ῶ ς πράττουσιν ἀνθρώποις* longis navigationibus praestare sedem certam. Iusto verecundius editor emendationem suam *κακῶς* in calce paginae posuit: in textum oportuit receptam, item ut Dinsii illam p. 244 C *τοὺς Φωκεῖς α ὐ τ ο ὺ ς μ ὲ ν .... τὰς δὲ γυναῖκας* pro *μὲν αὐτούς*, et p. 245 B *συναγανακτούντων καὶ σ υ μ π α ρ ο ξ υ ν ό ν τ ω ν* pro *συμπαρόντων*. Haec quoque editoris Graeci aptissima medicina. Idem rectissime 247 F *αὑτούς* pro *αὐτούς* coniecit.

249 D Milesiae, ne nudae efferrentur, suspendio finire vitam desierunt. De ea re sic disputat philosophus:

μέγα δὴ τεκμήριον εὐφυΐας καὶ ἀρετῆς ἡ τῆς ἀδοξίας εὐλάβεια, καὶ τὸ πρὸς τὰ δεινότατα τῶν ὄντων, θάνατον καὶ πόνον, ἀδεῶς

---

1) p. 364 E codices habent *ἀρχικλὰ μὲν οὖσαν ἐν Δελφοῖς τῶν Θυιάδων*. Pro primo vocabulo Naberus legere vult *ἀρχιβασίλειαν*, sed, ni fallor, *ἀρχιβασιλέα* eam dicere licet, quae vox lectioni traditae est quam simillima.

ἐχούσας, αἰσχροῦ φαντασίαν μὴ ὑπομεῖναι μηδ' ἐνεγκεῖν αἰσχύνης μετὰ θάνατον ἐσομένης.

Non cohaerent haec, sed exime istud plane inutile *αἰσχροῦ*, sententiolam habebis lepidissime tornatam.

In textum receptas oportuit has emendationes: 251 D *ἐπεφαίνοντο* pro *ἐπεφέροντο* (Cobeti), 253 C *αὐτῇ* pro *αὐτῷ* (Dinsii), *ταὐτά* pro *ταῦτα*, deleto *ὅμοια* (Cobeti), 253 E *αὐτῆς* pro *αὐτήν* (editoris), 254 A *ἤρετο* pro *ἐνενόει* (Cobeti), 254 C [*ἔχων καὶ*] *πεπιστευμένος ἔρυμα* (Cobeti), 254 E *καὶ θεασαμένη* (insertum ab editore), 255 C *ἐξεκάλεσαν* pro *ἐξεκαλέσαντο* (Cobeti), 255 D *κατέλαβον* pro *κατελάβοντο* (editoris), 258 E [*ἀμαθὴς καὶ*] *ἀκρατής* (Cobeti), 261 F *κομᾶν* pro *κόμαις* (M.).

258 C Cognito venenum se bibisse tyrannus *ἐπέβη μὲν ὀχήματος ὡς σάλῳ καὶ τιναγμῷ χρησόμενος, ἐξέστη δὲ παραχρῆμα καὶ μεταβὰς εἰς φορεῖον ἑσπέρας ἀπέθανε.*

De voce *ἐξέστη* dubito; non enim eam significare posse credo: *reliquit* (vehiculum) quod dat interpres.

259 C Carnifex cum vidisset adolescentem sibi traditum pretiosa indutum veste:

ἀποδύων ἀ τ ρ έμ α τὸν νεανίσκον κτέ.

Vehementer gavisus sum ex ann. crit. cognoscens hic *ἠρέμα* a Cobeto propositum. Ipse enim identidem aliis locis eandem suasi emendationem.

259 F Alexander Thrax crudelis in urbe sua opera expugnata Timocleam sibi nubere iussit

ἀλλὰ καὶ χρυσὸν ἐζήτει καὶ ἄργυρον, εἴ τις εἴη κεκρυμμένος ὑπ' αὐτῆς, τὰ μὲν ὡς ἀπολῶν τὰ δὲ ὡς ἕξων διὰ παντὸς ἐν τάξει γυναικός.

Si *ἀπολῶν* esse potest „dissipaturus", recte editor eam lectionem recepit (sensu cassa est altera *ἀπειλῶν*).

260 B Duxit ergo eum Timoclea ad puteum aqua carentem, in quo latere thesaurum a se defossum finxit. Laetus accurrit barbarus, descendit:

στυγερὰ δ' ἡγεῖτο Κλωθὼ τιμωρὸς ὑ π ὸ τῆς Τιμοκλείας ἐφεστώσης ἄνωθεν.

Immo vero *ὑπέρ.*

261 C *χαλεπαίνοντος δ' ἐκείνου* (Amasis ille est) *καὶ διανοουμένου πολεμεῖν τοῖς Κυρηναίους, συνέβη τὴν μητέρα τελευτῆσαι καὶ ταφὰς αὐτῆς ἐπιτελοῦντος, ἀναγγέλλοντας ἐλθεῖν παρὰ τοῦ Ἀμάσιδος.*
Pro *παρά* B. legere vult *τὰ παρά*. Melius totam vocem delebimus. Part. enim *ἀναγγέλλοντας* pertinet ad eos qui Amasidem Cyrenem arcessunt. Iunge ergo *ἐπιτελοῦντος τοῦ Ἀμάσιδος*.

AD ODYSSEAM.

ψ 361.
σοὶ δέ, γύναι, τόδ' (vel *τάδ'*) *ἐπιστέλλω πινυτῇ περ ἐούσῃ.*
Codex Odysseae ceteris vetustior, est enim saeculi III[i] vel IV[i], cuius fragmenta vir doct. Hunt edidit in Catalogo Bibliothecae Rylandianae a. 1911, utilis est ad verum iis quoque philologis ad oculos hoc loco demonstrandum, qui a litteris traditis non nisi invitissimi discedunt. Olim in prima, quam curavimus, Odysseae editione adnotavi (a. 1890): „*ἐπιστέλλω* ed. Flor.] *ἐπιτέλλω*". In secunda, quae anno 1897 prodiit: „*ἐπιστέλλω* G] *ἐπιτέλλω* cett.", — nempe interim codex Laurentianus G, qui omnium tunc antiquissimus erat, a Mollhuysenio accurate fuerat excussus. In Prolegomenis autem p. XIX data opera docui sic egregie confirmari id quod ante saecula complura in editiones Florentinam et Barnesianam receptum, dein a Cobeto denuo commendatum fuerat, sed a plerisque criticis recentioribus fuerat spretum. In tertia editione (anno 1908) eadem dedi. Interim prodiit Odysseae editio Oxoniana curante Alleno a. 1908 ineunte, infiniti laboris opus. Quid hic? Edit *ἐπιτέλλω*, de altera lectione *οὐδὲ γρῦ*! Mirum, sed tamen verum. At nunc etiam in codice Rylandiano legitur *ἐπιστέλλω*: congruunt igitur testes qui sunt antiquissimi de re quae et sine testibus poterat transigi, — et tamen posthac metro invito edi perget *ἐπιτέλλω*? Di meliora!

ω 209. Laertae villae circumdatum erat *κλίσιον,*
ἐν τῷ ἐσιτέσκοντο καὶ ἵζανον ἠδ' ἐνίαυον.
Sic legitur in codice Rylandiano. Ab Huntio autem ad hunc versum annotatum lego: „this new reading avoids the hiatus of the vulg. *ἠδὲ ἴαυον.*"
Optime et mihi placet haec lectio. Nova tamen mihi non fuit; nam inde ab anno 1890 sic excudendum curavi in Odysseae editione, quam cum amico Mendes da Costa tertium his annis in lucem emisi. At e coniectura sic dederam: neglegebatur igitur id quod audacia Batava tentaverat. Nunc et aliis fortasse magis probabitur illud *ἐνίαυον*. v. L.

VARIA.

SCRIPSIT

ALPHONSUS KURFESS.

I. DE SOPHOCLIS INDAGATORUM FONTIBUS.

Tragicorum Graecorum fragmenta papyracea nuper reperta. Recogn. Arturus S. Hunt. (Oxonii 1912).

Summo cum philologorum et litteratorum gaudio nuperrime in papyrorum Oxyrhynchiarum volumine nono (sub numero 1174) Sophoclis fabulae satyricae, cui nomen est Ἰχνευταί, reliquiae in lucem prodierunt [1]).

Fabulae argumentum hoc est: Apollo questus boves sibi raptos esse ei, qui eos reduxerit, magnum praemium promittit. illico Silenus adest deo operam suam offerens. Satyri boves indagare iussi iam vestigia invenire coeperunt, sed inusitato sonitu perterriti humi cadunt. haec ubi Silenus vidit, eos ob segnitiam graviter increpat, sed mox ipse quoque mirum illum sonitum audit. mirantibus et certantibus Cyllene nympha, Mercurii nutrix, apparet eosque docet puerum Iove et Maia natum et iam sexto die adultum testudinem invenisse, illis autem furti eum accusantibus fortiter defendit; deinde videtur abiisse. — hactenus fabula satis bene conservata est. ex exiguis fragmentis quae sequuntur concludi potest brevi post Apollinem iterum prodiisse. sed exitus ex Homeri in Mercurium hymno, qui fertur, conici potest [2]): Mercurius irato Apollini lyram donat.

Fortasse longius procedere possumus. in schol. Il. O 256 [3])

1) Cf. Wilamowitz, Die Spürhunde des Sophokles. Neue Jahrb. f. kl. Alt. XXIX (1912) p. 449.

2) Cf. C. Robert, Hermes XLVII (1912) p. 554; id. Die Spürhunde. Ein Satyrspiel des Sophokles. Berlin 1912 (Weidmann).

3) Ed. Dindorf tom. II 74, 3 (= IV 87, 19); cf. Bergk, Alc. fr. 7.

haec legimus: Ἑρμῆς ὁ Διὸς καὶ Μαίας τῆς Ἄτλαντος εὗρε λύραν καὶ τοὺς Ἀπόλλωνος βόας κλέψας εὑρέθη ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ τῆς μαντικῆς. ἀπειλοῦντος δὲ τοῦ Ἀπόλλωνος ἔκλεψεν αὐτοῦ καὶ τὰ ἐπὶ τῶν ὤμων τόξα. μειδιάσας δὲ ὁ θεὸς ἔδωκεν αὐτῷ τὴν μαντικὴν ῥάβδον, ἀφ' ἧς καὶ χρυσόρραπις ὁ Ἑρμῆς προσηγορεύθη, ἔλαβε δὲ παρ' αὐτοῦ τὴν λύραν· ὅθεν καὶ χρυσάωρ ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ τῆς κιθάρας ἀορτῆρος. hoc ex enchiridio illo mythographico Alexandrinorum aetate conscripto sumptum esse puto. cuius auctor, quamquam persaepe ex veteribus tragicis eum hausisse verisimile est, tamen haec non ex Sophocle exscripsit. nam apud Sophoclem Apollinem non διὰ τῆς μαντικῆς, sed Sileni et Satyrorum auxilio boum raptorem detexisse apparet. sed quod Mercurius Apollinis minacis umeris etiam pharetram amovisse dicitur, hoc optime in fabulam satyricam quadrare nemo non intellexerit. in Homeri hymno non exstat. unde igitur haec?

Idem ex Horat. carm. I, 10, 8 comperimus:

'te, boves olim nisi reddidisses
per dolum amotas, puerum minaci
voce dum terret, viduus pharetra
risit Apollo.'

Horatii autem carmen ad Alcaei lyrici hymnum redire testatur Porphyrio [1]). adde Pausan. VII, 20, 2 [2]): βουσὶ γὰρ χαίρειν μάλιστα Ἀπόλλωνα Ἀλκαῖός τε ἐδήλωσεν ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς Ἑρμῆν γράψας, ὡς ὁ Ἑρμῆς βοῦς ὑφέλοιτο τοῦ Ἀπόλλωνος. cuius hymni initium Hephaestio memoriae prodidit (Bergk fr. 5):

Χαῖρε Κυλλάνας ὃ μέδεις, σὲ γάρ μοι
θῦμος ὔμνην, τὸν κορύφαις ἐν αὔταις
Μαῖα γέννατο Κρονίδᾳ μίγεισα.

quae cum ita sint, verisimillimum mihi videtur in Alcaei hymno, quem Sophocles, sicut Homeri hymnum, sine dubio noverat, Mercurium, cum Apollo ei minaretur sagitta, ei per dolum etiam pharetram ademisse, denique irato Apollini lyram donavisse, pro qua ipse 'virgam auream, qua levem mortuorum turbam coërceat', acceperit. hoc etiam Sophoclem Alcaeo usum in hac fabula satyrica tractavisse equidem suspicor.

---

1) Ad vs. 1: *hymnus est in Mercurium ab Alcaeo lyrico poeta*; ad vs. 9: *fabula haec autem ab Alcaeo ficta.*

2) II, 2 p. 733, 6 Hitzig-Bluemner.

II. XENOPHANEA.

Xenophan. fr. 5 Karsten (= 14 Diels):

ἀλλὰ βροτοὶ δοκέουσι θεοὺς γεννᾶσθαι,
τὴν σφετέρην δ' ἐσθῆτα ⟨τ'⟩ ἔχειν φωνήν τε δέμας τε.

Hillerus [1]) priorem versum cum optimis codicibus [2]) sic scribit:

ἀλλ' οἱ βροτοὶ δοκέουσι γεννᾶσθαι θεούς [3]),

ratus eandem metri formam, quae casu in Archilochi fragmentis non inveniatur, extare ac in Horatii iambo decimo sexto [4]); nam Xenophanem iambos scripsisse testari Diogenem Laertium IX, 19: γέγραφε δὲ (scil. Ξενοφάνης) ἐν ἔπεσι καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου, ἐπικόπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα [5]). sed iambos illos ut sillos, qui hexametro versu (ἐν ἔπεσι) compositi sunt, intellegendos esse censeo. Quicquid id est, dubium esse nequit quin versus supra allati a Clemente Alexandrino [6]), qui eos memoriae prodidit, vel potius ab auctore, quem excerpsit [7]), ex eodem carmine exscripti sint atque ceteri [8]),

---

1) Anthologia lyrica. ed. Hiller-Crusius (Lipsiae 1911) praef. p. XXII.

2) Clem. Strom. V 14, 109*e* = Euseb. praep. ev. XIII 13 (p. 678) = Theodoret. Graec. affect. curat. III 72 (p. 88, 20 Raeder).

3) Sic etiam H. Diels, Fragm. d. Vorsokr. I² p. 60, 14.

4) Non prorsus tamen eadem est horum versuum forma, nam apud Horatium sunt *iambi puri*.

5) His verbis F. Kern (in programmate Stettinensi anni 1874, p. 18, adn. 25) haec adscribit: „Wachsmuth De Timone Phliasio p. 30 übersetzt dies: *Scripsit etiam versibus constrictos libros eosque et elegias et carmina probrosa contra Homerum et Hesiodum composita ea quae de deis dixerunt castigans.* Ich kann mich von der Richtigkeit dieser .... Auffassung nicht überzeugen; wenn nämlich auch immerhin ἔπη öfter im allgemeinem Sinne von Gedicht und Versen gebraucht und statt der besonderen Bezeichnung für elegische, anapästische, jambische Gedichte gesetzt worden ist, so ist damit noch Keineswegs erwiesen, dass man je gesagt hat ἐν ἔπεσιν ἐλεγείας καὶ ἰάμβους γράφειν. Die Hinzufügung der beiden ersten Worte wäre selbst dann kaum erträglich, wenn im Voraufgehenden von Xenophanes als von einem prosaischen Autor die Rede gewesen wäre. Es wird also bei der Hübnerschen Interpretation sein Bewenden haben: *Scripsit carmine heroico, item elegias et iambos.*" — contra equidem arbitror Wachsmuthium verba optime interpretatum esse. ἔπη sunt non solum carmina versu heroico composita, sed omnia ea, quae ad tibias recitabantur, imprimis carmina probrosa (ἴαμβοι), cum carmina lyrica (μέλη) ad lyram cantarentur.

6) Strom. V 14, 109 e.

7) Cf. Cobet Ἑρμῆς I 170. Wilamowitz, Einleitung in die alt. Trag. (= Eur. Her. I) p. 171.

8) fr. 15 et 16 (Diels).

quibus dei quasi anthropomorphismo purgantur. igitur de versu hexametro agitur. sed deest unus pes. versum, qui in fine, ut plerumque, corruptus mihi videtur esse, sic restituo:

ἀλλὰ βροτοὶ δοκέουσι θεοὺς τεκνοῦσθαι ὁμοίως.

Xenophanes hoc dicturus est: homines credere deos nasci similiter ac ipsos [1]), nam pergit: 'et habere *ipsorum* (σφετέρην) vestem et vocem et formam. sed qui vocabulum ὁμοίως excidere potuit? primum sic scriptum fuisse puto: τεκνοῦσθαι ὁμοίως, deinde γεννᾶσθαι margini adscriptum esse (τεκνοῦσθαι ὁμοίως γεννᾶσθαι); quae glossa ab alio, qui hunc versum transscripsit et ὁμοίως ad glossam illam pertinere opinatus est, pro genuino τεκνοῦσθαι in textu posita est [2]). hoc modo ὁμοίως intercidere potuisse nemo non intellexerit.

['Αριστοτέλους] [3]) περὶ Ξενοφάνους 977a 20: εἰ γὰρ γίγνοιτο ἐξ ἀσθενεστέρου τὸ ἰσχυρότερον ἢ ἐξ ἐλάττονος τὸ μεῖζον ἢ ἐκ χείρονος τὸ κρεῖττον ἢ τοὐναντίον τὰ χείρω ἐκ τῶν κρειττόνων, τὸ οὐκ ὂν ἐξ ὄντος ⟨ἢ τὸ ὂν ἐξ οὐκ ὄντος⟩ ἂν γενέσθαι. — verba τὰ χείρω ἐκ τῶν κρειττόνων supervacanea et postea addita esse puto. nam quid sibi vult pluralis, cum ter antecedat singularis? deinde auctor huius libelli adiectivum, quod praepositione ἐκ regitur, semper praeponit idque sine articulo. quin etiam totam verborum structuram turbant illa verba. cur enim post τοὐναντίον ea tantum vox, quae postrema antecedit, non ceterae quoque repetuntur? itaque meo quidem iure verba τὰ χείρω ἐκ τῶν κρειττόνων olim margini adscripta secludere mihi videor.

---

1) Eduardus Zeller (Die Philosophie der Griechen I, 1^5 p. 524 adn. 2) supplet ἅτ' αὐτούς.

2) Cf. Ps.-Aristot. de Melisso Xenophane Gorgia c. 3 (977a 17): οὔτε γὰρ ὅμοιον ὑφ' ὁμοίου προσήκειν τεκνωθῆναι μᾶλλον ἢ τεκνῶσαι. sed Simplicius, qui hunc libellum, quem Theophrasto videtur tribuisse, exscripsit, pro τεκνῶσαι et τεκνωθῆναι inserit γεννᾷν et γεννᾶσθαι (in Aristot. phys. 23, 2): οὐδὲν γὰρ μᾶλλον γεννᾷν ἢ γεννᾶσθαι προσήκει τὸ ὅμοιον ἐκ τοῦ ὁμοίου. — γεννᾷν apud epicos vocem inauditam esse nos docet W. Ribbeck (Mus. Rhen. XXXIII [1878] p. 456). cf. Diels Vorsokr. I^2 p. 60, 14 (adn.).

3) Aristotelis qui fertur de Melisso Xenophane Gorgia libellus, ed. H. Diels (Philos.-hist. Abh. d. Ac. d. Wiss. zu Berlin 1900) p. 24.

IN MEMORIAM
MORTIMERI LAMSON EARLE
OPTIMI PHILOLOGI
(1864—1905).

SCRIPSIT

J. VAN LEEUWEN J.F.

The Classical Papers of Mortimer Lamson Earle, with a Memoir (by Sidney G. Ashmore). New York, Columbia University Press, 1912.

Grato animo accepi, animo commoto perlegi librum, quem memoriae Earlii viri egregii sacrum esse voluerunt eius collegae. Sors non tulit ut familiariter cum Earlio sub alio sole viventi consuescerem; tulisset, si vita paullo productior ei fuisset concessa, nam regionem nostram et praesertim academiam Lugdunobatavam visere ei in animo erat. Nunc eius vultum primum cognovi ex imagine, quae huic libro memoriali est praemissa; sed per litteras certe mihi innotuit et Mnemosynen saepius ornàvit scriptionibus, ut brevibus, sic solidae eruditionis et acuminis critici documentis luculentis. Iamque uxori amicis discipulis ereptum et nos dolemus.

Quamquam dolendi alienum fere hinc videtur verbum. Nam longa licet Earlio data non fuerit vita, at plenam et beatam vitam vixit, neque immatura morte abreptum eum virum dicere fas est qui tam multa egerit strenue et feliciter peregerit, qui eruditionis maturae opera reliqüerit complura. Et ipsa eius mors est cur felix praedicetur; nam talem vitae habuit finem qualem olim sibi optaverat, cum flore aetatis vigens Graeciae campos sibi dilectissimos primum peragraret iuvenis vicenarius: „utinam thymi Graeci corona aliquando ornet mihi frontem morte pal-

lentem!" tum exclamavit [1]). Per Siciliam dum iter facit cum uxore dilectissima, febri maligna subito abreptus est, veluti telo Apollinis percussus. Neque omnis est mortuus. Nunc multi grato pectore eius memoriam servant, posthac eius bibliotheca in usum publicum ab Universitate Columbiana redemta multis Earlium in mentem revocabit, nam singulis quibus usus est libris inscriptum est eius nomen, his verbis Euripideis subiectis:

κλεινὸς δ' ὁ πόνος μοι
θεοῖσιν δούλαν χέρ' ἔχειν.

Praesertim autem eius vivet memoria in libris quos ipse fecit, bonae frugae plenis: in Alcestide Medea Oedipo Rege tragoediis optime editis. Luculenter autem haec quae iam in unum librum collecta sunt scripta minora testantur quam multiplex et varia ei fuerit doctrina, quam sagax sobriumque ingenium, quam severum studium veri, amor denique — sine quo frigent et languent quamvis magnae animi dotes — quantus ei fuerit antiquitatis, neque Graecae solius sed etiam Latinae, Horatii et Livii haud secus atque Herodoti vel Homeri, neque litterarum tantum sed etiam historiae atque archaeologiae. Felicissime modo ea quae patria ei erat lingua usus, modo Latina, modo Gallica vel Graeca, de varii argumenti quaestionibus plurimis eleganter disputabat, in Tragicis autem Graecis plane habitabat. Itaque verborum, quae carmine olim Graeciae flores, saxorum vetustorum decus breve, celebrans cecinit:

Ah! sweets of earth, ye are but brief at best;
Glad hours we have, while youth and love and wine
Tune the fierce pulses to a measure swift
That heralds but the hour of fate afar

veluti mortis haud longinquae praesaga, alteram potissimum partem recordari decet eos qui eum amarunt et aegre iam desiderant. Laetas horas transegit multas, felix vixit, vixit honoratus suisque carissimus, prius autem hinc abiit quam gravia ei fieri potuerunt vitae onera communia. Quicquid optimum haec vita habet, ei non defuit.

1) When death, all-vanquisher, from his dark prow
Beckons to flee,
May he with Grecian thyme wreathe this cold brow,
Hellas, in thee!

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(Continuantur ex Vol. XL pag. 399).

CV.

DE IUDICIIS IN REM DUPLICIBUS.

Pars prima.

Iudicium duplex — apud Romanos nomen non occurrit, res occurrit — erit nobis, *in (quo) singulae* litigatorum *personae* propter ipsius iudicii aut naturalem [1]) aut legitimam [2]) constitutionem [3]) *duplex ius habeant: agentis et eius quocum agitur,* ita definiente Iuliano [4]), id est, *in qu(o) uterque actor est* [5]) uterque reus, vel, quod eodem redit, neuter praecipue actor, neuter praecipue reus [6]). Eiusmodi iudicium dari posse, aliquando negavit Ulpianus, quum scribat [7]): *inter litigatores non aliter lis expediri potest, quam si alter petitor alter possessor sit* [8]), quae

1) Hoc evenit in iudiciis divisoriis. Cf. Windscheid (1891) § 127² (ia. § 449 not. 16).

2) Cf. Eck, *die doppelseitigen Klagen* (1870) p. 9

3) Alioquin erunt mutuae petitiones, non iudicium duplex. Paulo aliter haec separat Jhering, *Geist des röm. Rechts* III (1877) § 52 (p. 91). Sed verum vidit Audibert, *Nouv. rev. histor.* XXVIII (1904) p. 36 (lin. 4-7).

4) L. 10 D. 10. 1.

5) Ulp. l. 37 § 1 D. 44. 7.

6) Gai. IV § 160 = § 7 (i. f.) Inst. IV 15.

7) L. 62 D. 5. 1.

8) Rationem addit: *esse enim debet, qui onera petitoris sustineat et qui commodo possessoris (fru)atur.*

sententia manifesto falsa est. Sane eatenus non potest iudicium duplex dari, quatenus in omni iudicio [1]) prorsus est necessarium, alterum reum *priorem doccre* [2]), id est, *πρότερον λέγειν* [3]), alioquin neutrum iudex audiet, si *com*, id est, simul ambo perorabunt, quod ante Theodorum Mommsen [4]) perquam ridicule lege Decemvirali [5]) cautum credebatur. Ut igitur constet, uter prius dicturus sit, in iudiciis duplicibus pro actore habetur, *qui ad iudicium provoca(vit)* [6]), sive uterque provocavit, *sorte res discerni solet* [7]). Et erit actor dempto tamen onere, quod petentibus incumbere solet [8]). Nunc videamus, sitne verum, quod sumit Leist: iure Attico omnem de proprietate [9]) actionem *διαδικασίαν* esse [10]), omnem *διαδικασίαν* iudicium duplex [11]). Et pro illa quidem sententia adferri potest [12]) testimonium Lysiae [13]): *διαδικασίαν* esse [14]), quum quis a fisco praedia sua esse vindicet [15]), ne cum alterius bonis veneant; esse autem eandem controversiam (*τὴν αὐτὴν ἀμφισβήτησιν*) sive quis a fisco ea petat sive a privato possessore [16]). Quod secundum est: omnem *διαδικασίαν* esse iudicium duplex, id ut demonstretur, non sufficit [17]) definitio, quae exstat apud Anonymum Bekkeri [18]): *διαδικασίαν* esse, *ἐν (ᾗ) περί τινος ἀμφισβήτησίς ἐστιν, ὅτῳ προσήκει μᾶλλον.*

---

1) Quod non sit, ut vocant, inquisitorium.

2) L. 8 D. 22. 3. Cf. l. 41 pr. D. 40. 12.

3) Isocr. XVIII § 2; Demosth. XLV § 6.

4) Emendat: *tum*. Mallem: *c(aus)am*.

5) Tab. I 7.

6) L. 13 D. 5. 1 = l. 2 § 1 D. 10. 3.

7) L. 14 D. 5. 1. Cf. praeterea Quinctil. VII 1 § 37 (i. f.).

8) Cf. Leist, *der attische Eigentumsstreit* (1886) p. 31-33.

9) Addit ipse de hereditate et de statu hominis controversias. De hereditate quidem quin omnis actio *διαδικασία* sit, non ambigitur.

10) Op. cit. p. 9. — Praeiverant Meier et Schoemann, *der Attische Prozess* (1824) p. 492 (Lipsius p. 674): „*(der) Eigentumsstreit (gehört) zu den Diadicasieen*". Nunc iam renuit Lipsius, *das Attische Recht* II (1912) p. 678 (et p. 464/5).

11) Leist, op. cit. p. 31. Concedit Lipsius. *das Att. Recht* II p. 678, sed p. 463 subvertit rem addendo „*in der Regel*".

12) Cf. praeterea Meier et Schoemann, op. cit. p. 368[**] (Lipsius p. 472[*], id., *das Att. Recht* II p. 464 not. 6).

13) Or. XVII.

14) § 1.

15) § 5, § 7, § 8.

16) § 5.

17) Non sufficere fatetur Leist, op. cit. p.. 40, p. 45.

18) Anecd. I p. 236.

Nam hoc ipsum ita in iudicium venire potest, ut, qui non possidet, *probare* cogatur *rem ad se magis pertinere, quam ad eum, qui possidet*, sicut fit *in hereditatis petitione* teste Paulo [1]). Ceterum, quum multae sint *διαδικασίαι* [2]), nec omnibus una sit natura — veluti *τριήρων καὶ σκευῶν* sunt *διαδικασ(ίαι)* cum iis, qui ea non reddunt civitati [3]), sunt quoque *διαδικασίαι* debitorum ultro citroque, quis potius reddere debeat [4]); apparet igitur hic locum habere [5]) Anonymi definitionem [6]), illic non aeque — prudentius quaeremus, utrum rerum *διαδικασία* iudicium duplex sit, quam: omnis *διαδικασία* sitne iudicium duplex. Sunt autem rerum *διαδικασίαι* aut *κλήρων* [7]) aut singularum rerum. De universitate igitur ut concedamus semper [8]) esse iudicium duplex, sive agatur cum adiudicatario vel eius herede, id est, cum iusto hereditatis possessore, sive agatur de hereditate vacante, id est, nondum cuiquam adiudicata [9]), num inde sequitur, singularum rerum *διαδικασίαν* duplex iudicium fuisse, id est, in quo par esset utriusque litigatoris causa? Sed hoc aperte negat Isaeus, quum dicit [10]): *τῶν ἀμφισβητησίμων χωρίων δεῖ τὸν ἔχοντα*

---

1) Sent. I 13 B § 6 = Consult. VI § 5*a* (cf. c. 2 pr. C. 7. 64).

2) Accessit nuper (*δίκη*) *εἰς ἐπιτροπῆς διαδικασίαν* (Aristot. de rep. Athen. 56 § 6), quam esse praesagiverant Meier et Schoemann, *der Att. Prozess* p. 453 (Lipsius p. 562): „*wenn es streitig war, wem die Vormundschaft zukäme, musste eine Art Diadicasia zulässig sein, durch welche dies entschieden wurde*". Cf. Lipsius, *das Att. Recht* II p. 524.

3) C I A II 795*f* 39 (*αἱ δὲ δύο τριήρεις αἵδε ἐπὶ Διοτίμου (διε)δικάσθησαν*), 60 (*ἀριθμὸς τριήρων καὶ σκευῶν διαδεδικασμένων*); Boeckh, *Seeurkunden* p. 214; Lipsius, *der Att. Prozess* p. 467 (*Att. Recht* II p. 456/8); *Inscr. jur. gr.* (II) pag. 151.

4) Demosth. XLVII § 28, § 31 (idem litis genus respicitur § 26: *οὗτοι γὰρ* rell.); XXIV § 13; C I A II 811*d* 52-55 (*οὗτος διαδικασίαν ἀπήνεγκεν πρὸς τὸν δεῖνα περὶ τοῦ ἀργυρίου τούτου*); Boeckh, *Seeurkunden* p. 214 (ia. p. 384 = C I A II 803*d* 89-99): „*daher zahlt ein Aufseher der Werfte an den Staat dasjenige*, ὃ ὤφλεν ἐκ τῆς διαδικασίας, ἣν διεδικάσατο πρὸς (τὸν δεῖνα)"; Lipsius, *der Att. Proz.* p. 475[a] (*Att. Recht* II p. 774). — Similis est actio in lege Frisionum (XIV § 4 sq.), fuitque in foedere Germanico priore (Schroeder. *Rechtsgeschichte* (1907) p. 915 not. 21).

5) Iudicium duplex vel sic negat Lipsius, *Att. Recht* II p. 463[a].

6) *Ὅτῳ προσήκει μᾶλλον.*

7) *Καὶ ἐπικλήρων.*

8) Ea est sententia Alexandri Leist, op. cit. p. 33.

9) Recte adnotant Meier et Schoemann, *Att. Proz.* p. 467 (Lipsius p. 613): „*hier ist das Verhältniss ganz anders*"; Lipsius, *das Att. Recht* II p. 584: „*diese διαδικασία κλήρου unterschied sich von der früher besprochenen dadurch* etc.".

10) Or. X § 24 (cf. Lipsius, *dass Att. Recht* II p. 465[a]. 675[a], 681 lin. 2-6).

ἢ θέτην ἢ πρατῆρα παρέχεσθαι, quod in rebus mobilibus perinde videtur obtinuisse, modo hausta sit ex iure Attico Platonis lex [1]): *ἐὰν δέ τις ὡς αὑτοῦ ἐφάπτηται ζῴου [καὶ] ὁτουοῦν ἤ τινος ἑτέρου τῶν αὑτοῦ χρημάτων, ἀναγέτω μὲν ὁ ἔχων εἰς πρατῆρα .... ἤ τινι τρόπῳ παραδόντα ἄλλῳ κυρίως*. Et videtur sane ex iure Attico hausta, quum quia differentiae ratio inter praedia et res mobiles apparet nulla, tum quia ne Aeschines quidem [2]) in hac iuris parte *κτημάτων* genera separat. Ergo distinguitur inter officium petitoris et possessoris, quod iudicium duplex non admittit [3]). Officium possessoris est: auctorem in iudicium adducere vel certe *causam dicere prius ...., quare sit suum* [4]), si alio iure se defendat, veluti *τῷ τῆς προθεσμίας νόμῳ* [5]), id est, temporis praescriptione [6]), vel, si mancipium est, (*ὅτι*) *ἐκ μικροῦ παιδαρίου ἐξεθρέψατο* [7]). In talibus igitur speciebus licet *αὐτομαχεῖν*, ne omni defensione reo interdicatur, quod tamen indistincte fieri permittunt Meier et Schoemann [8]), licet non proprio iure se defendat is unde petitur sed, quod comparaverit, nec quidquam ibi mutat Lipsius [9]). Ergo iure Attico, sicubi auctor sistendus est, possessor, non petitor, sistere debet. Cur igitur apud Isaeum [10]) in causa Micionis auctorem petitor sistit? Aut fecit ex abundanti — quemadmodum fieri videmus in lite quadam Divionensi [11]) et item semel in codice Cavensi [12]), nam sicut Atheniensium

---

1) XI 2 (p. 915).

2) Or. III § 249: *ἐπανάγειν αὐτὸν κελεύετε τὸν λόγον, ὥσπερ καὶ τὰς βεβαιώσεις τῶν κτημάτων ὁ νόμος κελεύει ποιεῖσθαι*. Videatur quoque, qui laudabitur statim, pertinens ad rem mobilem locus ex Eunucho (lin. 10-13).

3) Hoc optime perspexit Brinz, *Festgabe für Sprengel* (1877) p. 143/4.

4) Terent. Eun. lin. 10-13 (cum Donati commento). Cf. praeterea Harpocr. v. Ἀπογραφή (— εἴη).

5) Demosth. XXXVI § 25.

6) Utrum longi temporis praescriptione iure Attico possit repelli vindicatio, sequenti capite (CVI) quaeretur.

7) Cf. Demosth. LIII § 19.

8) *Att. Prozess* (1824) p. 527 ima.

9) P. 719 sq. (*Att. Recht* II p. 746 ima). Adstipulatur quoque Revillout, *Chrestomathie* (1880) p. CIX.

10) Or. V 22-24. Cf. Meier et Schoemann, op. cit. p. 529 (Lipsius p. 722/3. *Att. Recht* II p. 746 not. 256). — Occurrit eadem species apud Wasserschleben, *deutsche Rechtsquellen* IV 39*a* (I p. 172).

11) Hübner, *Gerichtsurkunden*. (*GU*) no. 406.

12) No. 449 = *GU* 1080.

ita Germanorum institutis [1]) possidenti incumbit auctoris dandi necessitas [2]), etsi potest ex accidentibus, neque id tantum adversus mutuam petitionem [3]), auctoris datio esse vindicanti necessaria, veluti post edictum Liutprandi [4]), ut doceat iure fratris se vindicare, nam fratri rem paternae hereditatis [5]) vindicanti opponenda est quadraginta annorum praescriptio, triginta ceteris. Ergo si is frater, qui petitori vendidit [6]), non *venerit in auctoritatem*, tunc possessor tricennali possessione se tuebitur, sin venerit, quadragenaria. Intelligitur quoque capitul. Guidonis 5 imponere petitori auctoris dandi necessitatem [7]) — ergo aut ex abundanti fecit Micio, aut intelligebatur possessor non is qui iudicii facti tempore possideret, sed qui tunc possideret, quum controversia oreretur, id est, ex possessione deductus [8]), non qui alterum deduxisset, sicut Locris de re mobili iudicatum refert Polybius [9]): *παρὰ τούτων τὴν ἀγωγὴν ἀεὶ γίγνεσθαι, παρ' οἷς ἂν ἔσχατον ἀδήριτον ᾖ χρόνον τινὰ γεγονὸς τὸ διαμφισβητούμενον· ἐὰν δέ τις ἀφελόμενος βίᾳ παρά τινος ἀπαγάγῃ πρὸς (ἑ)αυτὸν, κἄπειτα παρὰ τούτου τὴν ἀγωγὴν ὁ προϋπάρχων ποιῆται δεσπότης, οὐκ εἶναι ταύτην κυρίαν* [10]), id est, licet adductio in ius [11]) ex tua domo fiat, non tamen propterea pro possessore te habendum,

---

1) Latius dicetur infra.

2) Planck, *Gerichtsverf.* I p. 602: „*das Ziehn auf den Geweren .... ist ein Act der Vertheidigung .... nicht des Angriffs*". Cf. l. Sal. extrav. B 10: *de beneficio* (i. e., etiam de beneficio) *non debet trahere auctorem, nisi si mallatus fuerit.*

3) Hübner, *Gerichturk.* (*GU*) no. 1400.

4) 69 (Laudamus semper ex libro Papiensi).

5) Expos. (cap. cit.) § 9.

6) Form. (ad cap. cit.) 8 minus recte: *si nullus ex fratribus,* id est neque petitoris neque possessoris auctor.

7) Expos. (cap. cit.) § 2: *in hoc, quod haec lex dicit, quod non deberes te intromittere, antequam auctor cartae vindicet legaliter, ostendit, quod* vindicaturus *auctorem dare debes.* — Cf. praeterea *Sachsenspiegel* II 42 § 1 (= Glanv. Tract. de leg. Angl. III 6 § 1); Planck, *Gerichtsverf.* I p. 603*.

8) In causa Micionis, qui possidebat, petit (Lipsius, *das Att. Recht* II p. 669).

9) XII 16. — Scripsit de hoc fragmento Hofmann, *Beiträge z. Gesch. des griech. und röm. Rechts* (1870) p. 118-126. Add. Dareste, *Nouv. études* I (1902) p. 16; Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII (1902) p. 293/4; Lipsius, *das Att. Recht* II (1912) p. 670[12]*.

10) Vertit Hofmann, Op. cit. p. 123 (post notam 19) „*entscheidend*".

11) Ἀγωγὴν hoc modo recte verti, negat Mitteis (*Ztschr.* cit. p. 294), propterea quod requiratur „*ein Formalact*". Quidni igitur potest adductio in ius solemniter fieri?

si ab adversario possessionem vi abripueris, quam tenebat is proxime ante controversiam (ἔσχατον ἀδήριτον) per tempus aliquod (χρόνον τινά), licet brevissimum. Alioquin, si in ea re spectetur non id tempus, quo controversia orta, sed *quo primum in ius aditum (sit)* [1]), vel *quo lis praepara(re)tur* [2]), eveniet, ut, qui *vi rapuerit*, is *indignissime commodum possessoris consequ(a)tur* [3]). Orietur autem hoc vitium in iis rebus, de quibus nulla sint iudicia veluti possessoria, sicut apud Romanos de statu hominis [4]), quod superiore quodam capite [5]) demonstravimus. Viderunt igitur Locrenses, quo modo hoc vitium sine interdicto potest removeri: spectando tempus non iudicii constituti, sed controversiae motae. Eodem modo prospexerunt Saxones, ne possessionis commodum ei cederet, qui de possessione praedii alterum vi deiecisset; voluerunt igitur, in petitorio iudicio possessorem existimari, licet agat, eum a quo per vim possessio ablata esset, modo continuo querelam detulisset [6]). Quo putat iure non Saxones tantum tertio decimo atque deinceps saeculo, sed iam priscos illos Francos Heusler [7]) usos esse, licet non probet; contraria sententia Huebnero placet [8]), sed ne hic quidem argumentis satis confirmat suam. Licet enim verum sit, in litium instrumentis, quae ex Francorum aevo supersint [9]), non inveniri iuris regulam, quam quaerimus [10]), ideo argumentum minus

---

1) L. 12 § 4 D. 40. 12.

2) L. 7 § 5 D. 40. 12.

3) L. 20 D. 22. 3.

4) Ergo l. 20 cit. ante *vi rapuerit* inserit Iulianus *liberum hominem*. Alioquin ad interdictum ibitur.

5) LXXXIII.

6) Laband, *Vermögnsr. Klagen* (1869) p. 190, 193; Planck, *Gerichtsverfahren* I (1879) p. 579-582 (iis p. 577-579); Heusler, *Gewere* (1872) p. 270. Add. vit. Bennonis episcopi Osnabrug. § 19 (Monum. Germ. Script. XII p. 69).

7) *Gewere* (1872) p. 93: „*es ist ein dem alten Recht schon ebenso wie den Rechtsbüchern geläufiger Gedanke, dass .... der Dejizierte vor Allem berechtigt ist, zu verlangen, dass ihm die* 'Were getheilt' *werde*".

8) *Immobiliarprozess* (1893) p. 56: „*der .... Dejizient .... stand, wie jeder andere im Besitz befindliche* (*Beklagte*) *.... näher am Beweise*".

9) *GU* = *Gerichtsurkunden der fränkischen Zeit, verzeichnet von Huebner* I (1891), II (1893). Laudamus ubique τὰ πρωτότυπα.

10) Huebner, *Immobiliarproz.* p. 55: „*eine Trennung zwischen dem Beweisverfahren über die Hauptsache* (*das Recht*) *und dem über den Besitzstand kann ich* (*in den Urkunden*) *nicht entdecken*". Cf. Heusler, *die Gewere* p. 95: „*die Urkundensamm-*

firmum est, quia sunt omnino litium instrumenta ita comparata, ut leges passim illustrent, raro suppleant [1]). Ergo potest nihilominus apud Francos haec iuris constitutio obtinuisse, apud quos nulla fuerunt de possessione praediorum interdicta, nam hoc quidem èt probat Huebner [2]), quasi pro se esset, èt praeterea verum esse confirmat capitul. 142 (= l. Sal. capit. VII) § 9: *invasor .... res quaerenti reddat, aut .... sibi vindicet* [3]). Longobardici quidem iurisconsulti [4]) invenire sibi visi sunt *nudae possessionis* actionem apud Roth. 228 (verbis, ni fallor, *quodsi per quinque annos fuerit possessio* ad petitorem relatis), quod quum nesciret Huebner, explicare non potuit [5]), cur in lite, quae anno 806 Pistoriae habita est [6]), transferatur possessio proprietate salva ad petitorem, qui *annos quinque et amplius* possederat. Quod postea in desuetidem abiit [7]); etenim, quum statuisset Primus Otho [8]): *de investitura*, id est, de possessione *praedii .... per pugnam* ut *decern(ere)tur*, formulis post *investituram* inseritur *ad proprium* [9]), de possessione ne pugnaretur, sed de *iure* [10]). Ex diverso de possessione rei mobilis *interim* restituenda praecepta abundant [11]) èt apud Francos [12]) èt apud

lungen haben uns viele Fälle aufbewahrt, wo unzweifelhaft gewaltsame Besitzensetzung des Klägers stattgefunden hatte, letzterer aber dennoch nicht die Vorfrage erhob, ob ihm für den Prozess die Gewere zuzutheilen sei". Excipit quidem hic (p. 99/100) *GU* no. 116 („*(hier) handelt es sich nur um Zutheilung der Gewere*"), sed videtur error esse. Dicemus infra.

1) Hübner, *Immobiliarproz.* p. 164: „*selten (wird) in (diesen) Quellen einmal ein principieller Rechtssatz ausgesprochen*". Cf. quoque ibid. p. 13.

2) Op. cit. p. 51-65.

3) Est similis *Sachsenspiegel* (*Ssp.*) II 25 § 1 (i. f.). Cf. Laband, *Vermögensr. Klagen* (1869) p. 190 cum not. 6 (p. 191).

4) Cf. glossa ad Roth. 228 et edicti schema (ibid. p. LVII).

5) *Immobiliarproz.* p. 57-60.

6) *GU* no. 680.

7) *Bannum*, non interdictum veluti possessorium, introducit Pippinus capit. 94 § 14 (in libro Papiensi 23), cui similis est lex Alamann. (A) 98 § 2.

8) Capit. Long. 3.

9) Hoc insertum esse *secundum usum* docebant *antiqui*, *moderni* autem *per hanc eandem legem*, id est, per legis intellectum (Expos. (cap. cit). § 15).

10) *Investiturae* vocabulum eodem modo retentum est, atque *spolii* improbatum apud Gallos in interdicto (Loysel, *Instit. coutum.* (éd. 1846) no. 750).

11) Hoc quidem vidit Rauch, *Spurfolge und Anefang* (1908) p. 108-113, cui pleraque (non omnia) exempla debeo.

12) L. Sal. 37 (*in tres noctes .... ille qui per vestigio sequitur res suas per tertia*

Burgundiones [1]) èt apud Longobardos [2]) Saxonesque [3]); adeo non est verum, quod scribit Heusler [4]): de mobilibus rebus interdicta veluti possessoria id temporis fuisse nulla („*was die Fahrniss betrifft, so g(ab) es .... keinerlei Rechtsmittel zum Schutz des Besitzes*"). Quia igitur apud Francos nulla fuerunt de praediorum possessione interdicta, ideo potest apud eos cognita fuisse iuris regula, quam posterioribus temporibus apud Saxones fuisse deprehendimus: deiectum etiamnunc pro possessore esse habendum. Quia enim haec iuris constitutio eo pertinet, ut vitium emendetur, quod vitium non est [5]), ubi sunt iudicia veluti possessoria, necessario sequitur, ubi talia sint iudicia et in quibus speciebus sint, ibi et in iis aut non orituram aut ortam in desuetudinem cito abituram. Similiter ut apud Francos, ita apud Athenienses, quamdiu veluti possessoria interdicta fuerunt nulla [6]), tamdiu ex possessione deducto, licet ageret, nihilominus quasi rem defenderet, auctorem sistendum fuisse eandem ob causam, quam viderunt Locrenses, quominus credamus, nihil prohibet. Erit igitur patefactum, Micio cur stiterit auctorem, licet ageret, curve Chiorum respublica soleret auctricem se sisti recipere praediatoribus ἀποκληρομένο(ι)ς [7]). Sed quaerendum superest, Onetor, quem constat èt ante controversiam possedisse [8]) èt in ipso iudicio respondisse [9]), auctorem quidni stiterit — dicit enim Demosthenes [10]) (πρὸς) μάρτυρας esse sibi rem — et sic solvo:

---

manu agramire debet. Per tertia manu vertit Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 497: „*mittels Bürgschaft*", Rauch, op. cit. p. 105/6, 115 lin. 3/4: „*für die Zwecke des Dritthandverfahrens*"; *agramire* uterque: „*geloben*"; *res suas* Rauch: „*die Sache vor Gericht zu stellen*", Brunner: „*dass er sie gegen den* angerufenen (l. *anzurufenden*) *Gewährsmann vertreten werde*"). Ad mancipia in vestitura regis pertinent capit. 140 § 6; 148 § 3.

1) L. Burg. 19 § 2; 83 § 2; l. Burg. Rom. 34 § 2.

2) Roth. 232 (semper laudamus ex libro Papiensi).

3) Stat. Goslar. (ed. Goeschen) p. 99, 21/4.

4) *Die Gewere* p. 93.

5) Erit aliud, quod indicavi cap. LIX (i. f.).

6) Fuerintne ulla tempore Aristotelis, quaeretur infra (cap. CVI).

7) Michel no. 1383 C, 1-6.

8) Demosth. XXIX § 3.

9) Demosth. XXX § 2 (i. f.).

10) XXX § 3.

auctorem sistendum esse, si postuletur [1]; sin minus posse quem emptum probare vel testibus [2] vel instrumentis. Non tamen sufficit, qualemcumque auctorem habuisse; quid enim prodest auctor, cui vendere non licuerit? Ergo, quum habeat auctorem Onetor, tamen vindicat Demosthenes ideo, quod iste emerit a condemnato post condemnationem [3], teneantur autem omnia victi victori [4], proinde adversus se victorem talis auctor pro non dato sit habendus. Ex his apparet condemnari possessorem, qui vel non habeat auctorem vel habeat adversus petitorem non sufficientem, licet in eam sententiam Isaei verbis [5], utpote ambiguis [6], non utamur. Confirmatur autem id quod diximus Ptolemaeorum edicto [7], quo hoc ius per Aegyptum inter Macedonas abrogant statuuntque: *τοὺς κεκυριευκότας τινῶν καὶ μὴ δυναμένους παρατίθεσθαι τὰ κατ' αὐτῶν* [8] *συμβόλαια ἐὰν κρατεῖν.* Itaque post hoc edictum [9] in causa Hermiae [10], auctorem quum dant, subiungunt adversarii [11]: etiamsi nullum dedissent, tamen possessionem sibi relinquendam esse *ἀνυποδεικτοῦ καθεστηκότος* (*τοῦ διώκοντος*), neque dixerunt tantum sed vicerunt etiam et bis vicerunt. Quod totum turbat Mitteis [12], dum putat iuri,

---

1) Eodem modo apud nos (Batavos) desiderii conclusio (quam Transrhenani: *Antrag*) non solet lingua nuncupari, nisi postuletur ab adversario, etsi lex nominatim, ut nuncupetur, praescribit. Et postulatur raro, quum nihil plerumque interesse sua putet, qui postulare potest.

2) Alterum exemplum est apud Demosth. LIII § 20.

3) Demosth. XXXI § 12.

4) Cf. superius caput LXII.

5) X § 24: *δεῖ τὸν ἔχοντα .... πρατῆρα παρέχεσθαι ἢ καταδεδικασμένον φαίνεσθαι.*

6) Quia potest *καταδεδικασμένον* vel passivum esse vel medium (cf. Leist, *der Att. Eigenthumsstreit* p. 37 not. 1). Erit utroque modo sententia vera. Condemnabitur enim, qui auctorem non habet; rursus sententia genus est adquirendi (Lys. XVII § 4, § 5, § 6; Demosth. XXI § 11; XXX § 28).

7) Superest in P(apyro) Taur(inensi) 1 V 22-24. Laudabuntur enim papyri in morem Wilckenianum (*Archiv f. Papyrusf.* I p. 25-28). Ergo voluminibus et columnis sive paginis Latini, papyris et lineis Arabici dabuntur numeri.

8) I. e. *κατὰ τῶν κτημάτων*. Exempla dedimus ad cap. XC.

9) Esse edictum negat Mitteis, *Reichsrecht und Volksrecht* (1891) p. 55².

10) Bis acta est superestque utriusque iudicii forma: P. Paris. 15; Taur. 1. (= Chrestom. II 31).

11) P. Taur. 1 VII 13-22 (cf. ibid. VI 3 et P. Paris. 15, 59 sqq.).

12) *Reichsrecht und Volksrecht* p. 501-503.

quo Macedones in Aegypto usi sint, necessario cum iure Attico convenire oportuisse; nec animadvertit ipsos Ptolemaeos hac parte Graeca instituta sustulisse. Quid igitur est? Adversariorum verbis se tuetur, ubi dicunt [1]): si *ἐπὶ Λαοκριτῶν*, id est, *κατὰ τὸν τῆς χώρας νόμον* [2]) causa ageretur, et fundum quasi heres suum esse peteret, actori prius probandum fore iustum se heredem esse, deinde vero fundum, quem peteret, hereditarium. Sed, ne pro sua sententia Mitteis his posset uti, statim subiungunt: *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ κατὰ τοὺς πολιτικοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα* [3]) — id est, secundum ius Graecum [4]) et novorum regum constitutiones — actorem oportere *τὰς αὐτὰς ἐπιδείξεις ποιησάμενον* [5]) *καὶ ταξάμενον τὴν ἀπαρχὴν* [6]) *κληρονομίαν ἀπογράψασθαι* [7]) *ἢ ἀποτίνειν αὐτὸν δραχμὰς μυρίας, καὶ ἃς ἂν ποιήσηται οἰκονομίας ἀκύρους εἶναι καὶ μὴ ἐξεῖναι ἐπὶ τὰ τῶν τετελευτηκότων ἐπιπορεύεσθαι* [8]), antequam scilicet *ἐπίσταλμα* [9]) impetraverit quis. Apparet utroque iure Aegyptio, id est, quum quod ibi natum est, tum quod Macedones invexerunt,

---

1) P. Taur. 1 VII 3-13.

2) Ita appellatur ius vere Aegyptium in eo papyro, quem laudamus (cf. Mitteis, op. cit. p. 50 not. 2) et P. Tebt. 5, 216-220. Rursus P. Oxy. 237 VIII 22 *ἐγχώριον νόμισμα*, 34 *ἐπιχώριο(ς) νόμο(ς)*. Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. XII not. 1.

3) *Τὰ διαγράμματα* habet P. Petrie III 21 (g), 46/7. Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. XIII not. 3.

4) Ita vertebam *Archiv für Papyrusf.* III (1906) p. 7.

5) Horum rationem quidem habebat Mitteis, op. cit. p. 49 not. 1 (p. 50), sed non recte iis portendi credebat, „*(dass) auch vor den griechischen Gerichten dem Kläger irgend eine Beweislast obgelegen hab(e)*". In ipso textu scribebat (p. 50) probandum esse actori „*dass er die Erbschaftssteuer .... bezahlt habe*". Ea omnia nunc ipse cancellat ad Chrestom. II 31 VII 3-13.

6) Id est *vectigal necessarium* (Paul. IV 6 § 3); *τὰ καθήκοντα τέλη* (P. Grenf. I 17, 12); „*l'impôt sur les successions*" (Lumbroso, *Recherches* (1870) p. 307; Wilcken, Ostr. I (1899) kap. IV § 140; Meyer, *Ztschr. der Sav-St.* XVIII (1897) p. 58/9). — Diversum est quod solvitur pro aperiendo testamento (Wessely, *Sitzungberichte* (*Wien*) 124 (1891) IX p. 26).

7) P. Amh. 72, 5: *ἐντὸς τῶν ὁρισθεισῶν ἡμερῶν*.

8) Similiter habet lex Attica: *ἀνεπίδικον μὴ ἐξεῖναι ἔχειν μήτε κλῆρον μήτε ἐπίκληρον* (Demosth. XLVI § 22) et lex Austriaca (§ 797): „*Niemand darf eine Erbschaft eigenmächtig in Besitz nehmen*". Diximus supra (cap. LXXVI).

9) P. Berol. (*BGU*) 241, 42 (Gradenwitz, *Einführung* I p. 81). Suppleo: *χωρὶς ὧν πρὸς τὸ ἐ]πίσταλμα τῆς διαιρέσεως κατεβλήθη*. Batavus lector conferat art. 28 et 32 *der ordonn. recht v. succ.* 4 Oct. 1805 (*Publicatiën en notificatiën betr. alg. belast.* 1806 I p. 53 sqq.).

easdem probationes (τὰς αὐτὰς ἀποδείξεις) petitori incumbere, hoc discrimine, quod lege Graeca ante constare debeat de iure hereditario, quam quis pro herede gerat, proinde, ut recte gerat, hereditatem profitendam esse [1]) apud suum iudicem [2]), ut cognoscatur, an sit heres, quum κατὰ τὸν τῆς χώρας νόμον nihil obstet, quo minus quis ἐπέλθ(ῃ) .... οὔτε κατ' ἀγχιστείαν ἀπογραψάμενο(ς) οὔτε κατὰ διαθήκην ἀπολελεῖ(φθαι) [3]), id modo ne committat in Graeci testatoris bonis, quia ea par est Graecorum iure regi [4]). Ergo κατὰ τὸν τῆς χώρας νόμον in ipso petitorio iudicio èt hereditarium èt proprietatis ius inspicitur, verum κατὰ τὸν πολιτικὸν heres constituitur sententia eius, apud quem ἀπογράφονται αἱ κληρονομίαι, quem Transrhenani „*Nachlassrichter*". Quod autem attinet ad commodum possessoris, interesse desiit, postquam Macedonibus edicto remissa est auctoris sistendi vel certe instrumenti proferendi possidentibus necessitas. Conspirant autem in hac utique re, sicut Romana et Aegyptia, ita ab altera parte Graecorum et Germanorum instituta [5]), in tantum, ut me quidem iudice sine Germanorum iuris notitia ne Atticum quidem intelligi recte possit [6]). Ergo iure Germanorum [7]) tem-

---

1) Sistit hereditatis ἀπογραφὴν P. Amh. 72 (= Bruns, Font. (1909) no. 125) anni p. Chr. 249 (*Arch. f. Papyrusf.* II p. 127). Diversa est singularum rerum professio, licet ab herede fiat, cuius exstant documenta P. Oxy. 75 (Wilcken, Ostr. I p. 468); 247-250; 481; 482; 636-638; 715; *BGU* 1034; P. Lips. 9.

2) Porrigi quidem videtur P. Amh. cit. non iudici, sed ἀπαιτητῇ διοικήσεως (Wilcken, *Archiv* cit. II p. 127). Sed intercesserant tria semis saecula.

3) P. Heidelb. 1280 + P. Grenf. I 17 (lin 6/8), quae verba ibi quidem pertinent ad ingressionem tutoris, non heredis.

4) Quia regula est iuris gentium, *ut secundum leges civitatis suae* quisque *testetur* (Ulp. XX § 14; cf. Isocr. XIX § 12-15). Sic tutela defertur κατὰ τοὺς νόμους τοῦ πατρός (*BGU* 667, 21; 907, 2/3).

5) Horum in universum magnam esse adfinitatem et multo maiorem quam Graecorum et Romanorum, contendit Rabel, *Verfügungsbeschränkungen* (1909) p. 4.

6) Sic e diverso iuri Longobardico adhibet Tamassia (*Archivio giur.* 72 (1904) p. 456/7) Atticum.

7) Cf. imprimis Hübner, *Immobiliarprozess der fränk. Zeit* (1893); Brunner, *Rechtsgesch.* II (1892) § 118, § 119; Planck, *Gerichtsverf. im Mittelalter* I (1879); Franken, *das französ. Pfandrecht im Mittelalter* (1879) § 19-21; Stobbe, *Handbuch* II (1875) § 145; 146; Heusler, *die Gewere* (1872); Bethmann-Hollweg, *Civilprozess* V (1871); IV (1869); Laband, *Vermögensr. Klagen* (1869); Sohm, *Prozess der* lex Salica (1867) § 9-14; Siegel, *Gesch. des deutschen Gerichtsverfahrens* I (1857). Reliquos duces laudabo suo quemque loco.

poris praescriptione remota [1]) debet rei mobilis possessor aut omnis, aut quatenus locus est exceptioni Saxonicae „*Hand muss Hand wahren*" — nam creditur quidem exceptio Germanis ab initio fuisse communis [2]), sed repellunt eam Visigothi [3]) et horum exemplo Bajuwari [4]) et repellunt eam, quod plus multo refert, Ripuarii [5]), ex diverso recepisse eam perhibentur Britones [6]) — ergo debet aut omnis rei mobilis possessor aut, ubi locus est exceptioni suprascriptae, eius rei possessor, quae furtiva dicatur [7]), apud se natam esse demonstrare [8]) vel sistere auctorem, apud quem nata sit [9]). Quodsi talis auctor non fuerit, auctor auctorem rursus sistere debet. Itaque iam lege Salica [10]) praescribitur, ut *qui vendideri(n)t aut cambiaveri(n)t aut fortasse in solutionem dederi(nt) omnes .... comm(o)n(e)antur* [11]). Similiter lege Ripuaria, ut possessor *auctorem suum repraesent(e)t* [12]), deinde

---

1) Capitularibus regum Francorum antiquioribus (7 § 3; 8 § 13) et edicto Roth. 228 (add. post Grim. 4, quod non comprehendit nisi *casas, familias vel terras*, etiam Liutpr. (Pap.) 114; Aist. (Pap.) 9) temporis praescriptio ad res mobiles extenditur (cf. Rauch, *Spurfolge und Anefang* (1908) p. 20/2; Herb. Meyer, *Entwerung und Eigentum* (1902) p. 150/1). Quod non mansit.

2) Cf. Franken, op. cit. p. 270, p. 292.

3) Eur. 289 cf. Reccesw. V 4 § 8 (Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 510). Repugnat Herb. Meyer, *Entwerung und Eigenthum* (1902) p. 36/7.

4) XVI 4. Cf. Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 510.

5) Tit 72 § 1. Vidit Stobbe op. cit. § 146⁵.

6) Saeculo X. Cf. inprimis Herb. Meyer, *Entwerung und Eigentum* p. 31/3.

7) Furtivam dici ab initio oportuisse negat Sohm, op. cit. p. 60/1: „*zur Zeit der Volksrechte .... hat Kläger .... dieblichen Verlust* (*nicht*) *zu behaupten*". Deinde pergit: „*aber es findet sich* (laudat in eam rem l. Sal. tit. 37) *unzweideutig der Satz ausgesprochen, dass materiell dass Vindicationsverfahren an die Voraussetzung des unfreiwilligen Verlustes gebunden ist*". Sed observandum est: ubi sufficiat iurato dicere, *quod in propriam rem manum mittat*, id est, apud Ripuarios (tit. 33 § 1), ibi etiam non esse locum exceptioni „*Hand wahre Hand*" (tit. 72 § 1). Quocirca descriptio Rudolphi non convenit veteribus, ut ipse vult, legibus: convenit Gostariensibus aliisque.

8) *Ssp.* (= *Sachsenspiegel*) II 36 § 3. — Magna lis est, quum locus sit exceptioni „*Hand wahre Hand*", actorem adversarii probatio, rem apud se natam esse, utrum ideo repellat, quia hoc modo paret rem non esse furtivam (Laband, op. cit. p. 120 sqq.; Planck, op. cit. I p. 702 not. 4), an, quia hoc modo paret rem esse possessoris (Sohm, op. cit. p. 103/5; Bruns, *Besitzklagen* (1874) p. 229 sqq.).

9) *Ssp.* II 36 § 6.

10) ed. Behrend (1897).

11) tit. 47. Cf. Rauch, *Spurfolge und Anefang* (1908) p. 8.

12) tit. 33 § 1.

res, quae vindicetur, *de manu in manu(m) ambul(et)*, praescribitur, *donec ad ea(m) manu(m) veni(a)t, quae e(am) illicito ordine vendid(er)it* [1]) *vel furaverit* [2]), id est: ultimam manum pro iniusta habendam esse, nisi demonstretur rem ibi natam esse [3]). Quamquam non putat Brunner [4]) vetere Francorum iure talem defensionem admitti, quae sententia merito displicet Amirae [5]) Pauloque Rehme [6]). Sed ipse se refellit Brunner: quia enim educator pro fure haberi nusquam terrarum umquam potuit, ideo, cui denegat exceptionem, eidem permittere cogitur negationem [7]), remittit igitur eiusmodi possessori vel sic auctoris dationem. Eadem autem ratione, qua debet sistere auctorem rei mobilis possessor, debet lege Ripuaria, quia lex Ripuaria [8]) sicut ipsa lex Salica [9]) in servi proprietatis causa mobilium rerum sequitur exemplum, ex diverso praediorum mos Saxonicus [10]), quod iam ante usu venit in formula 30 (ia. 27) Merkeliana [11]), debet igitur lege Ripuaria is quoque, qui in servitutem petitur et manumissum sive ante regem [12]) se dicit sive in ecclesia, libertatis auctorem sistere [13]) atque sic deinceps *de*

---

1) His verbis demonstratur, quod supra diximus: Ripuariis non probari exceptionem „*Hand wahre Hand*".

2) tit. 72 § 1.

3) Cf. Bethman-Hollweg, *Civilprozess* IV § 23[22] (p. 47); Franken, op. cit. p. 284/5 (23, 24); Schroeder, *Rechtsgesch.* (1907) § 37 (post not. 112).

4) *Rechtsgesch.* II p. 508.

5) *Gött. gel. Anz.* 158 (1896) p. 204.

6) *Gött. gel. Anz.* 167 (1905) p. 981/2. Etiam Rauch (*Spurfolge und Anefang* p. 18/20) desciscit hic a praeceptore suo.

7) „*die volle Negation*". Cf. *Entst. der Schwurger.* (1872) p. 172/3: „*allerdings .... konnten .... Einreden im Gewande der Negation auftreten, da in die Klagformel Worte aufgenommen werden mussten, ... welche die verbrecherische Absicht ausdrücklich betonten*" (Idem docet Schroeder, *Rechtsgesch.* (1907) § 37 not. 17; ulterius procedit van Kuyk, *Histor. besch. over het antw.* Dissert. Leid. (1908) p. 54/5 iis. p. 47-50).

8) Tit. 72 § 1.

9) Tit. 47.

10) Laband, *Klagen* p. 178; Planck, *Gerichtsverf.* I p. 742.

11) Observavit Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* V § 81[13] (p. 102). Cf. praeterea Capitul. 65 § 15; 80 § 4; 156 § 3 (id. ibid.).

12) Iure quidem Salico a non domino *ante regem* manumissus fiebat liber, quocirca cautum est: *res vero .... legitime reformetur* (l. Sal. 26 § 1).

13) L. Rip. 57 § 2; 58 § 6, § 7. Ei quidem, qui per denarium manumissus est, etiam *gladio suo* libertatem suam defendere permittitur (tit. 57 § 2).

manu in manu(m) ambulare ...., *qua(ntu)mvis mult(ae) venditiones ex illo fact(ae) fuissent*, antequam [1]) *ad ea(m) manu(m)* veniret [2]), *quae eum ingenuum d(i)misit* [3]). Anglicorum quoque Saxonum legibus [4]) debet rei mobilis possessor aut iurare cum duobus testibus rem apud se natam esse [5]) aut auctorem sistere [6]). Sed ibi tertius auctor auctorem sistere iam non cogitur: sufficit ei petitorem ad auctorem ducere, quod mutavit Aethelredus [7]). Praescribit enim, ut omnis auctor sistatur [8]), post hunc Cnut [9]), ne tertius auctor auctore se defenderet, constituit. Mansit haec auctoris dandi necessitas etiam sub Normannis sub hac tamen condicione, *(si) ex causa furtiva res aliqua petatur versus emptorem* [10]), iam enim iis temporibus *n(o)n adiecta felonia* [11]) vindicari poterat res mobilis *eo quod prius fu(isse)t* actori quam reo *adquisita* [12]), nec servabatur exceptio „*Hand wahre Hand*" [13]). Sane ita fit apud scriptores, in ipsis enim rerum documentis talis actio ne tunc quidem apparere dicitur [14]). Videtur etiam

---

1) Lex habet *usquedum*.

2) Lex habet *venit*.

3) L. Rip. 58 § 8.

4) ed. Liebermann.

5) Aethelstan II 9 (p. 154): *sylle thone ath, thaet hit on his aehte geboren waere buton tham rim-athe*. Laudat praeterea Rehme, *Gött. gel. Anz.* 167 (1905) p. 982²: Iusiur. 3 § 4 (p. 396).

6) Locos collegit Phillips, *Versuch einer Darst. des Angelsächs. Rechts* (1825) not. 540-542. Sunt autem: Loth. et Eadr. 7 (p. 9), 16 § 1 (p. 10); Inae 35 § 1 (p. 104); 53 (p. 112); 75 (p. 122); foed. Aelfr. et Guthr. 4 (p. 128); Eadw. 1 (p. 138); Aethelred II 8 et 9 (p. 224, 226); Cnut II 24 (ia. 23) (p. 326); Duns. 8 (p. 378); Iusiur. 3 § 2, 7 (p. 396, 398).

7) II 9 (p. 226).

8) Manet nihilominus ad auctorem ductio Duns. 8 (p. 378).

9) II 24 § 2 (p. 326).

10) Glanv. X 15 § 2 (cf. Pollock et Maitland, *History of english law* II (1895) p. 162, 660).

11) Cf. Pollock et Maitland, op. cit. II p. 160: „*we have the word of Bracton*, ... *that the plaintiff may* .... *omit the 'words of felony' of his count*". Cf. praeterea Brunner, *Entst. der Schwurger.* (1871) p. 205 post notam 3 (laudat Summam de legibus Normanniae).

12) Glanv. X 15 § 1.

13) Cf. Pollock et Maitland, op. cit. II p. 153, 171.

14) Ibid. p. 166, 174; Scrutton, *Influence of roman law* (1885) p. 188 ima („*cases in the Yearbooks show, that the bailor had originally no remedy against third persons*").

in lege Burgundionum esse auctoris datio, si quidem, ubi praescribitur [1]), ut *quicumque .... quodlibet suum agnoscit, a possessore .... fideiussorem idoneum accipiat*, intelligenda est, ut in Aethelredi lege [2]), satisdatio de auctore sistendo, quod probant Sohm [3]), Brunner [4]) atque Rauch [5]), potest tamen intelligi satisdatio ad iudicium veniendi [6]). Plane apud Visigothos hoc ius omnino corruptum est; iubet enim Recceswindus non omnem possessorem auctorem sistere, sed eum, qui *sciens a fure comparaverit* [7]) quive *de incognito homine* sine fideiussore, *cui credi possit*, emerit [8]), quae lex recepta quidem est inter Bajuvariorum leges [9]) sed condicione ita mutata, ut gentis institutum revocaretur. Iubetur enim is, qui de fure *nesciens* comparaverit, *require(re) accepto spatio venditorem*, ut is firmet, id est, auctoritatem praestet [10]), quod tamen ei tantum facere licet, qui vel rem comprehendit extra ducatus terminum in exercitu [11]) vel ipse laboravit ex propria materia [12]) vel in hereditate invenit vel domi nutrivit [13]). Ergo, si talis auctor non sit, auctoris auctor quaerendus est, aut petitori componendum. Ubi enim semel firmata est, licet *campio quaesitoris vicerit*, tamen emptori abstrahi res non potest [14]). Langobardorum denique legibus [15]) rei mobilis

---

1) Tit. 83 § 1.

2) II 8 (Rauch, *Spurfolge und Anefang* p. 14 not. 3).

3) *Prozess der* lex Salica p. 92.

4) *Rechtsgesch.* II p. 502[44].

5) *Spurfolge und Anefang* p. 112.

6) Cf. tit. 17 § 4; tit. 82 § 1; Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV § 39[58] (p. 169).

7) L. Visigoth. VII 2 § 9.

8) Ibid. VII 2 § 8.

9) IX 7.

10) Hoc solum interest, quod apud ceteros populos omnes auctoritas praestatur rem a possessore recipiendo, at firmatio fit apud solos Bajuvarios rem possessori iterum tradendo. Quod explicat Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 510, sed falso scribit (p. 511 not. 101) ad rem, quae furtiva dicatur, non pertinere. Nam, nisi furtiva res dicitur, possessor venditorem requirere non iubetur.

11) De iure praedae Saxonico cf. Laband, *Vermögensr. Kl.* p. 77; Planck, *Gerichtsverf.* I p. 703; Stobbe, *Handbuch* II (1875) § 149 III (p. 591); Herb. Meyer, *Entwerung und Eigenthum* p. 47.

12) L. Bajuv. XVI 11.

13) L. Bajuv. XVI 14.

14) L. Bajuv. XVI 11. Quamquam cf. Heusler, *die Gewere* p. 31-33 (et rursus Herb. Meyer, *Entw. und Eig.* p. 40/1).

15) Longobardorum leges semper laudamus ex libro Papiensi.

possessor debet aut probatione vel certe iureiurando *equum esse natum de suo iumento* [1]) aut auctore dato se defendere, non tamen ut auctorem sistat, sed ut petitorem ad auctorem ducat (Roth. 231: *si quis comparavit ancillam et postea venerit alter homo, qui eam suam dicat esse, revertantur pariter ad auctorem*), quo pertinet Othonis I cap. 7: *super tertium warentem et tertium comitatum non procedat* [2]). Debet enim auctor ad auctorem eodem ordine ducere, donec perventum ad eum sit, *qui auctorem dare nequiverit* [3]), vel quia fur est, vel quod nutrivit. Ergo omnes istae leges arcto quodam cognationis vinculo iunguntur; maior tamen est Longobardici iuris et Saxonici familiaritas [4]), quia utrubique [5]) non sistitur auctor sed ad auctorem petitor ducendus est [6]). In eo quidem iuris Saxonici praecipua causa est, quod petitor, licet adversarius auctoritate deficiatur, tamen rem non habebit, nisi sacramento et duobus testibus datis [7]), qui furtivam sciant [8]), nam iure Longobardico nulla probatio requiritur, postquam iuravit actor: *quod ipse caballus suus proprius est nec eum vendidit vel donavit* [9]). Quod sacramentum etiam est

---

1) Form. ad Oth. I, 7; form. et expos. (§ 6) ad Roth. 232.

2) Hoc etiam invenitur in Anglicorum Saxonum legibus (cf. supra) et Saxonicis et Francicis quibusdam statutis, nisi numero variatur (velut ne super *septimum* auctorem procedatur), et est nonnumquam pro petitore (ut tertius auctor condemnetur), nonnumquam contra petitorem (ut tertius auctor absolvatur). Cf. Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 502/3; Laband, *Vermögensr. Klagen* p. 129/30; Planck, *Gerichtsverf.* I p. 717; Herb. Meyer, *Entw. und Eig.* p. 91-93; Pollock et Maitland, *Hist. of english law* II (1895) p. 162[8] (qui apud Glanv. X 15 § 3 emendant *quartum* pro *quotum*).

3) Expos. (§ 1) ad Oth. I, 7.

4) Cf. Brunner, *Rechtsgesch.* I (1906) p. 536[34].

5) De iure Saxonico cf. *Ssp.* II 36 § 5 (Laband, op. cit. p. 126/7).

6) Medium est ius Anglicorum Saxonum (cf. supra et Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 502).

7) *Ssp.* II 36 § 7 (Laband, op. cit. p. 115/6; Planck, op. cit. I p. 833 („*die neuere Form*"); Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV § 23[28] (p. 48). Est ubi solus actor iuret (Laband, op. cit. p. 116/7; Planck, l.l. not. 36, Herb. Meyer, *Eig. und Entw.* p. 43 lin. 10 sqq.) etiam in Galliae partibus (Franken, op. cit., *Anhang* (p. 275-288) nis. 3; 4; 23) sed Slesvici *duobus testibus productis .... manu duodecima* (Laband p. 113, Herb. Meyer, op. cit. p. 128).

8) *Ssp.* II 36 § 4 (i. f.) (Laband, op. cit. p. 116). Atqui apud Goslarienses (*Gosl. Statut.* p. 98, 19-23) scire debent rem actoris esse. Cf. Laband, op. cit. p. 109, 116; Planck, op. cit. I p. 833[37]; Franken, *franz. Pfdr.* p. 294.

9) Expos. (§ 5, § 7) Roth. 232; (§ 5) Roth. 347; (§ 1) Oth. I, 7.

in lege Ripuaria [1]), atque huic simile in Anglicorum Saxonum legibus [2]) et in Saxonicis quibusdam statutis [3]), id est, ut iuret actor [4]) statim initio litis, rem sibi furto ablatam [5]). Ne ceteris quidem in barbarorum legibus vel prisci aevi documentis [6]) invenitur actoris probatio, quum auctore vel probatione reus defectus sit. Ergo, ne quis quod alienum est vel quod furtivum non est vindicet, solum obstat iusiurandum, prout concipitur. Si concipitur sic: *quod in propriam rem manu mittat* [7]), omnimodo obstat, ne alienum, sin vero sic: vindicare se iure publico [8]), et ius publicum furto remoto vindicare non permittit, etiam ne vindicetur non furtivum. Sane, quod ad hanc causam attinet, nihil refert, utrum initio litis an post auctoris defectionem sacramentum interponatur, quia hoc totum pendet ex iurisiurandi conceptione. Ergo iure Saxonico, quamvis dominus posse videatur rem suam a quocumque possidente vindicare [9]), neque enim iurat litis initio [10]), tamen vindicabit sine effectu, nisi furtivum vindicet, debet enim hoc post auctoris defectionem testibus et ipsius iureiurando comprobari [11]). Est igitur exceptionis „*Hand wahre Hand*" exsecutio [12]), ubi quidem exceptioni locus est,

---

1) Tit. 33 § 1: *quod in propriam rem manum mittat.*

2) Aethelstan II 9; Iusiur. 2 (Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 501 not. 42); Duns. 8 (ed. Liebermann p. 154, 396, 378).

3) Planck, op. cit. I p. 832 („*die ältere Form*").

4) Apud Anglicos Saxones cum quinque sacramentalibus (Duns 8) vel uno de quinque (Aethelstan II 9).

5) Adnotat Planck, op. cit. I p. 833: „*es ist klar, dass* (*dieser Eid*) *nur gegen Gefährde schützen soll*". Cf. Sohm, *Prozess der* lex Salica p. 74; Bethmann-Hollweg, op. cit. IV § 70[10] (p. 481); Rauch, *Spurfolge und Anefang* p. 13 ima. Puto equidem hanc definitionem omni litigatoris sacramento convenire.

6) Res mobiles vindicantur *GU* no. 419, ubi putat quidem Hübner (*Immobiliarproz.* p. 190) ad rerum immobilium exemplar mancipia vindicari, nec refellitur eo, quod diutinae possessionis ratio non habetur.

7) L. Rip. tit. 33 § 1. Multos praeterea locos congessit Herb. Meyer, *Entw. und Eig.* p. 14/6.

8) Aethelstan II 9: *thaet he hit on folc-ryht him to-teo.*

9) *Richtsteig Landr.* 11 § 4 (cf. Planck, op. cit. I p. 837; Herb. Meyer, *Entw. und Eig.* p. 82).

10) Exceptis, sicut diximus, quibusdam statutis.

11) Cf. glossa, quam exscribit Planck, op. cit. I p. 838.

12) Laband, op. cit. p. 119[1]: „*die prozessualische Geltendnachung*". Quam tamen nec ipse definit, nec, ad quem remittit, Planck, *Gerichtsverf.* II p. 417 sqq, et ne

iurisiurandi, quod petitori vel statim imponitur vel post auctoris defectionem, conceptio. Quamquam iuribus iis, quae habent exceptionem nec tamen habent iusiurandum de furto [1]), quae fuerit exsecutio exceptionis, quaerendum est.

(*Continuabitur*).

Brunner quidem, *Rechtsgesch.* II p. 499: „*wer* (*den Anefang*) *vornimmt, schlägt die Hand an die Sache .... weil sie ihm gestohlen .... worden sei*", p. 508: „*der* (*Anefang schloss*) *ja die Behauptung des unfreiwilligen Verlustes in sich*".

1) Convenit descriptio statutis Goslariensibus (p. 98, 15-23) et quibusdam Francicis (Franken, *franz. Pfdr.*, *Anhang* (p. 275-288) nis. 3; 4; 23).

AD ARISTOPHANIS LYSISTR. VS. 1027.

Nuper Iulius Hirschberg Berolinensis, vir clarissimus, de Aristophanis editione a me curata et alia nonnulla mihi scripsit benevolentissime et Lysistratae fabulae versum quendam mihi indicavit, qui eius arte — ophthalmologiae enim studio vitam dedit — melius quam mihi contigerat potest explicari. Cui gratias egi statim ex animi sententia, nunc ago iterum. Sunt verba quibus senex aniculae, culicem in ipsius oculum irrepsisse perhibenti, respondet:

τοῦτ' ἄρ' ἦν με τοὐπιτρῖβον! δακτύλιος οὑτοσί·
ἐκσκάλευσον αὐτό κτέ.

Putaveram equidem annulum fuisse adhibitum ad invertendam palpebram (cf. Plut. 721), ut bestiola sub ea latitans posset eximi. Sed optimo iure Hirschberg observat sic non posse intellegi *effodiendi* verbum *ἐκσκαλεύειν*, addit autem veram interpretationem ex Aëtio medico II 3 § 18: „*ἐὰν εἰς τὸν ὀφθαλμὸν κώνωψ ἤ τι ἕτερον ζωΰφιον ἐμπέσῃ, μύσας τὸν ἕτερον ὀφθαλμὸν καὶ διανοίγων τὸν πεπονθότα ἐξελεύσεται αὐτομάτως τὸ ζωΰφιον, ... εἰ δὲ ἐμμείνῃ, δ α κ τ υ λ ί ῳ ἔ ξ ε λ ε.*" Quae verba ipsi Hirschbergio olim suspecta, *δ α κ τ ύ λ ῳ* enim cum Cornario tum verum ducebat (Augenheilkunde des Aëtios, Leipzig 1899 p. 40), recte habere postea eum docuerunt libri medicorum Arabum, hos enim revera solitos fuisse vermiculos sub oculi palpebra abditos *anello includere* et sic foras trudere (cf. Hirschberg Gesch. d. Augenheilkunde, in Graefe-Saemisch XIII p. 187, 1908 et Centralblatt für praktische Augenheilkunde 1913 init.).

v. L.

LECTIONES VALERIANAE.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Valerii Maximi Factorum et Dictorum Memorabilium Libri Novem. Iterum recensuit Carolus Kempf, Lipsiae 1888.

Iure Th. Stanglius nuper admonuit, in Valerii Maximi scriptis etiam post curas secundas, quas Kempfius iis adhibuit, postque saluberrima W. Heraei, R. Novakii, Schuetzii, Vahleni, Valentini studia multos locos manu emendatrice indigere, atque ipse vir clarissimus, de litteris Latinis optime meritus et dictionis Valerianae peritissimus, complures corruptelas feliciter iam sustulit atque etiamnunc tollere pergit (vid. Wochenschr. f. klass. Philol. 1912 33/34 sqq.). Cuius annotationes cum sedulo perlegerem itaque ad Valerii opus post longum temporis intervallum essem reductus, illa quae olim inter legendum ascripseram diligenter excutere quaeque futuris scriptoris nostri editoribus fortasse haud omnino spernenda viderentur, eorum iudicio in Mnemosyne nostra subicere decrevi.

I 1, 10 p. 6, 7 *in id virgines et sacra inposita omisso coepto itinere Caere oppidum pervexit, ubi c u m summa veneratione recepta.* Obtemperandum non esse libris dett. editoribusque vett., qui verba ultima cum iis quae sequuntur *grata memoria* etc. iungere solebant, dum insuper pro *testatur* de suo *testantur* scribebant, sed omnino interpungendum post verbum *recepta* Halmius perspexit probavitque Kempfius. Quod tamen ille maluerat: *recepta* ⟨sunt⟩. *grata,* hic non recepit. Nescio an copula, quam aegre

desiderari Halmio assentior, non interciderit, sed lateat sub litteris praepositionis *cum*; nempe si mecum scripseris: *ubi sunt summa veneratione recepta*, nihil iam erit quod Valerii dicendi generi repugnet. Cf. I 1, 12 p. 7, 9: Latinos magna diligentia adservandos curaverunt.

I 1, 13 p. 7, 17 *Tarquinius autem rex M. Atilium duumvirum, quod librum secreta rituum civilium sacrorum continentem, custodiae suae conmissum corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culleo insutum in mare abici iussit.*

Voc. *sacrorum*, quod Novakio suspectum iam fuit, de loco suo deturbatum quin sit inque versum superiorem post voc. *duumvirum* traiciendum mihi quidem dubitatio nulla est. Duumviri sacrorum s. sacris faciundis commemorantur apud Livium III 10, 7, V 13, 6 atque e loco apud Dion. Hal. IV 62, quem ipse Kempfius conferri iubet, manifestum est M. Atilium eo honore functum esse: *Ταρκύνιος δὲ τῶν ἀστῶν ἄνδρας ἐπιφανεῖς δύο πρcχειρισάμενος, καὶ δημοσίους αὐτοῖς θεράποντας δύο παραζεύξας, ἐκείνοις ἀπέδωκε τὴν τῶν βιβλίων φυλακήν. Ὧν τὸν ἕτερον Μάρκον Ἀτίλιον ἀδικεῖν τι δόξαντα περὶ τὴν πίστιν, καὶ μηνυθένθ᾽ ὑφ᾽ ἑνὸς τῶν δημοσίων ὡς πατροκτόνον, εἰς ἀσκὸν ἐνράψας βόειον ἔρριψεν εἰς τὸ πέλαγος.*

I 1, 14 p. 8, 7 (Regulus) *Karthaginem petiit, non quidem ignarus ad quam crudeles quamque merito sibi infestos [deos] reverteretur, verum quia his iuraverat, si captivi eorum redditi non forent, ad eos sese rediturum.*

Voc. *deos*, pro quo Perizonius *dominos* — Gertzius *eo* coniecit et codex unus recentior *hostes* exhibet, Kempfius cum Guyeto inclusit. At non inducendum sed loco suo reddendum esse arbitror eumque esse post *iuraverat*. Constructionis exempla multa Drakenborchius attulit ad Sil. Ital. VIII. 105, e quibus duo haec describo: Cic. ad Fam. VII. 12: quomodo autem tibi placebit Iovem lapidem iurare? Tibull. IV 13. 15: Haec tibi sancta tuae Iunonis numina iuro. Neque hoc praetermittendum est, in reliqua narratione (*potuerunt profecto dii inmortales* e. q. s.) ubique sermonem esse de deorum voluntate ac consilio, quos scriptor omnino non significaverit si voc. *deos* erit expunctum.

I 1, 15 p. 8, 19 (Post pugnam Cannensem) *maiore* *p a e n e* *Romanarum virium parte in execrabili ac diro solo iacente nullius penates maeroris expertes erant.*

Adverbium *paene,* quod ad *maiore* ineptissimum est, ad *nullius* nemo non requirit, qua de causa Valerium scripsisse credo: *maiore Romanarum virium parte — iacente nullius* *p a e n e* *penates m. e. e.* Corruptelae origo satis obvia est: scriba cum litterarum similitudine deceptus voc. *paene* omisisset, errorem ita correxit ut vocabulum supra lineam adderet, unde facile in versum superiorem migravit.

I 1 Ext. 3 p. 12, 2 *Quamquam quid attinet mores natione perpendi? i n media barbaria ortus sacrilegium alienum rescidit: Syracusis genitus Dionysius* e. q. s.

Verba *in media — rescidit* ad Masinissam factumque eius pium pertinent, quod modo scriptor enarravit. Nonne igitur verisimile est, veram lectionem esse: *i l l e media barbaria ortus,* qua diserte ille Dionysio opponatur?

I 2 Ext. 3 p. 16, 9 *Lycurgus* *c o n s i l i o* *A p o l l i n i s* *gravissimae civitati Lacedaemoniorum leges conpositas ferre se persuasit.*

In hisce Iulii Paridis verbis iustum ordinem restitueris, si verba quae sunt *consilio Apollinis* post voc. *leges* mecum collocaveris, quo facto Halmium et Gertzium epitheton *gravissimae* iniuria sollicitasse protinus patebit.

I 5, 3 p. 22, 15 *arripuit igitur omen Paulus exque fortuito dicto quasi *** certam spem clarissimi triumphi animo praesumpsit.*

Lacunam a Kempfio notatam Wenskius explere voluit additis verbis: *divinitus missa voce.* Praetulerim: *divinitus dato,* cl. huius capitis Ext. 1 p. 24, 22: quam illi velut d i v i n i t u s d a t u m praesidium interpretati libenter receptam vera fatorum praedictione victoriae ducem habuerunt, I 7 Ext. 8 p. 42, 19: laetus igitur perinde ac d i v i n i t u s p r o m i s s a victoria exercitum pugnae conparabat. Supplementum a me propositum Wenskiano praestare opinor propterea quod inde causa explicari potest quae librarium in errorem abduxerit: nempe propter verborum *dicto* et *dato* similitudinem eum vocc. *divinitus dato* neglexisse suspicor.

I 5, 6 p. 23, 22 *quae vox spem eius [quae] quantulamcumque [restabat] comminuit, neque id dissimulanter tulit.*

In libris mss. cum exaratum sit: *quae quantulumcūq. restabat,* Kempfius, quandoquidem in Paridis Epitome legitur: *quae vox spem eius quantulamcumque minuit,* locum qualem supra exprimendum curavi constituit, verba *quae restabat* ad explicandum *quantulamcumq.* a librario adiecta esse ratus. At hercle vero quemquam umquam censuisse pronomen lippis et tonsoribus notissimum explicatione ista indigere quis credat? Neque igitur quidquam uncinis includendum esse aio, sed exigua admodum mutatione facta locum emendandum: pro scriptura tradita *quantulumcumque* reponendum est *quantulacumque*; quae quantulacumque restabat i. e. quae quamvis perexigua etiamtunc supererat.

I 5 Ext. 2 p. 25, 6 *ex insperato enim superatis hostibus successum suum omini acceptum referentes et tunc Aeanti ut deo immolaverunt et deinceps omnibus proeliis duce uti instituerunt.*

Pro *omini* emendandum est: *amni*, quod vitium manifestum editores nondum sustulisse magnopere miror. Vocabulum apud nostrum recurrit I 8 Ext. 19 p. 56, 18.

I 6, 5 p. 27, 5 monstra varia enumerantur: *puerum infantem semenstrem in foro boario triumphum ⟨clamasse⟩, alium cum elephantino capite natum* e. q. s.

Verbum *clamasse* in codd. mss. non legitur, sed quia in Nepotiani Epitome est: *triumphum clamavit* atque apud Liv. XXI 62, 2 *triumphum clamasse* reperitur, editores hoc verbum inserere solent, quamquam causam, propter quam omitti potuerit, frustra quaero. Iam suspicio me tenet, Valerium non id verbum scripsisse, sed: *in foro boario boasse triumphum*; ita fieri facile potuit ut librarius oscitans propter vocabulorum *boario* et *boasse* similitudinem hoc neglegeret. Vid. Fest. p. 30. 4 M: boare, id est clamare, a Graeco descendit.

I 6, 7 p. 28, 12 *cum itinere converso Genuam petisset et ibi scapham esset ingressus, anguis eximiae magnitudinis visus e conspectu abiit.*

Kempfius iure summo lectionem traditam cum Paride servavit

spreta Stangeri coniectura *ingressurus*. Quid enim? Hydrum marinum h. l. dici credo, qui nostra acta diurna nonnumquam — aestivo maxime tempore, cum deest quod legentibus perferant — infestare solet. Ceterum Paris non melius quam Stangerus anguis speciem perspexit, utpote qui eum in navigio visum esse putaverit; nam verba eius sunt: cum — scapham esset ingressus, in ea anguis eximia magnitudine visa e conspectu abiit.

I 6 Ext. 1 p. 32, 10 *ne, si ulterius Romana adprehendero, e caelesti templo ad privatas domos non † consentaneos usus transtulisse videar.*

Corrupto et mutilo loco, quem multi iam coniecturis sanare conati sunt quas Kempfius in apparatu critico enumerat, sententiam ego quidem restituere velim legendo: *non consentanea rursus*. Voc. *consentanea* Cicero quoque substantive adhibuit De Or. II 170, ubi ei oppositum est voc. *repugnantia*.

I 6 Ext. 3 p. 34, 2 *ac mihi quidem illae apes non montem Hymettium tymi flore redolentem, sed Musarum Heliconios colles omni genere doctrinae virentis dearum instinctu depastae maximo ingenio dulcissima summae eloquentiae instillasse videntur alimenta.*

Verba *dearum instinctu* non ante — sed post voc. *depastae* legendum esse quivis nimirum, semel admonitus, concedet neque verbum unum addere opus est.

I 8, 2 p. 45, 21 *tum legati perinde atque exoptatae rei conpotes expleta gratiarum actione cultuque anguis a peritis excepto laeti inde solverunt.*

Pro *excepto* Halmius proposuit *percepto*; malim *accepto*.

I 8, 4 p. 46, 20 *Fortunae etiam Muliebris simulacrum — non semel sed bis locutum constitit † prius his verbis: 'rite me, matronae, dedistis riteque dedicastis.'*

Magnum coniecturarum numerum, quibus viri docti hunc locum in integrum reducere conati sunt, Kempfius congessit, quibus meam nunc addere libet, quae est: *propitiis verbis*.

I 8, 6 p. 48, 9 *itaque Fabricii edicto supplicatio Marti est habita et a laureatis militibus magna cum animorum laetitia oblati auxilii testimonium ei est redditum.*

Pro *animorum* dubito an Valerius scripserit: *Thurinorum.*

II 1, 2 p. 58, 2 *quod genus severitatis aetas nostra diligentius in Capitolio quam in suis domibus conservat, videlicet quia magis ad rem pertinet dearum quam mulierum disciplinam contineri.*

Ante voc. *pertinet* excidit littera *p.*; scriptum enim fuit, ut passim apud nostrum, *ad rem p.* pro: ad rem publicam.

II 1, 10 p. 61, 1 *pubertas canis suum decus reddebat, defuncta [viri] cursu aetas ingredientes actuosam vitam fervoris nutrimentis prosequebatur.*

Lectio *fervoris* Eberhardo debetur, ipse editor infra paginam *ardoris* proponit. Cum autem libri mss. *favoris* praebeant atque locus ad superiora illa respiciat, ubi auctor affirmat, maiores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera panxisse, quo ad ea imitanda iuventutem alacriorem redderent, nullus dubito quin vera ac genuina lectio fuerit: *laboris nutrimentis.* Cf. II 6, 7 p. 77, 8: omnibus autem, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiae quaerunt, clausas portas habet.

II 2, 8 p. 65, 16 *imperatoribus nostris quam sanctas manus habere deberent apud ista altaria discentibus.*

Immo potius *apud ipsa altaria.*

II 3, 1 p. 67, 2 *memorque* (Marius sc.), *si militaria signa humilitatem spernere perseverarent, se a maligno virtutum interprete velut capite censum imperatorem conpellari posse.*

Probe tenendum est, traditam esse in codicibus lectionem: *militaris ignavia,* cui additum est in unius margine *militaria.*

Lipsius inde elicuit *militaria signa,* quam coniecturam Kempfius recepit neque tamen ab omnibus partibus probare videtur, quippe qui ascripserit: 'possis etiam suspicari *militaria signa ut ignavā*'. Idem Wenskii propositum memorat, quod est *militis originis ingenuae.* Denique Cornelissen (Mnemos. Vol. I p. 295 a. 1873) *militaris arrogantia* in librorum scriptura latere censuit.

Mihi quidem Lipsium veram lectionem partim feliciter revocasse persuasum est — partim, inquam, nam partis posterioris vocis traditae *ignavia* rationem non habuit neque unde nasci potuerint litterae *via* explicavit. Quae cum ita sint, Valerii manus tota demum restituta erit, si mecum reposueris: *si militaria signa vitae humilitatem sp. p.*

II 3, 2 p. 67, 8 *Armorum tractandorum meditatio a P. Rutilio consule Cn. Malli collega militibus est tradita.*

Non, opinor, primum sub P. Rutilio milites Romani meditari coeperunt quomodo arma tractanda sibi essent; non igitur armorum tractandorum *meditatio*, sed potius *melior ratio* a Rutilio iis tradita est, qui, ut scriptor deinde exponere pergit, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legionibus ingeneravit.

II 4, 2 p. 68, 18 *ut scilicet remissioni animorum * standi virilitas propria Romanae gentis nota esset.*

Ad voc. *animorum* haec a Kempfio annotata sunt: „addidit *iuncta* A^2 et sane id ipsum vel *coniuncta* supplendum videtur e Paride: ut scilicet remissioni animorum standi virilitas coniungeretur" et Halmium pro *nota* legere suadentem *iuncta* iure refutat aliis exemplis e Valerio allatis ubi substantivum *nota* eadem significatione occurrit.

Credo verbum *iuncta* revera excidisse, sed post voc. *nota,* quod cum librarius propter similes vocabulorum exitus omisisset atque errore cognito supra addidisset, facile fieri potuit ut in versum superiorem migraret; itaque legendum videtur: ut scilicet remissioni animorum standi virilitas, propria Romanae gentis nota, iuncta esset.

II 4, 4 p. 69, 9 *itaque placandi caelestis numinis gratia compositis carminibus vacuas aures praebuit ad id tempus circensi spectaculo contenta.*

Emenda *vacuas aures ⟨res p.⟩ praebuit.* Vide supra ad II 1, 2 p. 58, 2.

II 6, 4 p. 76, 3 *Eiusdem urbis et sanctissimum consilium Areios pagus quid quisque Atheniensium ageret aut quonam quaestu susten-*

taretur diligentissime inquirere solebat, ut homines honestatem, vitae rationem memores reddendam esse, sequerentur.

Kempfius post *urbis* inserendum putat *vetustissimum* — Gertzius *et antiquissimum* vel *summum.* Equidem potius *e t s a l u b e r r i m u m*, quod tam propter litterarum ductus, qui vocc. *et sanctissimum* similiores sunt, facile excidere potuit quam sententiae, quae verbis *ut homines — sequerentur* expressa est, magis est consentaneum.

II 6, 7 p. 78, 3. Apud Massilienses cicuta publice custoditur ut modo iis praebeatur qui causas, propter quas mors sibi expetenda sit, senatui probaverint, *cognitione virili benivolentia temperata, quae neque egredi vita temere patitur et sapienter excedere cupienti celerem fati viam praebet, ut vel adversa vel prospera nimis u s i s fortuna — comprobato exitu terminetur.*

Voc. *usis* iam olim corruptum fuisse videtur, cum in libris mss. scriptura parum constet (in cod. Bernensi littera *s* in fine erasa est, cod. Laurentianus *usi* exhibet), unde Perizonius *usus* iam maluit atque editor noster vocem valde suspectam sibi esse affirmat.

Genuinam lectionem revocare ita mihi videor: *ut vel adversa vel prospera nimis v i s a fortuna — comprobato exitu terminetur.*

Corruptelae originem sic mihi fingo, scribam aliquem primum terminationem voc. *visa* fini voc. *nimis* per errorem assimilasse, quo facto alius aliter verbum depravatum emendare atque sententiam probabilem loco restituere conatus sit.

II 7, 8 p. 86, 28 *precibus deinde suis exercitus occasionem Fabio confugiendi in urbem dedit, ubi frustra senatus auxilium inploravit.*

In eo erat ut Q. Fabius Rullianus, magister equitum, a lictoribus verberaretur iussu Papirii dictatoris, adversus cuius imperium ille copias in aciem eduxisset. Quae ubi Valerius multis verbis enarravit, verba supra a me descripta sequuntur. Exercitus igitur h. e. milites Fabio occasionem in urbem confugiendi dederunt — non Papirius, qui postea quoque in exigenda poena perseveravit. At, rogo, quid tamen verba *precibus deinde suis* sibi volunt? Confiteor me nullo modo ea extricare posse. Narratio nimirum flagitat, milites primum Papirium precibus suis

sollicitasse ut Fabio ignosceret, deinde precibus nil valentibus duci dilectissimo occasionem confugiendi dedisse clam dictatore. Quod tum demum Valerium dicentem faciemus, si post verba *precibus deinde suis* nonnulla excidisse statuerimus qualia sunt *nil valentibus* vel *cassis* vel *irritis*.

II 7, 15 p. 90, 3 *quo tempore tam* † *iniusto*, *tam gravi propter inmane rei publicae damnum etiam tribunus militum adulandus erat*, e. q. s.

In his *iniusto* vitiosum esse affirmare nemo dubitat; inter varias codicum mss. lectiones interque coniecturas multas, quibus viri docti locum sanare studuerunt, cum nulla sit quae satis placeat, rogo annon Valerius scripsisse putandus sit: *quo tempore tam incerto*.

II 8, 2 p. 95, 3 *sed ne Valerius quidem inprobe, quia fortis et prosperae pugnae ut non legitimum ita* ** *praemium petiit*.

Alii alia supplenda censuerunt, e quibus Kempfii propositum, quod Halmius recepit, *meritum* praestare videtur. At tamen melius etiam duco: *promeritum*. Vocabula enim *promeritum* et *praemium*, si praefixa *pro*- et *prae*- siglis palaeographicis exarata sunt, mire sibi consimilia sunt, unde alterum facile omitti potuerit.

II 9, 1 p. 98, 18 *ite igitur et non odiosam exsolvite stipem, utilem posteritati numerosae*.

Madvigii coniecturam *non odiosam* pro corrupta librorum mss. lectione *nodosam*, quamvis Kempfio satis probatam, Valerii manum nobis non restituisse credo neque restituerunt aliorum inventa, quae editor contulit. In *nodosam* enim vix dubito quin lateat: *nunc otiosam*. Quod si mecum scriptori reddideris, censores illos feceris senes caelibes sic allocutos: Ite igitur et aerario exsolvite pecuniam, quae nunc quidem (h. e. donec vestra erit) otiosa iacet, sed simulatque in aerarium delata fuerit utilis erit posteritati numerosae.

II 10, 2 p. 104, 21 *qui — laeti, quod Scipionem vidisse contigisset, ad* † *lares reverterunt*.

Hic locus quamquam multis corruptus visus est nescio an nullo omnino laboret vitio. Postquam Torrenius *naves* coniecit, omnes critici praedones illos mari advenisse rati, cum praesertim in Nepotiani Epitome legatur: *suam classem conscenderunt,* voc. *lares* mendosum putant atque *rates* et *classes* coniecturae Torrenianae adiecerunt. At hercle vero Nepotianum apud Valerium prorsus idem legisse credo quod nunc nos legimus, sed cum praedones (vs. 4) vel latrones (vs. 24) illos piratas fuisse intellegeret, verba Valeriana *ad lares reverterunt,* quae nihil dicunt nisi *domum redierunt,* verbis suis *classem conscenderunt* reddidit. Equidem non nego, immo verisimile duco, praedones navibus venisse ac rediisse, sed Valerium id non diserte significasse aio. Ceterum cf. Georges s. v.: ad larem suum reverti liceret (Cic.), lare recipere (Liv.), abire ad lares (Amm.).

(*Continuabuntur*).

AD SPARTIANI VITAM HADRIANI.

De imperatore Hadriano ita Aelius Spartianus in eius vita, c. 20, 1: „In conloquiis etiam humillimorum civilissimus fuit, detestans eos, qui sibi hanc voluptatem humanitatis quasi servantis fastigium principis inviderent.” In quo loco iam haesit Cornelissen, qui Mnemos. N. S. Vol. XI p. 247 proposuit: *quasi* ⟨*non*⟩ *servanti.* Quid si una litterula mutata scribimus *quasi servantes?* Nempe servare fastigium principis se velle profitebantur obtrectatores, qui Hadriani humanitatem, qua adversus homines uti gaudebat, vituperabant.

A. G. Roos.

AD CIC. VERR. L. III § 124.

Literas ait se misisse et confirmasse.

Ante *confirmasse* Hot. inseruit *praesentem.* Ad sensum rectissime, v. § 126 ubi ipsa Verris afferuntur verba haec: *nisi litteras misissem — nisi praesens confirmassem.* Sed verisimilius est ante *confirmasse* excidisse *coram.*

J. J. H.

VARIA.

SCRIPSIT

ALPHONSUS KURFESS.

(*Continuantur ex pag.* 114).

III.

AD SALLUSTII IN CICERONEM QUAE FERTUR INVECTIVAM.

(*Cf. Mnem. vol. XL p.* 364 *sq.*).

C. Sallustii Crispi Catilina, Iugurtha, historiarum reliquiae codicibus servatae. accedunt rhetorum opuscula Sallustiana. Henricus Iordan tertium recognovit. Berolini 1887. p. 136, 24.

Paulum Petzold in dissertatione, quae inscribitur 'De Ciceronis obtrectatoribus et laudatoribus Romanis' (Lipsiae 1911) simul fere mecum ultro eodem rediisse et partim iisdem argumentis nisum [1]) hanc invectivam flosculis Ciceronis ornatam et Sallustiana quadam arte compositam [2]) post Ciceronis mortem in rhetorum ludis ortam esse demonstravisse valde gaudeo [3]). sed unum contra hunc virum doctum non possum non proferre. probat enim Glareani lectionem 'homo novus Arpinas ex *C. Marii* familia', quam iam Sebastianus Conradus laudaverat et Wirzius quoque probaverat, cum codices omnes 'ex *M. Crassi* familia' exhibeant.

1) l. c. p. 29 sq. 2) ibid. p. 50.

3) Sed cum ipse oratiunculam in Asinii Pollionis schola ortam esse suspicari ausim, Petzoldus eam ex Cestii circulo originem duxisse putat (p. 67); sed quae contra Asinium Pollionem profert (p. 66), nihil valere arbitror. nam Asinium Pollionem eiusque asseclas Sallustio et sermoni Sallustiano enixe operam dedisse constat. sed de hac re nihil certum.

contra equidem arbitror codicum lectionem locum suum tueri.

Iam Reitzensteinius [1]) cognovit verba *'quasi unus reliquus e familia viri clarissimi Scipionis Africani'* (§ 1) et *'verum ut opinor .... ex M. Crassi familia'* (§ 4) inter se respondere et inde propriam illam vocem, quam optime vertit 'vom Schlage des Krassus' adhibitam esse. eo accedit, quod verba invectivae consentiunt cum veterum de M. Crasso iudiciis:

Ps.-Sall. III, 4.	Veterum de M. Crasso iudicia.
verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex M. Crassi familia, illius virtutem imitatur,	Plut. *Crass.* 7: Ῥωμαῖοι μὲν οὖν λέγουσι πολλαῖς ἀρεταῖς τοῦ Κράσσου κακίαν μόνην ἐπισκοτῆσαι τὴν φιλοπλουτίαν. Vell. II 46, 2: *vir cetera sanctissimus immunisque voluptatibus.*
contemnit simultatem hominum nobilium, rem publicam caram habet,	Dion. 57, 56, 5: ἀκριβῶς μὲν γὰρ οὔτε τὰ τοῦ πλήθους οὔτε τὰ τῆς βουλῆς ἐπολίτευεν, τῆς δὲ ἰδίας αὐτοῦ δυναστείας ἕνεκα πάντ' ἔπραττε, καὶ διὰ τοῦθ' ὑπήρχετό τε ἀμφοτέρους (scil. Caesarem et Pompeium) σφᾶς ὁμοίως καὶ τὴν πρὸς ἑκατέρους ἔχθραν ἐξέκλινεν.
neque terrore neque gratia removetur a vero [2]), *amicitia tantum ac virtus est animi.*	Plut. *Caes.* 7: Κράσσος δὲ μέσος .... πλείστας μεταβολὰς ἐν τῇ πολιτείᾳ μεταβαλλόμενος οὔτε φίλος ἦν βέβαιος οὔτε ἀνήκεστος ἐχθρός, ἀλλὰ ῥᾳδίως καὶ χάριτος καὶ ὀργῆς ἐξέπιπτεν ὑπὸ τοῦ συμφέροντος, ὥστε πολλάκις μὲν ἀνθρώπων, πολλάκις δὲ νόμων ἐν ὀλίγῳ φανῆναι τῶν αὐτῶν συνήγορος καὶ ἀντίδικος. ἴσχυε δὲ καὶ χάριτι καὶ φόβῳ, φόβῳ δ' οὐκ ἔλαττον.

1) Herm. XXXIII (1898) p. 95.

2) Sic cum Reitzensteinio, *aliud vero* codd.

Quod codices exhibent, verum esse magis magisque tibi persuadebis, si ea perlegeris, quae antecedunt. auctor enim invectivae Ciceroni crimini dat, quod omnibus modis et artibus sibi pecuniam comparaverit, et in fine capitis dicit: *'cui dubium potest esse: opulentiam istam ex sanguine et miseriis civium parasti?'* etiam M. Crassum omni modo divitias paravisse constat [1]) et idem fere Plutarchus refert *Crass.* 7: τὰ δὲ πλεῖστα .... ἐκ πυρὸς συνήγαγε καὶ πολέμου, ταῖς κοιναῖς ἀτυχίαις προσόδῳ τῇ μεγίστῃ χρησάμενος. optime igitur et gravissime ineunte novo capite dicitur: *'ex M. Crassi familia'*.

Sed Reitzensteinius [2]) ut bene codicum lectionem probavit, ita falso de hoc loco mihi videtur iudicavisse. liceat mihi totum locum exscribere:

„In dem höhnenden Anfang des neuen Theiles *Verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex M. Crassi familia, illius virtutem imitatur, contemnit simultatem hominum nobilium, rem publicam caram habet, neque terrore neque gratia removetur a vero, amicitia tantum ac virtus est animi* ist das Bild des Crassus, der unbekümmert um die Anfeindungen der Nobilität, nur das Staatswohl vor Augen, ohne Furcht und ohne Gunstbuhlerei seinen Weg geht, ganz Freundschaft und Hochherzigkeit, sehr beachtenswerth. Vor jeder Aenderung des Namens wird ja wohl die Schilderung der Politik des Crassus bei Dio 36, 57(?!) und seines Verhältnisses zu Freunden und Clienten bei Plutarch *Crass.* 7 warnen. Aber giebt es überhaupt einen Rhetor, der nach dem Tode des Crassus diesen so aufgefasst und einen derartigen Lobhymnus auf ihn so gewaltsam in die Invective hineingezogen hätte? Seit dem Tage von Carrhae steht für Crassus das Urtheil, dass seine Habsucht Rom unermessliches Unglück gebracht hat, fest. Kein Römer konnte das vergeben. Nur bei seinen Lebzeiten und in dem Kreise einer bestimmten Partei kann das geschehen sein; es ist ein so individueller Zug, dass es allein genügen müsste, die Rede nicht einem beliebigen späten Declamator zuzuweisen."

Contra equidem arbitror haec invectivae verba non solum de

---

1) Cf. W. Drumann, Geschichte Roms, IV² (Leipzig 1908) p. 123.

2) l. c. p. 98.

Cicerone, sed etiam de Crasso per ironiam dicta esse et illis non solum non laudem, sed utriusque obtrectationem inesse, id quod ex locis, quos supra attuli, satis appareat, et eam ob rem post pugnam Carrhensem scripta esse. Crassi personam non per vim adhibitam esse supra demonstravi. posterioris denique declamatoris opus esse hanc oratiunculam hodie nemo contenderit, sed ante Quintilianum, qui invectivam bis ut genuinam affert (inst. IV 1, 68 et IX 3, 89), conscriptam esse viri docti inter se consentiunt.

IV.

DE FUFII CALENI IN CICERONEM ORATIONE [1]).

Cassius Dio in libro XLV inde a c. 18 usque ad c. 47 Ciceronem Kal. Ian. anni a. Chr. n. 43 in senatu in templum Concordiae convocato, ubi patres de statu rei publicae deque honoribus ac praemiis ducum et militum, qui contra Antonium arma ceperant, sententias dicturi erant, in Antonium orationem habentem fingit. oratio autem, quam Cicero re vera habuit, nobis adhuc tradita est: oratio Philippica quinta. sed Dio orationem suam ex pluribus Philippicis, imprimis e prioribus conglutinavit et in unam contraxit [2]) et paulum tantum addidit [3]), sed ordinem mutavit et historicam fidem plane neglexit. nam postquam C. Vibius Pansa et A. Hirtius consules sententias dixerunt, Calenum, Pansae socerum et Antonii amicum, primum sententiam rogatum esse, deinde Ciceronem oratione Philippica

---

1) Exstat apud Cassium Dionem in libro XLVI c. 1—28 (ed. Boissevain, vol. II, Berol. 1898).

2) Cf. Drumann, Geschichte Roms I² p. 168. — Initium Dionis orationis e Ciceronis Philippica oratione I, ceteras partes non tam ex sex prioribus vel ex omnibus quattuordecim Ciceronis orationibus Philippicis quam e secunda eaque una fluxisse demonstrare conatur Guilelmus Heimbach (Quaeritur, quid et quantum Cassius Dio in historia conscribenda inde a l. XL usque ad l. XLVII e Livio desumpserit. Diss. Bonnae 1870, p. 42).

3) Sic Cicero Calenum adloquitur, quem ille in quinta Philippica nullo loco admonet.

quinta respondisse constat [1]). Dio igitur Ciceronis orationem Caleneae anteposuit, ut sub Caleni persona accusationes et criminationes a Cicerone Antonio factas refutaret et ei invectivam numquam habitam opponeret. nunc etiam clarius fit, cur in priore oratione Cicero Calenum adloquatur, quod orationi Philippicae quintae plane repugnat.

Sed cum Dio in Ciceronis oratione Cicerone ipso usus interdum ad verbum et in rebus minutissimis cum illo consentiat, in Fufii Caleni responso (XLVI, 1—28) res aliter se habet. nam Antonii *ἀντιγραφὰς πρὸς τοὺς Φιλιππικοὺς* Dionis aetate iam dudum periisse quis negaverit? sed in scholis rhetorum — exempli gratia dico Asinii Pollinis et Cestii Pii — exercitationis causa declamationes plerumque tractabantur, quarum materia aut ex historiis aut ex veritate et re trahebatur aut tota fingebatur [2]). talium declamationum, quae de Ciceronis persona agunt, una Sallustii nomine fertur [3]). atque mirum in modum haud pauci loci consimiles sunt; haec notavi *παράλληλα*:

Cass. Dio XLVI.	Ps.-Sall. in Cic.
c. 3, 3: *καὶ τὸν μὲν Ἀντώνιον, ὃν τέως ἀγαπᾶν ἔλεγεν, ὑβρίζει καὶ λοιδορεῖ, τῷ δὲ δὴ Καίσαρι … συναίρεται· κἂν οὕτω τύχῃ, κἀκείνῳ ἐς μακρὰν ἐπιθήσεται.* 3, 4 *ἄπιστός τε γὰρ φύσει καὶ ταραχώδης ἐστί, καὶ οὔτε τι ἕρμα ἐν τῇ ψυχῇ ἔχει καὶ πάντα ἀεὶ κυκᾷ καὶ στρέφει, πλείονας μὲν τροπὰς τρεπόμενος τοῦ πορθμοῦ, πρὸς ὃν ἔφυγεν, ἐφ' ᾧπερ καὶ αὐτόμολος* [4]) *ἐπωνομάσθη, πάντας*	IV, 7 quem amicum, quem inimicum habes? cui in civitate insidias fecisti, ancillaris. . . . . quem maxime odisti, ei obsequeris … his maledicis, illos odisti, levissime transfuga, neque in hac neque in illa parte fidem habens.

1) Cf. Cic. Phil. V 1, 1 et 2, 5.

2) Cf. I. G. Fischer, De fontibus et auctoritate Cassii Dionis in enarrandis a Cicerone post Caesaris mortem a. d. XVI Kal. Apr. de pace et Kal. Ian. anni a. Chr. n. 43 habitis orationibus. Diss. Lipsiae 1870. p. 26 sq. — Ed. Schwartz in 'Pauly-Wissowa, Realencyclopaedie' p. 1719.

3) Cf. Mnem. XL (1912) p. 364.

4) Cf. 22, 2 *καίτοι πόσῳ σε κρεῖττον ἦν … ἀντὶ δὲ τῆς ἀπιστίας, ἣν ἐκείνῳ* (scil. Antonio) *προφέρεις, αὐτὸν μήτ' ἄπιστόν τι ποιεῖν μήτ' αὐτομολεῖν.*

δὲ ὑμᾶς ἀξιῶν καὶ φίλον καὶ ἐχθρὸν νομίζειν, ὃν ἂν αὐτὸς κελεύσῃ;	
4, 1: ἐκ μὲν τῶν κακῶν τῶν ἀλλοτρίων καὶ πλουτεῖ καὶ αὔξει[1]).	II, 4 opulentiam istam ex sanguine et miseriis civium parasti.
5, 1: εἶτα τοιοῦτος αὐτὸς ὤν, ... ἐτόλμησας, ὦ μιαρώτατε.	III, 5 atque is cum eiusmodi sit, tamen audet dicere.
5, 3: ἐργολαβῶν δὲ καὶ τὰς τῶν δικαστῶν ἀποφάσεις, καὶ φίλον μὲν μόνον τὸν πλέον ἀεὶ διδόντα, ἐχθροὺς δὲ δὴ πάντας τοὺς ἀπράγμονας .... νομίζων.	II, 3 ex coniuratis alios .... pecunia condemnabas, cum tibi alius .... villam exaedificabat alius domum emebat: qui vero nihil poterat, is erat calumniae proximus.
12, 1: εἶτα τούτων οὕτως ἐχόντων τολμᾷς λέγειν.	II, 3 atque haec cum ita sint, tamen Cicero dicit.
16, 3: οὕτω που ὁ μέγας οὗτος καὶ φιλόπολις ῥήτωρ ὁ πανταχοῦ καὶ ἀεὶ θρυλῶν καὶ λέγων ‘ἐγὼ μόνος ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ἀγωνίζομαι, ἐγὼ μόνος ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας παρρησιάζομαι· ἐμὴ οὔτε χάρις φίλων οὔτε φόβος ἐχθρῶν ἀπείργει τοῦ μὴ οὐ τὰ συμφέροντα ὑμῖν προσκοπεῖν.’	III, 4 rem publicam caram habet, neque terrore neque gratia removetur a vero, amicitia tantum ac virtus est animi[2])
18, 6: τοσαύτῃ ἀσελγείᾳ καὶ ἀκαθαρσίᾳ παρὰ πάντα τὸν βίον χρώμενος, ὥστε μηδὲ τῶν συγγενεστάτων ἀπέχεσθαι, ἀλλὰ τήν τε γυναῖκα προαγωγεύειν καὶ τὴν θυγατέρα μοιχεύειν.	I, 2 an non ita a pueritia vixisti ut nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alicui collibuisset? II, 2 filia, matris paelex, tibi iucundior atque obsequentior quam parenti par est.
20, 1 σὺ δ', ὦ Κικέρων, τί ἐν τῇ ὑπατείᾳ σου οὐχ ὅτι σοφὸν ἢ	II, 3 quasi vero non illius coniurationis causa fuerit con-

1) Cf. 6, 1 ἔν τε τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐντέθραψαι καὶ ἐν ταῖς τῶν πέλας συμφοραῖς ἐκπεπαίδευσαι.

2) Sic cum Reitzensteinio (Hermes 33 p. 98).

ἀγαθόν, ἀλλ' οὐ καὶ τιμωρίας τῆς μεγίστης ἄξιον ἔπραξας; οὐχ ἡσυχάζουσαν μὲν καὶ ὁμονοοῦσαν τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ ἐξετάραξας καὶ ἐστασίασας; [1])	sulatus tuus et idcirco res publica disiecta eo tempore, quo te custodem habebat.
20, 2: καίτοι πολλὰ μὲν περὶ τῶν νόμων, πολλὰ δὲ καὶ περὶ τῶν δικαστηρίων ἀεὶ καὶ πανταχοῦ θρυλῶν.	I, 1 ubiubi M. Tullius, leges iudicia rem publicam defendit [2]).
21, 3 καὶ οὕτω γε ἀναίσχυντος εἶ, ὥστε καὶ συγγράψαι ταῦτα τοιαῦτα ὄντα ἐπεχείρησας· ὃν ἐχρῆν εὔχεσθαι μηδὲ τῶν ἄλλων τινὰ αὐτὰ συνθεῖναι, ἵνα ἀλλὰ τοῦτό γε κερδάνῃς, τὸ συναπολέσθαι σοὶ τὰ πεπραγμένα καὶ μηδεμίαν αὐτῶν μνήμην τοῖς ἔπειτα παραδοθῆναι.	III, 6 egeris, oro te, Cicero, perfeceris quidlibet: satis est perpessos esse: etiamne aures nostros odio tuo onerabis, etiamne molestissimis verbis insectabere?
22, 3: μισεῖ μάλιστα πάντων τούς τι αὐτὸν εὖ πεποιηκότας, καὶ τῶν μὲν ἄλλων ἀεί τινας θεραπεύει, τούτοις δὲ ἐπιβουλεύει.	III, 5 immo vero homo levissimus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum, modo illarum partium, fidus nemini, levissimus senator, mercennarius patronus [3]).
22, 7: οὕτως οὔτε τὰ δίκαια πρὸς τοὺς νόμους οὔτε τὰ συμφέροντα πρὸς τὸ τῷ κοινῷ χρήσιμον ἐξετάζει, ἀλλὰ πάντα ἁπλῶς πρὸς τὴν ἑαυτῶν βούλησιν διάγει.	ibid. tu perturbata re publica metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuae cogebas, cum omnia iudicia, omnes leges in tua libidine erant.

Inde Rogerius Willmans [4]) conclusit Dionem ex invectiva Pseudosallustii hausisse, cum priorem orationis partem, qua

---

1) Cf. 25, 5: καὶ τίνα μὲν ἀρχὴν εἶχες, τί δ' οὐκ ἂν ἔδρασας ὅπλα καὶ στρατιώτας λαβὼν ὁ τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα ἐν τῇ ὑπατείᾳ ταράξας;

2) Cf. Mnem. XL (1912) p. 372.

3) Cf. etiam Dion. 46, 7, 1: τὸν ὑπὲρ τοῦ δικαίου λόγον πωλεῖν ἢ καὶ τοὺς ἀδικοῦντας σώζειν.

4) De fontibus et auctoritate Dionis Cassii. Diss. Berol. 1835. p. 36.

Antonius contra Ciceronem defenditur, ex Antonii refutationibus profectam esse contendat. [1]) contra iam I. G. Fischer [2]) dicit Dionem non ita sibi quidem cum invectiva congruere videri, ut inde mutuasse eum sit necesse; sed et Dionem et invectivae auctorem aut eodem usos esse fonte aut ex formulis quibusdam ac sententiolis in rhetorum scholis, ubi Ciceronis mores maligni crebro carpebant (cf. Quint. XI, 1, 24; Senec. suasor. VII, 37) hereditate quasi posterorum memoriae iterum ac rursus traditis tantam similitudinem esse natam opinatur [3]). deinde Zielinskius [4]) cognovit nonnullos locos in Dionis oratione melius adhibitos et dispositos esse quam in Pseudo-Sallustii invectiva. tum genus Ciceronis in Dionis oratione longe aliter tractatur atque in Pseudo-Sallustii invectiva. ille, qui cum Plutarchi fonte consentit, Ciceronis patrem fullonem fuisse (4, 2) contendit, unde illius eloquentia (4, 3), inconstantia (5, 2), ignavia (7, 3) derivantur [5]). hac de re nihil comperimus ex invectiva Pseudosallustii, qui ad uxorem Terentiam crimen, quod inest verbis 'uxor sacrilega et periuriis delibuta' (II, 2), de illius sorore, quae cum Catilina incestum fecisse dicebatur [6]), et crimen 'immensae gulae' (III, 5) de filio ad patrem ipsum audacter transtulit [7]). De filia tantum, ut supra vidimus, inter se consentiunt. denique si Caleni orationem perlegeris, eam pulchrius compositam et ornatius dictam esse quis negaverit? igitur fieri non potest, ut Dio a Pseudo-Sallustio ipso pendeat.

---

1) Contra vide Zielinski, Cicero im Wandel der Jahrhunderte[2], p. 354 et 355.

2) l. c. p. 33.

3) Similiter res se habere mihi videtur de Ps.-Sall. ep. ad Caes. II 9, 2 et Ps.-Sall. inv. in Cic. III 5. cf. Mnem. XL (1912) p. 341 adn. 3. aliter sentit de hac re Wirzius (Festgabe zu Ehren Max Büdingers, Innsbruck 1898, p. 116).

4) l. c. p. 350.

5) Cf. Zielinski l. c. p. 351; R. Wünsch, Berl. philol. Woch. 1907 p. 457.

6) Zielinski l. c. p. 349 supplevit: uxor <adultera, soror> sacrilega etc.

7) Cf. P. Petzold, De Ciceronis obtrectatoribus et laudatoribus Romanis. Diss. Lipsiae 1911 (p. 43).

DE CODICE SENECAE ANGELICO
(MS. LAT. 1356).

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT H.F.

De Senecae dialogorum traditione post Madvigii Kochii Vahleni Gertzii imprimis investigationes hoc saltem inter viros doctos hodie convenit, e codicis Ambrosiani fonte praecipue esse hauriendum, neque prae eo ceteris apographis adhuc notis multum auctoritatis esse tribuendum. Tamen aliud quid est illud censere, aliud Gertzio adstipulari haec asseveranti: „maxime tenendum est, nullam olim extitisse textus traditionem ab ea, quam Ambrosianus exhibeat, ita diversam, nedum ita meliorem, ut non solo Ambrosiano ad textum constituendum contenti esse possimus" [1]). Quisnam quaeso manca veritate contentus esse potest, etiamsi fortasse in omne tempus ea contentos esse opus erit neque umquam integram eam consequi licebit?

Contra causam irritam defendunt qui Ambrosiani auctoritati detrectare conantur quoniam inter codicum deteriorum spinas lilia conquirentes raros flosculos inveniunt. Ita e. g. Rossbachius rem tractavit [2]), quem Gertzius iure refutavit [3]). Mea quidem opinione id agendum est ut codices deteriores parcissime cautissimeque adhibeamus neque tamen desinamus eorum lectiones inter se conferre, communes stirpes indagare, nova subsidia quaerere. Etenim hoc quoque constat, haudquaquam ipsum co-

1) In editionis praefatione (1886), p. XXVII.
2) „De Senecae philosophi librorum recensione et emendatione," Vratisl. 1888.
3) B. Ph. W. 1889 p. 373.

dicem Ambrosianum ceterorum omnium esse parentem, sicut antea Madvigium secutus etiam Gertzius demonstrare studuit, qui ipse sententiam mutare postea coactus est. Quibus rebus adductus ipse codicem manuscriptum contuli Senecae dialogos nonnullos continentem, qui forte fortuna in manus mihi venit, neque quamquam paulum novae lucis afferentem prorsus silentio eum praeterire mihi est visum.

Romae in via dei Coronari quae dicitur bibliotheca exstat Angelica, anno 1620 condita ab Angelo Rocca Tagastae episcopo, qui omnes suos libros et codices manuscriptos Coenobio ordinis S. Augustini legavit. Haec bibliotheca et alias ditata est et anno 1761 imprimis, cum monachi Augustini bibliothecam Domenici Passionei cardinalis multis codicibus antiquis praeclaram emerent suaeque adiungerent. Ab Henrico Narducci viro egregio, bibliothecae Angelicae quondam praefecto, catalogus codicum manuscriptorum confectus est, typis expressus partim, partim manu scriptus. In eius tomo priore sub numero 1356 codex noster ita describitur: „Partim membranaceus, ceterum chartaceus, fol. 146, saec. XV ineuntis; binis colnmnis, praeter fol. 64ᵇ—66ᵃ, cum scholiis marginalibus, chartulis passim interiectis. Olim Nicolai Coxae, Messanensis ecclesiae Canonici. Continet: „Tabula Epistolarum Senece" (fol. 2—3), „L. Annaei Senecae ad Paulum et Pauli ad Senecam Epistt. XIV" (fol. 5ᵃ—8ᵇ), „De remediis fortuitorum liber" praevio prologo (fol. 8ᵇ—13ᵇ), „Liber de Moribus" (fol. 13ᵇ—18ᵃ), „*De Providentia*" (fol. 18ᵃ—28ᵃ), „*De brevitate vitae*" (fol. 28ᵃ—49ᵇ), „De quattuor virtutibus" (fol. 49ᵇ—53ᵃ), „Epistolae quattuor" (fol. 53ᵃ—59ᵇ); initium lib. I „de clementia" (fol. 59ᵇ), „Epistolae priores II et initium III usque ad verbum „protulerunt"." (fol. 60—136); quaedam excerpta e Seneca, laus Messanae, et epitaphium quod sibi fecit Elpes, uxor Boetii; tum: „liber iste est dn̄i Nicolai Coxa sancta Messanensis ecclesie Canonaci".

Antequam locos aliquot singulos tractare nec non notas quasdam criticas inserere incipiam, nonnulla praemonenda videntur de codicis genere atque natura. Artissime scilicet cohaerere eum cum codicibus D et E, qui Mediolani in bibliotheca Ambrosiana asservantur, e dialogo ad Polybium de consolatione scripto mihi

apparuit, quippe cum ad ceteros dialogos Ambrosiani tantum lectio ab editoribus adnotari soleat neque ipsi mihi eos codices inspicere contigerit. Id autem tenendum est, Angelicum non esse apographon illorum codicum, sed ex eodem archetypo originem duxisse (cfr. adnotatio mea ad Pol. de Cons. VI. 3, ubi solus codex noster genuinam lectionem servavit; sic etiam XVIII. 5, ubi cod. Ang. pronomen *illis* nobis tradidit, quod in D et E excidit).

Porro notandum est, ex eiusdem stirpis apographo velut fonte omnes fere manasse manus quintae in Ambrosiano correctiones, quibus quam turpissime codex ille vexatus est.

Quamquam igitur cod. Angelicus non praestat ceteris codicibus deterioribus, tamen nescio an operae pretium sit, raros flosculos a me inde collectos lectori offerre benevolo.

De Providentia.

I. 4. *): „iam vero si quis observaverit nudari litora pelago in se recedente eademque intra exiguum tempus operiri, *credet* caeca quadam volutatione modo contrahi undas," e. q. s.

Restituto coniunctivo qui dicitur potentiali *credat* scribendum esse videtur.

I. 6. „bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum *parat.*"

Cod. Ang. habet „sibi illum *praeparat* †)," quod nescio an recipiendum sit, coll. c. II. 3 „per quos certamini praeparantur."

III. 1. *) „his adiciam fato ista sic *ire et* eadem lege bonis evenire qua sunt boni."

Ita Madvig coniecit; „fato ista sic *ej rectę*" A; „fato ista *sic iubente*" Schultess; „fato ista sic *et recte*" Petschenig. Proponere velim: „fato ista *sic effecta.*"

---

*) Hoc signo eas notavi observatiunculas, quae solis meis coniecturis nituntur, quibus ergo cum cod. Ang. scripturis nihil commune est. Praeterea animadvertendum, in describendis Senecae verbis editione me usum esse v. d. Hermes, quae anno MCMV Lipsiae apud Teubnerum in lucem prodiit.

†) Abbreviationes vulgares, etiamsi in codice manuscripto inveniantur, missas feci.

IV. 5. *) „si quoscumque sustulisti *vides*".

An „vivos" exciderit, ut legendum sit: „si quoscumque sustulisti *vivos vides*", magnopere haereo. Huius quidem verbi videndi significationis sustentacula indagare non potui.

IV. 12. „praebendi fortunae sumus, ut contra *illam* ab ipsa *duremur*." In cod. Ang. sic legitur: „ut contra *ipsam* ab ipsa *induremur*", quod cum sermone Annaeano melius concinere videtur. Praesertim compositum pro simplici verbo aliis locis commendatur, velut Ep. IV med. „indurandus est animus et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus"; de benef. VII. 28 i. f. „adversus omnia, quae accidere possunt, adhortare te et indura"; denique in ipso hoc dialogo, c. I. 6 i. f. „bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat".

V. 1. „hoc est propositum deo, quod sapienti viro, *ostendere* haec quae vulgus appetit, quae reformidat, nec bona esse nec mala."

Haec sana esse omnique vitio carere persuadere mihi non potui. Quid? Hocine voluit Seneca, sapienti viro — non secus ac deo — propositum esse, „ostendere ea quae vulgus appetat, quae reformidet, nec bona esse nec mala"? Quid tandem quaeso sapientis viri intersit, quid vulgus appetat reformidetve?

In cod. A in fine verbi q. e. *ostendere* littera *t* erasa est, unde iam Aubertus proposuit *ut ostenderet.* Codex autem Angelicus haec praebet, quae ut pleraeque huius generis emendationes docto cuipiam correctori tribuenda videntur: „quod sapienti viro *ostendetur*". Equidem, si quid video, scribam: „hoc est propositum deo, *ut* sapienti viro *ostenderet,* haec quae vulgus appetit," cett. Optime tum sequuntur verba: „apparebit autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit, et mala esse, si tantum malis irrogaverit."

V. 3. „securos esse *percisos.*"

Ita Lipsius coniciendo locum restituit. Codicis A manus quinta *pbisos* habet; prima verbi littera *p* fuit, fortasse addita aliqua virgula, sive *p* sive *p* fuit; deinde *c* fuisse potest, sed nec *b* nec *v*.

Veram lectionem *percisos* cod. Ang. nobis servavit.

V. 9.*) „*hoc passa est*" A; „*crassa est*" (del. *hoc*) Gloecknerus; „*compacta est*" Karstenus; „⟨*quae iam*⟩ *hoc passa est*" Gertzius.

Antequam de hoc loco conclamato quid sentiam exponam, praemittere quaedam opus est *de negationis apud Senecam loco.* Qui scilicet attente dialogos eius perlegere consueverit, sine dubio animadverterit, emphatice eum negationem in sententiarum initio ponere solere, nisi secus agere certa ratio vel necessitas aliqua eum coëgerit. Cuius rei ipse dialogus de providentia haec exempla praebet:

II. 1: non miscentur contraria.
II. 2: non sentit illa.
II. 6: non fert ullum ictum inlaesa felicitas.
II. 8: non sunt illa puerilia.
II. 12: non fuit diis immortalibus satis.
II. 12: non enim tam magno animo mors initur.
III. 3: non licuit enim illi.
III. 3: non opus est in illum tota patientia mea.
III. 3: non potest sustinere vultum meum.
III. 11: non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt.
IV. 16: non est arbor solida nec fortis.
V. 2: non sunt divitiae bonum.
V. 9: non potest artifex mutare materiam.
V. 9: non erit illi planum iter.
VI. 4: non est ista solida et sincera felicitas.
VI. 9: non in alto latet spiritus.
VI. 9: non sunt vulnere penitus inpresso scrutanda praecordia.

In accusativis cum infinitivo constructis plane idem occurrit, velut:

I. 2: ostendere, non esse materiae errantis hunc ordinem.
III. 14: sciant, non esse haec mala.

Eorum autem locorum rationem ut par erat non habui, ubi verborum contextus negationis in initio positionem postularet, exempli gratia IV. 2: non gratulor tamquam viro forti; IV. 12: non est saevitia, certamen est; I. 2: (ostendunt), non sine aliquo custode tantum opus stare.

Duo quidem loci negligentius considerantibus excipiendi esse videantur, frustra tamen; nam quod c. II. 5 legitur: „feriatis

quoque diebus non patiuntur esse otiosos", inde excusatur, quod locutio q. e. „non patiuntur" idem valet atque „vetant", neque ergo reapse negative accipienda est; itidem c. III 4.: „magnum exemplum nisi mala fortuna non invenit", quippe cui loco vere negativa non insit vis; verba enim „nisi non" pro eo sunt quod est „tantum" (cfr. de Const. Sap. VII 2: „iniuria in bonos nisi a malis non temptatur"; ibid. „quodsi laedi nisi infirmior non potest").

Postremo duo restant loci, quorum alterum hic habemus c. V. 9 „quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt", alter occurrit c. I. 6: „bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum parat." Atqui perspicuum videtur, qua re adductus auctor philosophus a sua consuetudine recesserit. Nempe *ubi longior series verborum deinceps se exciperet, primum verbum cum negatione coniunctum a ceteris separare noluit.*

Itaque accidit, ut duobus his locis non scripserit: „non habet in deliciis bonum virum", cett., neque: „non possunt quaedam separari a quibusdam", cett. Quodsi quis fortasse obiciat, eam potius ob causam Senecam a sua ratione recessisse, quod duae deinceps sententiae cum vocula q. e. *non* incipientes duri aliquid haberent, locum inspiciat qui est c. VI. 9: „non in alto latet spiritus ...., non sunt ...." e. q. s.

Quid mihi velim? Num quid iam mirum, scribam vel potius commentatorem quempiam linguae Annaeanae non ignarum, in codice archetypo ita sententiam correxisse ut legeretur „non possunt quaedam separari a quibusdam", suprascriptis fortasse verbis q. s. *non possunt*? Mihi quidem hoc videtur, verba quae hodie in codicibus inveniuntur sensu omnino carentia *hoc passa est* quoquomodo depravata esse ex iis q. s. *non possunt*, in sententiae initio male transpositis. Quocirca delenda esse mihi videntur.

V. 10. „*sit* timor" A.
„*fit* timor", quod Heinsius coniecit, cod. Ang. praebet.

ib. „*trepidet* formidine pectus" A.
trepidat boni codd. Ovid., nec non cod. Ang.

ibid. „solet *ima* vereri" A.
ipsa cod. Ang. cum codd. Ov.

VI. 1. „omnia mala ab illis *removit*" A.
removet cod. Ang., quod propter praesentia antecedentia et sequentia vix dubito quin sit recipiendum.

VI. 7.*) „prono animam loco posui: † *trahitur*."
Simplicior medela adhibenda esse videtur, velim scilicet legere: *non trahitur*; coll. dial. X. 41. 1: „quemadmodum paventes moriuntur, non tamquam exeant de vita, sed tamquam extrahantur." Idem fere paulo infra Seneca his verbis indicavit; „non in alto latet spiritus nec utique ferro eruendus est."

De Brevitate Vitae.

I. 1. „nec huic publico, ut opinantur, malo turba tantum et imprudens volgus *ingemuit*; clarorum quoque virorum hic affectus querellas evocavit."
Cod. Ang. habet *ingemunt*, quod multo magis mihi placet. In altera enim sententia (*evocavit*) procul dubio Seneca tempus praeteritum spectat, quippe quam Hippocratis et Aristotelis exemplo illustret; contra in priore nil est quod perfectum historicum quod vocatur exspectemus. Cf. quae praecedunt: „maior pars mortalium conqueritur."

III. 2. „adice *quod et* sine usu iacuit" A.
„adice *et quod* s. u. i." coni. Haase; notandum videtur quod in cod. Ang., quae eandem praebet atque A lectionem, ante *quod* vocula *et* exarata est atque postea deleta.

VII. 1. „licet iracundos enumeres, vel odio exercentes iniusta vel bella."
licet vel odia e. q. s. manus prima, sed post *licet* duo verba inserenda esse manus tertia significavit, quae in margine supplevit: *iracundos enumeres*.
Cod. Ang. habet: licet *vel iracundos enumeres*, vel odia e. q. s., quod recipiendum est; nam ita demum si legimus intellegitur qui verba *iracundos enumeres* a scriba aliquo omitti potuerint.

VII. 5. *) „et ideo eius vita longissima est quia, quantumcumque patuit, *totum* ipsi vocavit."

Seneca *tota* scripsisse videtur.

XIII. 2. *) „quae sive contineas, nihil *tacitam conscientiam* iuvant."

Quid sit quod eiusmodi argutiae, de quibus hoc loco sermo est, „tacitam conscientiam nihil iuvare" dicuntur, non perspicere me fateor. Quid vero si legamus: „nihil *tacita conscientia* iuvant"? I. e. nihil delectant, utpote quae etiamsi novimus in medium proferre taedeat.

XIV. 2. *) „cum rerum natura in consortium omnis aevi patiatur incedere."

Iniuria me quidem iudice Gertzius pronomen *nos* inserendum putavit, ut legeretur: „cum *nos* rerum natura" e. q. s. Conferas quaeso Taciti Dialogum c. X, ubi legimus: „cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat." Ibi quoque plerique editores, Halmium secuti, immerito pronomen *te* inseruerunt; de quo loco in Mnemosynes vol. XL p. 174 disputavi.

XIV. 3. „quotum quemque ex tam immensa et variis cupiditatibus *districta* urbe poterunt videre?"

Lectio cod. Angelici est *distracta,* quod in hoc contextu equidem praeferam.

XIV. 5. *) „hoc in veris officiis morari *putamus* † *licet dicamus,* qui Zenonem, qui Pythagoram cotidie et Democritum ceterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelen et Theophrastum volent habere quam familiarissimos."

Pro *putamus* (*putam*; A^1) Gertzius *palam* coniecit; E. Thomas legere vult: „*putamus, licet derideamur*". Videas sis an ita supplendum sit: „morari *putamus,* ⟨*an potius*⟩ *licet dicamus*", cett. (sc. eos in veris officiis morari, qui e. q. s.).

XIX. 1. *) „simile tu putas esse, utrum cures ut incorruptum et a fraude advehentium et a neglegentia ⟨*accipientium*⟩ frumentum transfundatur in horrea."

Addendo verbo q. e. accipientium, sive aliud mavis idem significans, lacuna suppleri videtur.

Ad Polybium de Consolatione.

III. 3. *) „etiamnunc tamen, si quid proficere *possumus*, conqueramur."

Restituendus est coniunctivus *possimus* (i. e. ut conemur aliquid proficere); cui respondet c. IV initium: „diutius accusare fata possumus, mutare non possumus; *stant dura et inexorabilia; nemo illa convicio, nemo fletu, nemo causa movet.*"

III. 3. *) „quae ista crudelitas est in medios fratres impetum facere et tam cruenta rapina concordissimam turbam imminuere, tam bene stipatam optimorum adulescentium domum, in nullo fratre degenerantem, turbare et sine ulla causa delibare [*voluisti*]?"

Ita Hermes edidit, Gertzium secutus, qui *voluisti* inscita interpolatione ad infinitivos regendos additum esse arbitratur. Qua correctione nil opus esse videtur, modo ita interpungamus: „quae ista crudelitas est in medios fratres impetum facere et tam cruenta rapina concordissimam turbam imminuere? Tam bene stipatam .... domum .... turbare et .... delibare voluisti?"

Qua interpunctione adhibita minus quoque offendunt verba quae sunt *turba* et *turbare*, nunc in uno eodemque enuntiato occurentia.

VI. 3. „.... *promisisti. omnes illi*" cett.

Ut alibi nonnumquam, ita hoc loco codex Angelicus genuinam lectionem et interpunctionem, a Lipsio coniectura restitutam, servavit.

(*promisisti omnis illi .... opus est custodes* DE; *promisisti omnibus illis .... opus est. custodes* BH).

IX. 2. *) „si illius nomine doleo, necesse est alterutrum ex his duobus esse *iudicem*."

Huius vocis quae sit hoc loco vis, prorsus me fallit. Legere suadeam: *iudicandum*.

XVIII. 3. „denique *ipsum hoc, quod* abstulit, ipsa dederat tibi,"

Ita plerique editores cum codd. DEG; *ipsum quod* (om. *hoc*) BH. Cod. Ang. praebet: *ipsum q̃ȝ* (*quoniam*), quod fortasse ex *quondam* depravatum est.

Ceterae variae lectiones codicis Angelici, quae notandae mihi videntur, hae sunt:

	Cod. A	*Cod. Ang.*
De Providentia		
I. 3.	verticibus	venis
II. 6.	patrium	paternum
III. 8.	ille ille	ille
14.	consequar	consequitur
IV. 3.	miserum te iudico, quod	m. t. i. qui
4.	sub Tib. Caesare (?)	sub C. Caesare
4.	de raritate munerum	de raritate vulnerum
7.	grave est terere cervicibus iugum	grave eis est ferre cervicibus iugum.
8.	imperatur: dux lectissimos mittit (imperatur A^3 *in ras.*)	imperat dux et letissimos mittit
12.	quod saepius	quo saepius
12.	agitavit	exagitavit
V. 2.	potest deus	potest ipse deus
4.	impenduntur	*om.*
VI. 4.	aspicis	aspicitis
4.	videris	videntis (*depravatum sc. ex* videritis)
6.	quae vos aut finit	aut finit
De Brevitate Vitae		
I. 3.	per luxum ac neglegentiam	per luxum aut neglegentiam
4.	accipimus	accepimus (*nec non* fecimus *cum cod. A*, *pro* facimus, *quod Gertzius mutavit.*)
II. 3.	in cupiditatem infixos	in cupiditatibus infixos
4.	dicere (di*s*cere A^2?; discerere A^5)	disserere
III. 5.	praedem accipis	praedem accipio
V. 2.	fracta arma refovente	frigida arma refovente

VI. 3.	relabuntur	relaxabuntur
VII. 3.	districtus	distentus
10.	non ille diu vixit	non enim ille d. v.
IX. 1.	potestne quicquam sensus hominum eorum dico	potestne quicquam dico hominum eorum
2.	operosius	et operosius
2.	semper ituro	semper laturo
X. 4.	cum iusseritis	cum iusseris
5.	per quassos	nam per quassos
XI. 2.	ideo, quandoque	inde, quandocumque
XII. 1.	solus	solos
1.	hasta	quos hasta
5.	quam celeritate.	qua celeritate
XIII. 2.	iuvant	invaserit
6.	hominibus ad ullam rem bonam pertinet? Princeps	hominibus. An ad ullam rem bonam pertinet, quod princeps
7.	mentibus nostris	mentibus humanis
XIV. 5.	amantiorem	amancioremque
5.	interdiu	et interdiu
XVIII. 6.	pervadere	praevadere
XX. 2.	immorientem	morientem

Ad Polybium de Consolatione.

Huius dialogi eas tantum lectiones afferendas existimavi, quae non solum non omni probabilitate carerent, sed etiam non invenirentur in aliis codicibus, quarum duas tantum adnotavi:

IX. 3. quorum et rationem, *pro vulgari lectione*: quorum rationem.

XVIII. 4. a natura exigitur, „ „ „ : natura exigit.

dicem Ambrosianum ceterorum omnium esse parentem, sicut antea Madvigium secutus etiam Gertzius demonstrare studuit, qui ipse sententiam mutare postea coactus est. Quibus rebus adductus ipse codicem manuscriptum contuli Senecae dialogos nonnullos continentem, qui forte fortuna in manus mihi venit, neque quamquam paulum novae lucis afferentem prorsus silentio eum praeterire mihi est visum.

Romae in via dei Coronari quae dicitur bibliotheca exstat Angelica, anno 1620 condita ab Angelo Rocca Tagastae episcopo, qui omnes suos libros et codices manuscriptos Coenobio ordinis S. Augustini legavit. Haec bibliotheca et alias ditata est et anno 1761 imprimis, cum monachi Augustini bibliothecam Domenici Passionei cardinalis multis codicibus antiquis praeclaram emerent suaeque adiungerent. Ab Henrico Narducci viro egregio, bibliothecae Angelicae quondam praefecto, catalogus codicum manuscriptorum confectus est, typis expressus partim, partim manu scriptus. In eius tomo priore sub numero 1356 codex noster ita describitur: „Partim membranaceus, ceterum chartaceus, fol. 146, saec. XV ineuntis; binis columnis, praeter fol. 64ᵇ—66ᵃ, cum scholiis marginalibus, chartulis passim interiectis. Olim Nicolai Coxae, Messanensis ecclesiae Canonici. Continet: „Tabula Epistolarum Senece" (fol. 2—3), „L. Annaei Senecae ad Paulum et Pauli ad Senecam Epistt. XIV" (fol. 5ᵃ—8ᵇ), „De remediis fortuitorum liber" praevio prologo (fol. 8ᵇ—13ᵇ), „Liber de Moribus" (fol. 13ᵇ—18ᵃ), „*De Providentia*" (fol. 18ᵃ—28ᵃ), „*De brevitate vitae*" (fol. 28ᵃ—49ᵇ), „De quattuor virtutibus" (fol. 49ᵇ—53ᵃ), „Epistolae quattuor" (fol. 53ᵃ—59ᵇ); initium lib. I „de clementia" (fol. 59ᵇ), „Epistolae priores II et initium III usque ad verbum „protulerunt"." (fol. 60—136); quaedam excerpta e Seneca, laus Messanae, et epitaphium quod sibi fecit Elpes, uxor Boetii; tum: „liber iste est dñi Nicolai Coxa sancta Messanensis ecclesie Canonaci".

Antequam locos aliquot singulos tractare nec non notas quasdam criticas inserere incipiam, nonnulla praemonenda videntur de codicis genere atque natura. Artissime scilicet cohaerere eum cum codicibus D et E, qui Mediolani in bibliotheca Ambrosiana asservantur, e dialogo ad Polybium de consolatione scripto mihi

apparuit, quippe cum ad ceteros dialogos Ambrosiani tantum lectio ab editoribus adnotari soleat neque ipsi mihi eos codices inspicere contigerit. Id autem tenendum est, Angelicum non esse apographon illorum codicum, sed ex eodem archetypo originem duxisse (cfr. adnotatio mea ad Pol. de Cons. VI. 3, ubi solus codex noster genuinam lectionem servavit; sic etiam XVIII. 5, ubi cod. Ang. pronomen *illis* nobis tradidit, quod in D et E excidit).

Porro notandum est, ex eiusdem stirpis apographo velut fonte omnes fere manasse manus quintae in Ambrosiano correctiones, quibus quam turpissime codex ille vexatus est.

Quamquam igitur cod. Angelicus non praestat ceteris codicibus deterioribus, tamen nescio an operae pretium sit, raros flosculos a me inde collectos lectori offerre benevolo.

De Providentia.

I. 4.*): „iam vero si quis observaverit nudari litora pelago in se recedente eademque intra exiguum tempus operiri, *credet* caeca quadam volutatione modo contrahi undas," e. q. s.

Restituto coniunctivo qui dicitur potentiali *credat* scribendum esse videtur.

I. 6. „bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum *parat*."

Cod. Ang. habet „sibi illum *praeparat* †)," quod nescio an recipiendum sit, coll. c. II. 3 „per quos certamini praeparantur."

III. 1.*) „his adiciam fato ista sic *ire et* eadem lege bonis evenire qua sunt boni."

Ita Madvig coniecit; „fato ista sic *ej rectę*" A; „fato ista *sic iubente*" Schultess; „fato ista sic *et recte*" Petschenig. Proponere velim: „fato ista *sic effecta*."

---

*) Hoc signo eas notavi observatiunculas, quae solis meis coniecturis nituntur, quibus ergo cum cod. Ang. scripturis nihil commune est. Praeterea animadvertendum, in describendis Senecae verbis editione me usum esse v. d. Hermes, quae anno MCMV Lipsiae apud Teubnerum in lucem prodiit.

†) Abbreviationes vulgares, etiamsi in codice manuscripto inveniantur, missas feci.

IV. 5.*) „si quoscumque sustulisti *vides*".

An „vivos" exciderit, ut legendum sit: „si quoscumque sustulisti *vivos vides*", magnopere haereo. Huius quidem verbi videndi significationis sustentacula indagare non potui.

IV. 12. „praebendi fortunae sumus, ut contra *illam* ab ipsa *duremur*." In cod. Ang. sic legitur: „ut contra *ipsam* ab ipsa *induremur*", quod cum sermone Annaeano melius concinere videtur. Praesertim compositum pro simplici verbo aliis locis commendatur, velut Ep. IV med. „indurandus est animus et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus"; de benef. VII. 28 i. f. „adversus omnia, quae accidere possunt, adhortare te et indura"; denique in ipso hoc dialogo, c. I. 6 i. f. „bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat".

V. 1. „hoc est propositum deo, quod sapienti viro, *ostendere* haec quae vulgus appetit, quae reformidat, nec bona esse nec mala."

Haec sana esse omnique vitio carere persuadere mihi non potui. Quid? Hocine voluit Seneca, sapienti viro — non secus ac deo — propositum esse, „ostendere ea quae vulgus appetat, quae reformidet, nec bona esse nec mala"? Quid tandem quaeso sapientis viri intersit, quid vulgus appetat reformidetve?

In cod. A in fine verbi q. e. *ostendere* littera *t* erasa est, unde iam Aubertus proposuit *ut ostenderet.* Codex autem Angelicus haec praebet, quae ut pleraeque huius generis emendationes docto cuipiam correctori tribuenda videntur: „quod sapienti viro *ostendetur*". Equidem, si quid video, scribam: „hoc est propositum deo, *ut* sapienti viro *ostenderet,* haec quae vulgus appetit," cett. Optime tum sequuntur verba: „apparebit autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit, et mala esse, si tantum malis irrogaverit."

V. 3. „securos esse *percisos.*"

Ita Lipsius coniciendo locum restituit. Codicis A manus quinta *ꝓbisos* habet; prima verbi littera *p* fuit, fortasse addita aliqua virgula, sive *ꝑ* sive *ꝓ* fuit; deinde *c* fuisse potest, sed nec *b* nec *v*.

Veram lectionem *percisos* cod. Ang. nobis servavit.

V. 9.*) „*hoc passa est*" A; „*crassa est*" (del. *hoc*) Gloecknerus; „*compacta est*" Karstenus; „⟨*quae iam*⟩ *hoc passa est*" Gertzius.

Antequam de hoc loco conclamato quid sentiam exponam, praemittere quaedam opus est *de negationis apud Senecam loco.* Qui scilicet attente dialogos eius perlegere consueverit, sine dubio animadverterit, emphatice eum negationem in sententiarum initio ponere solere, nisi secus agere certa ratio vel necessitas aliqua eum coëgerit. Cuius rei ipse dialogus de providentia haec exempla praebet:

II. 1: non miscentur contraria.

II. 2: non sentit illa.

II. 6: non fert ullum ictum inlaesa felicitas.

II. 8: non sunt illa puerilia.

II. 12: non fuit diis immortalibus satis.

II. 12: non enim tam magno animo mors initur.

III. 3: non licuit enim illi.

III. 3: non opus est in illum tota patientia mea.

III. 3: non potest sustinere vultum meum.

III. 11: non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt.

IV. 16: non est arbor solida nec fortis.

V. 2: non sunt divitiae bonum.

V. 9: non potest artifex mutare materiam.

V. 9: non erit illi planum iter.

VI. 4: non est ista solida et sincera felicitas.

VI. 9: non in alto latet spiritus.

VI. 9: non sunt vulnere penitus inpresso scrutanda praecordia.

In accusativis cum infinitivo constructis plane idem occurrit, velut:

I. 2: ostendere, non esse materiae errantis hunc ordinem.

III. 14: sciant, non esse haec mala.

Eorum autem locorum rationem ut par erat non habui, ubi verborum contextus negationis in initio positionem postularet, exempli gratia IV. 2: non gratulor tamquam viro forti; IV. 12: non est saevitia, certamen est; I. 2: (ostendunt), non sine aliquo custode tantum opus stare.

Duo quidem loci negligentius considerantibus excipiendi esse videantur, frustra tamen; nam quod c. II. 5 legitur: „feriatis

quoque diebus non patiuntur esse otiosos", inde excusatur, quod locutio q. e. „non patiuntur" idem valet atque „vetant", neque ergo reapse negative accipienda est; itidem c. III 4.: „magnum exemplum nisi mala fortuna non invenit", quippe cui loco vere negativa non insit vis; verba enim „nisi non" pro eo sunt quod est „tantum" (cfr. de Const. Sap. VII 2: „iniuria in bonos nisi a malis non temptatur"; ibid. „quodsi laedi nisi infirmior non potest").

Postremo duo restant loci, quorum alterum hic habemus c. V. 9 „quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt", alter occurrit c. I. 6: „bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum parat." Atqui perspicuum videtur, qua re adductus auctor philosophus a sua consuetudine recesserit. Nempe *ubi longior series verborum deinceps se exciperet, primum verbum cum negatione coniunctum a ceteris separare noluit.*

Itaque accidit, ut duobus his locis non scripserit: „non habet in deliciis bonum virum", cett., neque: „non possunt quaedam separari a quibusdam", cett. Quodsi quis fortasse obiciat, eam potius ob causam Senecam a sua ratione recessisse, quod duae deinceps sententiae cum vocula q. e. *non* incipientes duri aliquid haberent, locum inspiciat qui est c. VI. 9: „non in alto latet spiritus ...., non sunt ...." e. q. s.

Quid mihi velim? Num quid iam mirum, scribam vel potius commentatorem quempiam linguae Annaeanae non ignarum, in codice archetypo ita sententiam correxisse ut legeretur „non possunt quaedam separari a quibusdam", suprascriptis fortasse verbis q. s. *non possunt*? Mihi quidem hoc videtur, verba quae hodie in codicibus inveniuntur sensu omnino carentia *hoc passa est* quoquomodo depravata esse ex iis q. s. *non possunt,* in sententiae initio male transpositis. Quocirca delenda esse mihi videntur.

V. 10. „*sit* timor" A.
„*fit* timor", quod Heinsius coniecit, cod. Ang. praebet.

ib. „*trepidet* formidine pectus" A.
trepidat boni codd. Ovid., nec non cod. Ang.

ibid. „solet *ima* vereri" A.
ipsa cod. Ang. cum codd. Ov.

VI. 1. „omnia mala ab illis *removit*" A.
removet cod. Ang., quod propter praesentia antecedentia et sequentia vix dubito quin sit recipiendum.

VI. 7.*) „prono animam loco posui: † *trahitur*."
Simplicior medela adhibenda esse videtur, velim scilicet legere: *non trahitur*; coll. dial. X. 41. 1: „quemadmodum paventes moriuntur, non tamquam exeant de vita, sed tamquam extrahantur." Idem fere paulo infra Seneca his verbis indicavit; „non in alto latet spiritus nec utique ferro eruendus est."

De Brevitate Vitae.

I. 1. „nec huic publico, ut opinantur, malo turba tantum et imprudens volgus *ingemuit*; clarorum quoque virorum hic affectus querellas evocavit."
Cod. Ang. habet *ingemunt*, quod multo magis mihi placet. In altera enim sententia (*evocavit*) procul dubio Seneca tempus praeteritum spectat, quippe quam Hippocratis et Aristotelis exemplo illustret; contra in priore nil est quod perfectum historicum quod vocatur exspectemus. Cf. quae praecedunt: „maior pars mortalium conqueritur."

III. 2. „adice *quod et* sine usu iacuit" A.
„adice *et quod* s. u. i." coni. Haase; notandum videtur quod in cod. Ang., quae eandem praebet atque A lectionem, ante *quod* vocula *et* exarata est atque postea deleta.

VII. 1. „licet iracundos enumeres, vel odio exercentes iniusta vel bella."
licet vel odia e. q. s. manus prima, sed post *licet* duo verba inserenda esse manus tertia significavit, quae in margine supplevit: *iracundos enumeres*.
Cod. Ang. habet: licet *vel iracundos enumeres*, vel odia e. q. s., quod recipiendum est; nam ita demum si legimus intellegitur qui verba *iracundos enumeres* a scriba aliquo omitti potuerint.

VII. 5.*) „et ideo eius vita longissima est quia, quantumcumque patuit, *totum* ipsi vocavit."

Seneca *tota* scripsisse videtur.

XIII. 2.*) „quae sive contineas, nihil *tacitam conscientiam* iuvant."

Quid sit quod eiusmodi argutiae, de quibus hoc loco sermo est, „tacitam conscientiam nihil iuvare" dicuntur, non perspicere me fateor. Quid vero si legamus: „nihil *tacita conscientia* iuvant"? I. e. nihil delectant, utpote quae etiamsi novimus in medium proferre taedeat.

XIV. 2.*) „cum rerum natura in consortium omnis aevi patiatur incedere."

Iniuria me quidem iudice Gertzius pronomen *nos* inserendum putavit, ut legeretur: „cum *nos* rerum natura" e. q. s. Conferas quaeso Taciti Dialogum c. X, ubi legimus: „cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat." Ibi quoque plerique editores, Halmium secuti, immerito pronomen *te* inseruerunt; de quo loco in Mnemosynes vol. XL p. 174 disputavi.

XIV. 3. „quotum quemque ex tam immensa et variis cupiditatibus *districta* urbe poterunt videre?"

Lectio cod. Angelici est *distracta*, quod in hoc contextu equidem praeferam.

XIV. 5.*) „hoc in veris officiis morari *putamus* † *licet dicamus*, qui Zenonem, qui Pythagoram cotidie et Democritum ceterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelen et Theophrastum volent habere quam familiarissimos."

Pro *putamus* (*putam*; A[1]) Gertzius *palam* coniecit; E. Thomas legere vult: „*putamus, licet derideamur*". Videas sis an ita supplendum sit: „morari *putamus,* ⟨*an potius*⟩ *licet dicamus*", cett. (sc. eos in veris officiis morari, qui e. q. s.).

XIX. 1.*) „simile tu putas esse, utrum cures ut incorruptum et a fraude advehentium et a neglegentia ⟨*accipientium*⟩ frumentum transfundatur in horrea."

Addendo verbo q. e. accipientium, sive aliud mavis idem significans, lacuna suppleri videtur.

Ad Polybium de Consolatione.

III. 3. *) „etiamnunc tamen, si quid proficere *possumus*, conqueramur."

Restituendus est coniunctivus *possimus* (i. e. ut conemur aliquid proficere); cui respondet c. IV initium: „diutius accusare fata possumus, mutare non possumus; *stant dura et inexorabilia; nemo illa convicio, nemo fletu, nemo causa movet.*"

III. 3. *) „quae ista crudelitas est in medios fratres impetum facere et tam cruenta rapina concordissimam turbam imminuere, tam bene stipatam optimorum adulescentium domum, in nullo fratre degenerantem, turbare et sine ulla causa delibare [*voluisti*]?"

Ita Hermes edidit, Gertzium secutus, qui *voluisti* inscita interpolatione ad infinitivos regendos additum esse arbitratur. Qua correctione nil opus esse videtur, modo ita interpungamus: „quae ista crudelitas est in medios fratres impetum facere et tam cruenta rapina concordissimam turbam imminuere? Tam bene stipatam .... domum .... turbare et .... delibare voluisti?"

Qua interpunctione adhibita minus quoque offendunt verba quae sunt *turba* et *turbare*, nunc in uno eodemque enuntiato occurentia.

VI. 3. „.... *promisisti. omnes illi*" cett.

Ut alibi nonnumquam, ita hoc loco codex Angelicus genuinam lectionem et interpunctionem, a Lipsio coniectura restitutam, servavit.

(*promisisti omnis illi .... opus est custodes* DE; *promisisti omnibus illis .... opus est. custodes* BH).

IX. 2. *) „si illius nomine doleo, necesse est alterutrum ex his duobus esse *iudicem*."

Huius vocis quae sit hoc loco vis, prorsus me fallit. Legere suadeam: *iudicandum*.

XVIII. 3. „denique *ipsum hoc, quod* abstulit, ipsa dederat tibi,"

Ita plerique editores cum codd. DEG; *ipsum quod* (om. *hoc*) BH. Cod. Ang. praebet: *ipsum* q3 (*quoniam*), quod fortasse ex *quondam* depravatum est.

Ceterae variae lectiones codicis Angelici, quae notandae mihi videntur, hae sunt:

	Cod. A	*Cod. Ang.*
De Providentia		
I. 3.	verticibus	venis
II. 6.	patrium	paternum
III. 8.	ille ille	ille
14.	consequar	consequitur
IV. 3.	miserum te iudico, quod	m. t. i. qui
4.	sub Tib. Caesare (?)	sub C. Caesare
4.	de raritate munerum	de raritate vulnerum
7.	grave est terere cervicibus iugum	grave eis est ferre cervicibus iugum.
8.	imperatur: dux lectissimos mittit (imperatur A[3] *in ras.*)	imperat dux et letissimos mittit
12.	quod saepius	quo saepius
12.	agitavit	exagitavit
V. 2.	potest deus	potest ipse deus
4.	impenduntur	*om.*
VI. 4.	aspicis	aspicitis
4.	videris	videntis (*depravatum sc. ex* videritis)
6.	quae vos aut finit	aut finit
De Brevitate Vitae		
I. 3.	per luxum ac neglegentiam	per luxum aut neglegentiam
4.	accipimus	accepimus (*nec non* fecimus *cum cod. A, pro* facimus, *quod Gertzius mutavit.*)
II. 3.	in cupiditatem infixos	in cupiditatibus infixos
4.	dicere (discere A[2]?; discerere A[5])	disserere
III. 5.	praedem accipis	praedem accipio
V. 2.	fracta arma refovente	frigida arma refovente

VI.	3. relabuntur	relaxabuntur
VII.	3. districtus	distentus
	10. non ille diu vixit	non enim ille d. v.
IX.	1. potestne quicquam sensus hominum eorum dico	potestne quicquam dico hominum eorum
	2. operosius	et operosius
	2. semper ituro	semper laturo
X.	4. cum iusseritis	cum iusseris
	5. per quassos	nam per quassos
XI.	2. ideo, quandoque	inde, quandocumque
XII.	1. solus	solos
	1. hasta	quos hasta
	5. quam celeritate.	qua celeritate
XIII.	2. iuvant	invaserit
	6. hominibus ad ullam rem bonam pertinet? Princeps	hominibus. An ad ullam rem bonam pertinet, quod princeps
	7. mentibus nostris	mentibus humanis
XIV.	5. amantiorem	amancioremque
	5. interdiu	et interdiu
XVIII.	6. pervadere	praevadere
XX.	2. immorientem	morientem

Ad Polybium de Consolatione.

Huius dialogi eas tantum lectiones afferendas existimavi, quae non solum non omni probabilitate carerent, sed etiam non invenirentur in aliis codicibus, quarum duas tantum adnotavi:

IX. 3. quorum et rationem, *pro vulgari lectione*: quorum rationem.

XVIII. 4. a natura exigitur, „ „ „ : natura exigit.

LUCIANEA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

In Mnemosynes Volumine XX p. 147 sqq. scripta Luciani etiamnunc multis emblematis inquinata atque oppleta esse exemplis nonnullis demonstrare conatus sum. Quod cum Sommerbrodtio, viro de Luciano optime merito, me probavisse e critica editione, quam Berolini apud Weidmannos edidit, magna cum voluptate cognoverim, hasce novas annotatiunculas ad plura scripta Lucianea emittere decrevi. Spero fore ut aliquantulum afferant subsidii ad libros eius emendandos, quem inter scriptores Graecos semper in deliciis habui. Editionem autem secutus sum, quae Iacobitzii curis Lipsiae prodiit a. 1896, recensionis Nilenii non nisi uno volumine a. 1906 adhuc prostante.

Nigrinus.

C. 4 *καὶ ἄρτι μὲν ἐλυπούμην, ἐληλεγμένων μοι τῶν φιλτάτων, [πλούτου τε καὶ ἀργυρίου καὶ δόξης,] καὶ μόνον οὐκ ἐδάκρυον ἐπ' αὐτοῖς καθῃρημένοις.*

Inducenda sunt verba uncinis a me inclusa utpote a librario ex initio huius capitis repetita: *προήχθη — τῶν δημοσίᾳ νομιζομένων ἀγαθῶν καταγελάσαι, πλούτου καὶ δόξης καὶ βασιλείας καὶ τιμῆς, ἔτι τε χρυσοῦ καὶ πορφύρας καὶ τῶν πάνυ περιβλέπτων τοῖς πολλοῖς, τέως δὲ κἀμοὶ δοκούντων.* Cf. C. 16 *μεσταὶ γὰρ αὐτοῖς τῶν φιλτάτων πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ πᾶσαι δὲ ἀγοραί.*

C. 17 *τίπτ' αὖτ', ὦ δύστηνε, λιπὼν φάος ἠελίοιο, [τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν εὐτυχίαν ἐκείνην καὶ τὴν ἐλευθερίαν] ἤλυθες, ὄφρα ἴδῃς τὸν ἐνταῦθα θόρυβον κ. τ. λ.*

Expungatur interpretamentum stolidissimum.

C. 18 *καὶ καθίσας ἐμαυτὸν ὥσπερ ἐν θεάτρῳ μυριάνδρῳ σφόδρα που μετέωρος ἐπισκοπῶ τὰ γιγνόμενα.*

Immo *μετέωρον*, ad *ἐμαυτόν* videlicet pertinens: liberum prospectum iam habet non quod consederit tamquam in theatro frequentissimo, sed quia ibi sedem quam elatissimam sibi elegit.

C. 23 *οὐκ ἂν οἴει τοὐναντίον αὐτοὺς ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς θύρας τῶν πτωχῶν δεομένους [τοὺς πλουσίους], μὴ κ. τ. λ.*

Locus ipse emblema puerile satis arguit.

C. 23 *οὐ γὰρ οὕτω τοῦ πλουτεῖν ἐρῶσιν ὡς τοῦ διὰ τοῦ πλουτεῖν εὐδαιμονίζεσθαι. [καὶ οὕτω δὲ ἔχει, μηδὲν ὄφελος εἶναι περικαλλοῦς οἰκίας τῷ οἰκοῦντι μηδὲ χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος, εἰ μή τις αὐτὰ θαυμάζοι.]*

Librario potius quam scriptori imputanda est iteratio antecedentis sententiae putidissima.

TIMON.

C. 7 *τί παθὼν τοιοῦτός ἐστιν; αὐχμηρός, ἄθλιος καὶ σκαπανεὺς καὶ μισθωτός, ὡς ἔοικεν, οὕτω βαρεῖαν καταφέρων τὴν δίκελλαν.*

Sommerbrodt voc. *αὐχμηρός* delet, at nescio an sit legendum: *τί παθὼν τοιοῦτός ἐστιν ὁ ὀχληρός; ἄθλιος κ. τ. λ.* Vide supra in hoc capite, ubi idem Zeus rogat: *τίς οὗτός ἐστιν, ὦ Ἑρμῆ, ὁ κεκραγώς* cet.

C. 9 *ἐπιλελησμένοι ἀνδρὸς τοσαῦτα μηρία ταύρων τε καὶ αἰγῶν πιότατα καύσαντος ἡμῖν [ἐπὶ τῶν βωμῶν.]*

Insipidum additamentum, quod significavi, sine mora tollatur.

C. 13 *καὶ ὅλως τὸ πρᾶγμα ὑπέρδεινον ἐδόκει σοι, ἐν χαλκῷ ἢ σιδηρῷ τῷ θαλάμῳ καθάπερ τὴν Δανάην παρθενεύεσθαι.*

Corrigendum est *ἐν χαλκῷ ἢ σιδηρῷ τῳ θαλάμῳ*. Idem vitium

saepius in Luciani libris mss. occurrit, e. g. infra in C. 21, ubi Cobetus *παλαιᾷ τῇ ὀθόνῃ* emendavit *π. τῳ ὀθ.*

C. 16 *οὔτ' οὖν ἐκείνους οὔτε τοὺς πάνυ προχείρους εἰς ἐμὲ τούτους ἐπαινῶ, ἀλλὰ τοὺς [ὅπερ ἄριστόν ἐστι] μέτρον ἐπιθήσοντας τῷ πράγματι* cet.

Verba uncinis saepta in marginem releganda sunt.

C. 55 *καὶ ταῦτά φησιν ἤδη ὑπὸ τοῦ ἀκράτου πονηρῶς ἔχων καὶ ὑποτραυλίζων [γελοίως]· εἶτα ἔμετος ἐπὶ τούτοις.*

Aliquem adverbium a me damnatum olim ad paginam appinxisse suspicor, unde postea immerito in contextam orationem receptum sit.

Piscator.

C. 19 *ὁ τρόπος δὲ καὶ ἡ παιδεία οὐ κατὰ Σολέας ἢ Κυπρίους ἢ Βαβυλωνίους ἢ Σταγειρίτας.*

Sommerbrodt hunc locum male intellexisse mihi quidem videtur, quippe qui in editione priore dialogi, scholarum in usum cum commentario utilissimo apud Weidmannos emissi (a. 1857), haec ascripserit: „Sinn: Ich darf mich nicht messen mit denen aus Soloi, Cyprus u. s. w." — in editione altera (a. 1878): „d. i. deren Bildung aber keineswegs ihre Herkunft verrieth." Credo Lucianum in universum hoc dicere voluisse: sed hominis mores atque eruditio non eo aestimanda sunt, utrum Solis an Cypro etc. oriundus sit. Quicumque totum locum accurate perlegerit, hanc interpretationem unice veram esse agnoscet.

C. 35 *ὅταν δέ τις ἐπικουρίας δεόμενος ἑταῖρος ἐκ παλαιοῦ καὶ φίλος ἀπὸ πολλῶν ὀλίγα αἰτῇ προσελθών, σιωπὴ καὶ ἀπορία καὶ ἀμαθία καὶ παλινῳδία τῶν λόγων [πρὸς τὸ ἐναντίον].*

Deleatur glossema manifestum.

C. 36 *ἐπειδάν τις ὀστοῦν ἐς μέσους αὐτοὺς ἐμβάλῃ, αναπηδήσαντες δάκνουσιν ἀλλήλους καὶ τὸν προαρπάσαντα [τὸ ὀστοῦν] ὑλακτοῦσι.*

Expunge vocabulum ridicule repetitum.

Quomodo Historia Conscribenda.

C. 11 *ἑκάστου γὰρ δὴ ἴδιόν τι καλόν ἐστιν.*

Ante voc. *ἴδιον* inserendum esse opinor *εἴδους*, quod propter litterarum similitudinem facile excidere potuit. Cf. 14: *τῷ τοιούτῳ εἴδει τῶν λόγων.*

In hoc capite paullo inferius haec leguntur:

ἐῶ λέγειν ὅτι οἱ ἔπαινοι ἑνὶ μὲν ἴσως τερπνοί, [τῷ ἐπαινουμένῳ,] τοῖς δ' ἄλλοις ἐπαχθεῖς.

Recte sane, quisquis haec addidit, sed non ipsi auctori erant obtrudenda.

C. 14 *καὶ πρὸς Χαρίτων μηδεὶς ἀπιστήσῃ τοῖς λεχθησομένοις· ὅτι γὰρ ἀληθῆ ἐστι κἂν ἐπωμοσάμην, εἰ ἀστεῖον ἦν ὅρκον ἐντιθέναι [συγγράμματι].*

Ultimum vocabulum sciolo imperito qnantocius reddatur. Verbum *ἐντιθέναι* nude positum est ut C. 19 verbum *ἐνεῖναι*: *τοσαύτη ψυχρότης ἐνῆν ὑπὲρ τὴν Κασπίαν χιόνα καὶ τὸν κρύσταλλον τὸν Κελτικόν.* Ceterum ex superioribus *τοῖς λεχθησομένοις* facile ad verbum *ἐντιθέναι* suppletur: accedit quod continuo sequitur *συνεφάψασθαι τοῦ συγγράμματος.*

C. 15 *ἕτερος δὲ Θουκυδίδου ζηλωτὴς ἄκρος, οἷος εὖ μάλα τῷ ἀρχετύπῳ εἰκασμένος, καὶ τὴν ἀρχὴν ὡς ἐκεῖνος σὺν τῷ ἑαυτοῦ ὀνόματι ἤρξατο, [χαριεστάτην ἀρχῶν ἁπασῶν καὶ θύμου τοῦ Ἀττικοῦ ἀποπνέουσαν.] ὅρα γάρ· Κρεπέρῃος Καλπουρνιανὸς κ. τ. λ.*

Verba inclusa, utpote a loco omnino aliena, una litura delenda sunt.

C. 21 i. f. *ἐκτὸς εἰ μὴ τοῦθ' ὑπολάβοι τις, ὡς Ὀσρόης τις εἱστήκει περιμένων, ἔστ' ἂν Σευηριανὸς λιμῷ ἀπόληται, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἐπῆγε [διὰ τῆς ἑβδόμης].*

Expungatur insulsum emblema.

C. 22 *Ἔδεσσα μὲν δὴ οὕτω τοῖς ὅπλοις περιεσμαραγεῖτο καὶ ὅτοβος ἦν καὶ κόναβος ἅπαντα ἐκεῖνα.*

Scribe: *καὶ ὅτοβος ἦν καὶ κόναβος καὶ ἅπαντα ἐκεῖνα.*

C. 23 *ὡς μὴ χρυσοῦν μὲν τὸ κράνος εἴη, θώραξ δὲ πάνυ γελοῖος ἐκ ῥακῶν ποθεν ἢ ἐκ δερμάτων σαπρῶν συγκεκαττυμένος καὶ ἡ ἀσπὶς οἰσυΐνη καὶ χοιρίνη περὶ ταῖς κνήμαις.*

Pro *γελοῖος* emendandum puto *γελοίως*, quod Sommerbrodtium e Bekkeri coniectura recensuisse video in editione a. 1878, in editione vero critica a. 1893 rursus prae lectione tradita reiecisse. At male me habent verba *καὶ χοιρίνη περὶ ταῖς κνήμαις*. Editores voc. *χοιρίνη* adiectivum esse affirmant = *χοίρειος*, ita ut Lucianum dicentem faciant: *et scutum vimineum et porcinum circum crura*, atque sane de *χοιρίνη* = concha marina hoc loco vix ac ne vix quidem cogitare licet. At tamen rogare velim, scutum porcinum quale sit, neque praepositionis *περί* notio ea est quae ad scutum apte referatur; nempe scutum tibias a fronte tegere, non involvere vel amicire potest. Quae cum ita sint, corruptelam latere suspicor: fortasse voc. *χροιά* ante *χοιρίνη* a librario praetermissum est, quod si reposuerimus, haec evadet sententia: et cutis porcina (sc. pro ocreis ferreis) circum crura.

C. 32 i. f. *ὡς ὅστις ἂν ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα φεύγῃ, πολὺ μέρος ἤδη ἐς τὸ ὀρθῶς συγγράφειν οὗτος προείληφε, μᾶλλον δὲ ὀλίγων ἔτι προσδεῖται.*

Sine ullo dubio corrigendum est: *μάλα δὲ ὀλίγων.*

C. 38 *ἀλλὰ μὴ μελέτω αὐτῷ μήτε Φίλιππος ἐκκεκομμένος τὸν ὀφθαλμὸν ὑπὸ Ἀστέρος τοῦ Ἀμφιπολίτου [τοῦ τοξότου ἐν Ὀλύνθῳ], ἀλλὰ τοιοῦτος οἷος ἦν δειχθήσεται.*

Nimia ista abundantia, iam per se ipsa suspecta, quin non ipsi auctori sed nescio cui imputanda sit nemo dubitabit qui noverit, Philippum in Methone — non in Olyntho oppido oppugnando oculo dextro orbatum, Asterem vero ab aliis Amphipolitanum, ab aliis Olynthium fuisse memoriae esse traditum. Cf. Iustin. VII. 6, Diod. Sic. XVI. 31—34, Strabo VII p. 330, Polyaen. IV. 2. 15.

ALEXANDER S. PSEUDOMANTIS.

C. 4 *τοιόςδε μὲν τὴν μορφήν· ἡ ψυχὴ δὲ καὶ ἡ γνώμη, ἀλεξίκακε Ἡράκλεις καὶ Ζεῦ ἀποτρόπαιε καὶ Διόσκουροι σωτῆρες, πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς ἐντυχεῖν γένοιτο καὶ μὴ συγγενέσθαι τοιούτῳ τινι·*

Locum intricatiorem, ab editoribus nonnumquam haud satis intellectum et coniecturis vexatum, Sommerbrodt in annotatione critica editionis a. 1893 recte explicavit. Monet enim, verba *ἡ ψυχὴ δὲ καὶ ἡ γνώμη* absolute extraque structuram posita esse, sententiam autem esse: „Averruncent dii malum faciantque ut in hostium et inimicorum, non in talis hominis manus incidamus qualis Alexander," sed ne ipse quidem coniecturae pepercit, cum *καὶ* ante *μὴ* deleverit. At ne hac quidem mutatione opus videtur. Eo quod ad utrosque homines verbum suum positum est (ad *πολ. κ. ἐχθρ.* verbum *ἐντυχεῖν* — ad *τοιούτῳ τινι* verbum *μὴ συγγενέσθαι*), asyndeton minime necessarium puto. Equidem sic interpretari maluerim: Faciant ut in hostes atque inimicos incidam, dummodo ne cum tali monstro conveniam.

C. 49 *ἤδη δὲ πολλῶν ἐπὶ πολλοῖς ἐπεσρεόντων καὶ τῆς πόλεως αὐτῶν θλιβομένης ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἐπὶ τὸ χρηστήριον ἀφικνουμένων κτλ.*

Nisi omnia me fallunt, rescribendum est: *τῆς πόλεως αὐτῆς.*

C. 56 i. f. *δηλῶν ἐφ' ὅπερ ἡμᾶς ἀνειλήφει καὶ τὰ ὑπὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου προστεταγμένα.*

Emenda: *κατὰ τὰ ὑπὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου προστεταγμένα.*

C. 57 *διὰ γὰρ τὴν πρὸς Ῥουτιλλιανὸν εὔνοιαν μὴ ἂν δύνασθαι, καὶ εἰ φανερῶς λάβοι ἀδικοῦντα, κολάσαι αὐτόν.*

Immo *τὴν πρὸς Ῥουτιλλιανοῦ εὔνοιαν*, nam dicit Rutiliani benevolentiam erga Alexandrum.

C. 57 *πάντα κάλων ἐκίνουν ἀμύνασθαι βουλόμενος.*

Locutio a navigantibus desumpta fuisse videtur *πάντα κάλων ἐξιέναι*, quae legitur apud Eurip. Medea 278, Troad. 94, Herc.

Fur. 837, Aristoph. Equit. 753. Hoc loco *πάντα κάλων κινεῖν*, quod ortum esse puto e permixtis formulis *πάντα κάλων ἐξιέναι* et *πάντα κινεῖν*, quae in Morte Peregrini C. 12 occurrit: *πάντα ἐκίνουν ἐξαρπάσαι πειρώμενοι αὐτόν.*

De Saltatione.

C. 3 *καίτοι τό γε ἄμεινον ἐκεῖνό ἐστιν, οἶμαι, ἀρνήσει τὸ πᾶν ἰάσασθαι καὶ μηδὲ τὴν ἀρχὴν ὁμολογεῖν τι τοιοῦτον παρανενομῆσθαί σοι.*

Haud dubie corrigendum: *παρανενομίσθαι*. Cf. C. 1: *ὑπ' ἀπειρίας αὐτῶν κατηγορίας ἄξια εἶναι νενόμικας*, C. 5: *ἡ ἀπείρατος ὢν τοῦ θεάματος ὅμως αἰσχρὸν αὐτὸ καὶ κατάπτυστον, ὡς φής, νομίζεις;*

C. 21 *Βιθυνὸς δὲ μῦθος — τὸν Πρίαπον δαίμονα πολεμιστήν, τῶν Τιτάνων οἶμαι ἕνα ἢ τῶν Ἰδαίων Δακτύλων τοῦτο ἔργον πεποιημένων τὰ ἐνόπλια παιδεύειν* cet.

Sommerbrodt verba *τῶν Τιτάνων* .... *Δακτύλων* inclusit et *πεποιημένον* scripsit, quod sive iure sive iniuria fecit, certe pro *τοῦτο* legendum esse *ὄντα* mihi persuasum est. Cf. C. 9 et de Merc. Cond. C. 30: *τέχνην τὸ πρᾶγμα πεποιημένους*, Peregrin. C. 18: *τέχνην τὸ λοιδορεῖσθαι πεποιημένον.*

C. 27 *τὰ γὰρ ἄλλα τοῖς ποιηταῖς ἐμέλησε πρὸ πολλοῦ ποτε γενομένοις.*

Hunc locum tum demum intellegam, cum ante verbum *ἐμέλησε* negationem *οὐκ* restituero: *τὰ ἄλλα* enim omnia sunt, quae ad artem scenicam pertinent, praeter versus ipsos eorumque sive cantando seu loquendo enuntiationem, sicuti Herculem eum non esse, qui in scenam canens prodiret, nihil morabantur. Addo, Sommerbrodtium in editione a. 1878 totum enuntiatum pro spurio uncinis inclusisse, in editione critica a. 1893 librorum mss. fidem rursus secutum esse.

C. 29 *ἡ κωμῳδία δὲ καὶ τῶν προσώπων αὐτῶν τὸ καταγέλαστον μέρος τοῦ τερπνοῦ αὐτῇ νενόμικεν, οἷα Δάων καὶ Τιβίων καὶ μαγείρων πρόσωπα.*

Haec verba Sommerbrodt tamquam insiticia eiecit atque sane ferenda non sunt ubi nunc leguntur; neque tamen delenda, sed loco suo reddenda sunt, qui paulo superius est sc. post capitis 27 finem. Ibi Lucianus finem modo fecit tragoediarum naturae improbandae, quo facto verbis ἡ κωμῳδία δὲ sqq. ad comoediam apte iam transit.

C. 38 εἶτα ἑξῆς Γιγάντων ἐπανάστασιν, πυρὸς κλοπήν, ἀνθρώπων πλάσιν, Προμηθέως κόλασιν, κ. τ. λ.

Verba πυρὸς κλοπήν et ἀνθρώπων πλάσιν locum inter se mutare oportet.

C. 40 ταῦτα μὲν τὰ Ἀθηναίων ὀλίγα πάνυ δείγματος ἕνεκα ἐκ πολλῶν [τῶν παραλελειμμένων] διῆλθον.

Expungatur insipidum emblema! Cf. C. 61: ταῦτα πάνυ ὀλίγα ἐκ πολλῶν, C. 85: ταῦτά σοι, ὦ Φιλότης, ὀλίγα ἐκ παμπόλλων παρέδειξα, Alexandr. 61: ταῦτα, ὦ Φιλότης, ὀλίγα ἐκ πολλῶν δείγματος ἕνεκα γράψαι ἠξίωσα.

C. 65. Hoc caput de loco suo turbatum esse et post verba τῶν δρωμένων in capite 67 reponendum censeo.

Somnium s. Gallus.

C. 2 ὁ τοῦ Ἀχιλλέως ἵππος ὁ Ξάνθος μακρὰ χαίρειν φράσας τῷ χρεμετίζειν ἕστηκεν ἐν μέσῳ τῷ πολέμῳ διαλεγόμενος ἔπη ὅλα ῥαψῳδῶν, οὐχ ὥσπερ ἐγὼ νῦν ἄνευ τῶν μέτρων, ἀλλὰ καὶ ἐμαντεύετο ἐκεῖνος κ. τ. λ.

Manum auctoris esse credo:

ἕστηκεν ἐν μέσῳ τῷ πολέμῳ ἔπη ὅλα ῥαψῳδῶν, οὐχ ὥσπερ ἐγὼ νῦν διαλεγόμενος, ἀλλὰ κ. τ. λ., postea nescio quem sub voc. διαλεγόμενος ascripsisse verba ἄνευ τῶν μέτρων, quae glossa deinde locum participii occuparit ad quod illustrandum addita erat, ita ut verbum ipsum in versum superiorem reciperetur. Cf. initium C. 3: ἀλλὰ μὴ ὄνειρος καὶ ταῦτά ἐστιν, ἀλεκτρυὼν οὕτω πρός με διαλεγόμενος;

C. 10 *καταλαμβάνω — κἀκεῖνον Φοράδην ὑπὸ τεττάρων κεκομισμένον, ᾧ με ὑποδειπνεῖν ἔδει, [τὸν νοσεῖν λεγόμενον,] καὶ ἐδήλου δὲ πονήρως ἔχων.*

Dele languidum interpretamentum.

C. 14 ΜΙΚ. *τὸν γείτονα γοῦν μοι τὸν ὁμότεχνον οἶσθα τὸν Σίμωνα, οὐ πρὸ πολλοῦ δειπνήσαντα παρ' ἐμοί, ὅτε τὸ ἔτνος ἥψησα τοῖς Κρονίοις δύο τεμάχη τοῦ ἀλλᾶντος ἐμβαλών.*

ΑΛΕΚ. *οἶδα τὸν σιμὸν τὸν βραχύν, ὃς τὸ κεραμεοῦν τρύβλιον ὑφελόμενος ᾤχετο ὑπὸ μάλην ἔχων [μετὰ τὸ δεῖπνον], ὃ μόνον ἡμῖν ὑπῆρχεν.*

Verba inclusa glossatori deberi quivis iam concedet.

C. 19 Gallus postquam dixit Pythagora exuto se factum esse *Ἀσπασίαν τὴν ἐκ Μιλήτου ἑταίραν*, Micyllus exclamat: *φεῦ τοῦ λόγου, καὶ γυνὴ γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις ὁ Πυθαγόρας ἐγένετο, καὶ ἦν ποτε χρόνος ὅτε καὶ σὺ ᾠοτόκεις, ὦ γενναιότατε ἀλεκτρυόνων, καὶ συνῆσθα Περικλεῖ [Ἀσπασία οὖσα] καὶ ἐκύεις ἀπ' αὐτοῦ κ.τ.λ.*

Puerile additamentum tandem iam inducendum esse nemo non videbit.

C. 23 i. f. *ὅσοι δὲ κατὰ τὸν Δαίδαλον μὴ πάνυ μετέωρα μηδὲ ὑψηλὰ ἐφρόνησαν, ἀλλὰ πρόσγεια, ὡς νοτίζεσθαι ἐνίοτε τῇ ἅλμῃ [τὸν κηρόν], ὡς τὸ πολὺ οὗτοι ἀσφαλῶς διέπτησαν.*

Magistello stultissimo suum reddatur! Modo nempe verba perlegerat *ὅτι κηρῷ ἥρμοστο αὐτοῖς ἡ πτέρωσις.*

ICAROMENIPPUS.

C. 19 *εἰ δέ σοι δοκεῖ μικρὸν τὸ παράδειγμα, [τὸ ἀνθρώπους εἰκάσαι τῇ μυρμήκων πολιτείᾳ,] τοὺς παλαιοὺς μύθους ἐπίσκεψαι τῶν Θετταλῶν·*

Quicumque Menippi argumentationem totam vel obiter percucurrerit, verba a me damnata in marginem relegare minime dubitabit.

C. 29 *οὗτοι τοίνυν εἰς συστήματα διαιρεθέντες καὶ διαφόρους*

λόγων λαβυρίνθους ἐπινοήσαντες οἱ μὲν Στωϊκοὺς ὠνομάκασιν, οἱ δὲ Ἀκαδημαϊκούς, οἱ δὲ Ἐπικουρείους, οἱ δὲ Περιπατητικοὺς καὶ ἄλλα πολλῷ γελοιότερα τούτων.

Miror neminem, quod sciam, adhuc perspexisse, emendandum esse: *οἱ μὲν Στωϊκοὺς ⟨ἑαυτοὺς⟩ ὠνομάκασιν.* Sommerbrodtium quidem in editione a. 1869 e Pelleti coniectura *ὠνομάκασιν ἑαυτούς* recensuisse video, sed propter similes vocabulorum exitus pronomen *ἑαυτούς* post voc. *Στωϊκούς* intercidisse verisimilius est.

Rhetorum Praeceptor.

C. 10 *ἀλλ' εἰ πάντως ἐρᾷς καὶ τάχιστα ἐθέλεις τῇ ῥητορικῇ συνεῖναι ἀκμάζων ἔτι, ὡς καὶ σπουδάζοιο πρὸς αὐτῆς, ἴθι τῷ μὲν δασεῖ τούτῳ καὶ πέρα τοῦ μετρίου ἀνδρικῷ μακρὰ χαίρειν λέγε, ἀναβαίνειν αὐτὸν καὶ ἄλλους ὁπόσους ἂν ἐξαπατᾶν δύνηται ἀνάγειν.*

Labem hic locus concepit, quam Sommerbrodt in editione a. 1878 auferre temptavit inserendo participium *εἰπὼν* inter verba *χαίρειν* et *λέγε*. Non tamen isto remedio utendum esse arbitror, sed post voc. *λέγε* particulam *καὶ* addendam. Itaque cum *ἴθι* adverbialiter positum sit = *ἄγε*, sic verte: agedum, hominem istum hirsutum atque immodice virilem valere iube et ascendere ipsum atque alios sursum ducere quos decipere poterit.

C. 18 *ἐπειδὰν δὲ καὶ δέῃ λέγειν καὶ οἱ παρόντες ὑποβάλωσί τινας ὑποθέσεις καὶ ἀφορμὰς τῶν λόγων, ἅπαντα μὲν ὁπόσα ἂν ᾖ δυσχερῆ, εὐχερῆ λεγέσθω καὶ ἐκφαυλιζέσθω ὡς οὐδὲν ὅλως ἀνδρῶδες αὐτῶν ἑλομένων· ἑλομένων δὲ μηδὲν ἔτι μελλήσας λέγε κ. τ. λ.*

In hisce iam Sommerbrodt haesisse videtur, cum ediderit: *αὐτῶν* [*ἑλομένων*], sed verbum tangendum non est; sententia enim est: quasi nullum omnino argumentum virile (*οἱ παρόντες*) elegerint. Ego potius alterum illud *ἑλομένων* mendosum esse dixerim atque emendandum: *ἑλόμενος*, quo facto alterius enuntiati sententia est: at vero, ubi optionem feceris, nil amplius cunctatus verba fac e. q. s.

C. 19 *ἢν δὲ ὀρθοὶ ἑστήκωσιν* [*ὑπὸ τῆς αἰσχύνης*] *ἤδη πρὸς τὴν*

ἔξοδον ἕτοιμοι, καθέζεσθαι κέλευε, καὶ ὅλως τυραννὶς τὸ πρᾶγμα ἔστω.

Verba uncinis cincta sciolus aliquis non intellegens supplevit.

C. 20 *οἱ μὲν γὰρ συνιέντες ὀλίγοι, καὶ μάλιστα μὲν σιωπήσονται ὑπ' εὐγνωμοσύνης, ἢν δὲ καὶ λέγωσί τι, ὑπὸ φθόνου αὐτὸ δόξουσι δρᾶν.*

Nonne scribendum: *ἢν δὲ καὶ ψέγωσί τι?*

PHILOPSEUDES.

C. 1 *ἀλλὰ περὶ ἐκείνων, ὦ ἄριστε, φημὶ οἳ αὐτὸ [ἄνευ τῆς χρείας] τὸ ψεῦδος περὶ πολλοῦ τῆς ἀληθείας τίθενται.*

Sua redde interpreti.

ADVERSUS INDOCTUM.

C. 3 *Ἑλικῶνα μὲν γάρ [ἵνα διατρίβειν αἱ θεαὶ λέγονται] οὐδὲ ἀκήκοας οἶμαί ποτε οὐδὲ τοιαύτας διατριβὰς ἡμῖν ἐν παισὶν ἐποιοῦ.*

Halbertsma verba *αἱ θεαί* vel potius *αἱ θ' θεαί*, ut in libris mss. exaratum est, expungenda esse existimavit, equidem omnia illa *ἵνα διατρίβειν αἱ θ' θεαὶ λέγονται* ut interpretamentum manifestum deleri iubeo.

C. 4 *ὡς εἴ γε τὸ κεκτῆσθαι τὰ βιβλία καὶ πεπαιδευμένον ἀπέφαινε τὸν ἔχοντα, πολλοῦ ἂν ὡς ἀληθῶς τὸ κτῆμα ἦν ἄξιον καὶ μόνων ὑμῶν τῶν πλουσίων, εἰ ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς ἦν πρίασθαι τοὺς πένητας ἡμᾶς ὑπερβάλλοντας.*

Clamat sententia post *τῶν πλουσίων* esse supplenda: *ἡ παιδεία.*

C. 9 *τούτοις ἅπασι προεκπλήξας τὸ θέατρον καὶ θαυμαστῆς ἐλπίδος ἐμπλήσας [τοὺς θεατάς], ἐπειδή ποτε καὶ ᾆσαι καὶ κιθαρίσαι πάντως ἔδει, ἀνακρούεται μὲν ἀνάρμοστόν τι.*

Tolle importunum additamentum.

C. 12 *ἄχρι δὴ ξυνελθόντας τοὺς κύνας πρὸς τὸν ἦχον — πολλοὶ δὲ ἦσαν αὐτόθι — διασπάσασθαι αὐτόν, ὡς τοῦτο γοῦν ὅμοιον τῷ Ὀρφεῖ παθεῖν [καὶ μόνους ἐφ' ἑαυτὸν ξυγκαλέσαι τοὺς κύνας].*

Inclusi frigidissimum emblema.

C. 21 *καίτοι τὸ τῶν μουσικῶν τοῦτο, δὶς διὰ πασῶν τὸ πρᾶγμα ἦν· εἶδον γὰρ καὶ τὴν τοῦ Πύρρου εἰκόνα, καὶ ὅμως ἐπέπειστο ἐκμεμάχθαι τοῦ Ἀλεξάνδρου τὴν μορφήν.*

Sommerbrodtio non credo, verba *καὶ ὅμως — τὴν μορφήν* esse exulanda, sed auctorem illa *εἶδον γὰρ καὶ τὴν τοῦ Πύρρου εἰκόνα* in parenthesi posuisse: praestat igitur post voc. *εἰκόνα* colon collocare, non virgulam.

De Morte Peregrini.

C. 3 *διὰ τοῦ γυμνασίου ἀλύων ἐπήκουον ἅμα Κυνικοῦ τινος μεγάλῃ καὶ τραχείᾳ τῇ φωνῇ τὰ συνήθη ταῦτα καὶ ἐκ τριόδου [τὴν ἀρετὴν] ἐπιβοωμένου καὶ ἅπασιν ἀπαξαπλῶς λοιδορουμένου, εἶτα κατέληξεν αὐτῷ ἡ βοὴ ἐς τὸν Πρωτέα.*

Inclusa suspecta habeo.

C. 19 *δέον τοὺς θεατὰς [τῶν Ὀλυμπίων] διακαρτερεῖν διψῶντας.* Totum locum quaeso relegas neque dubitabis verba a me damnata interpreti esse reddenda.

C. 35 *στάδιοι πάντες οὗτοι εἴκοσιν ἀπὸ τῆς Ὀλυμπίας κατὰ τὸν ἱππόδρομον ἀπιόντων πρὸς ἕω. καὶ ἐπεὶ τάχιστα ἀφικόμεθα, καταλαμβάνομεν πυρὰν νενησμένην ἐν βάθει ὅσον ἐς ὀργυιὰν τὸ βάθος.*

In illis verbum excidisse credo quale est *μεστοὶ ἦσαν*, quod fortasse reponendum est post *εἴκοσιν*.

In hisce autem pro *ἐν βάθει* haud dubie emendandum est: *ἐν βόθρῳ* cl. C. 25 i. f.: *οὐκ ἀπ' ἐλπίδος μὴ ἀναπηδήσεσθαι αὐτὸν καὶ ἡμίφλεκτον, εἰ μή, ὅπερ φασί, μηχανήσεται βαθεῖαν γενέσθαι καὶ ἐν βόθρῳ τὴν πυράν.*

C. 39 *εἶτα ἐνετύγχανον πολλοῖς ἀπιοῦσιν ὡς θεάσαιντο καὶ αὐτοί.*

Immo *ἐπιοῦσιν.*

C. 40 *ἐπέστην τινὶ πολιῷ ἀνδρὶ — τά τε ἄλλα διηγουμένῳ περὶ τοῦ Πρωτέως καὶ ὡς [μετὰ τὸ καυθῆναι] θεάσαιτο αὐτὸν ἐν λευκῇ ἐσθῆτι μικρὸν ἔμπροσθεν καὶ νῦν ἀπολίποι περιπατοῦντα Φαιδρὸν* e. q. s.

Expungantur verba a me inclusa.

Convivium s. Lapithae.

C. 2 *ὥστε οὐκ ἂν φθάνοις ἑστιῶν ἡμᾶς ἡδίστην ταύτην ἑστίασιν, ἧς οὐκ οἶδ' ἄν τίς ἡδίων ἔμοιγε, καὶ μάλιστα ὅσῳ νήφοντες [ἐν εἰρήνῃ] καὶ ἀναιμωτὶ [ἔξω βέλους] ἑστιασόμεθα.*

Deleantur inclusa verborum praecedentium glossemata.

C. 3 *δέον λήθην ποιήσασθαι αὐτῶν καὶ νομίζειν ἐκεῖνα πάντα θεοῦ ἔργα [τοῦ Διονύσου] εἶναι, ὃς οὐκ οἶδα εἴ τινα τῶν αὐτοῦ ὀργίων ἀτέλεστον καὶ ἀβάκχευτον περιεῖδεν.*

Dei nomen non auctoris manu additum ipse locus arguit.

AD CIC. VERR. L. V § 173, 177.

Nolo eos iudices quos ego probarim atque delegerim sic in hac urbe notatos ambulare ut non cera sed caeno obliti esse videantur.

Quis semel monitus non videt plane pessumdari gravem sententiam inserto *isto absoluto*, quod nunc in editionibus post *notatos* legitur?

Ego mei rationem iam officii confido esse omnibus iniquissimis *mei* persolutum.

Sic legitur apud Petersonum, operarii errore ut videtur; nihil enim annotat, in Kayseriana est *meis*. Sed nonne multo melius totum vocabulum expungamus? Ingratum enim istud *mei* ... *meis*.

Continuo sequitur:

nam istum paucis horis omnium mortalium sententiis condemnavi.

Quis ferat hic post *horis* inseri *primae actionis*? Quod tamen fit in codicibus.

J. J. H.

AD SENECAE TRAGOEDIAS.

SCRIPSIT

J. W. BECK.

(*Continuantur ex pag.* 21).

II. AD PHAEDRAM.

Vs. 9. Hippolytus initio tragoediae prologi loco munera comitum venatorum distribuit agmini suum cuique locum designans. Ad Parnethis radices et ad valles Thriasias alios dirigit, alios ad finitimos Athenis agros mittit. Et sic etiam mediam, orientalem, meridionalem partem Atticae explorare viros suos iubet. In litore, intra Thriam (vs. 5[b]) et Athenas (vs. 13), Aegaleos est mons, quod Froehner [1]) arripuit ut codicum lectionem *hac hac alii* (vs. 9) mutaret in 'hac Aegalei ....'. Miror viri docti acumen ingenii: aptius quidquam quis unquam inveniat? Attamen poeta ipse, ut consensus codicum indicat et similes loci confirmant: '*hac hac alii*'; cf. 83 *hac hac pergam,* 1247 *huc huc ... vehite,* 1268 *hic hic* repone, tum etiam 17, 21 *vos — vos*; 23, 24 *alius, alius.*

Vs. 85 sqq.

> *Ph.* O magna vasti Creta dominatrix freti,
> cuius per omne litus innumerae rates
> tenuere pontum, quicquid Assyria tenus
> tellure Nereus pervius rostris secat.

---

1) Mus. Rh. 1892 p. 311.

Sunt qui 'portus' malint, fortasse alii aliud. Mihi quidem videtur locus non tangendus esse. *Tenere* significare potest 'aliquo loco esse', 'vagari' 'ambulare', cet. (Verg. Geo. 2, 144 *tenent* (sc. haec loca) oleae armentaque laeta; Aen. 8, 204 vallemque boves amnemque *tenebant*; Min. Fel., Oct. c. 3 iam liberum litus *tenebamus*). Naves numerosae igitur *tenent* (= navigant) per omne litus Cretae pontum, quantum usque ad Assyriam (= Asiam) Nereus rostris persecat (= pervius secat). 'Pervius' hoc loco act. significationem habet, velut 336 spicula cuius sentit in imis | pervius undis rex Nereidum (pass. vs. 474). Mira est et abstrusa sententia quam ex tribus fortasse elementis implicatam confecit: 1. Nereus secat mare pervius (cf. 336 pervius rex Nereidum), 2. rostra secant (vs. 530) mare Nerei, 3. mare pervium rostris est (cf. 474 pervius ventis). Pervius secat = persecat, ut 95 'invius retro lacus' = irremeabilis (Aen. 6, 425): circumscribitur quod aliter versu facile dici nequit; cf. 694 o ter quaterque prospero fato dati = beati.

Vs. 121 *ille ω*, corr. Leo. At cf. 149, 155; quamquam vs. 300 *ipse qui* (de Iove). Hoc loco nihil mutandum est.

Vs. 123 *promittet* cod. E, *promittat* Leo. Cur tollemus Futurum in apodosi? cf. 809, 816.

Vs. 179 sqq. vadit animus in praeceps sciens
remeatque frustra sana consilia appetens.
sic cum gravatam navita adversa ratem
propellit unda, cedit in vanum labor
et victa prono puppis aufertur vado.

Homo sciens prudensque pessum it, quamquam redire conatur, sed frustra, sana consilia appetens. Sic nauta adversis fluctibus ratem gravatam propellit, sed frustra vires intendit, nam navis victa undis in profundum trahitur.

Sequuntur versus ii, de quibus Leo I 176 disputavit Euripidis Hipp. velati fragmentum 433 et Ov. Her. 4, 11 comparans, ut ex hoc etiam loco Senecam et Ovidium Euripidis fabulam illam priorem ante oculos habuisse satis appareat:

184 quid ratio possit? vicit ac regnat furor

potensque tota mente dominatur deus.
hic volucer omni pollet in terra potens.

Sed cur N. Heinsius Adv. p. 62 lectionem codd. 'potens' in 'impotens' mutaverit inquirendum est. In Octavia 377 pro 'potens Fortuna' 'impotens F.' legebat, propterea quod in Agam. 247 'impotens Fortuna' invenerat. Etiam Ph. 276 'impotens flammis simul et sagittis' laudare potuit. Sed si omnes locos comparabis, haud eos similes esse videbis: in versibus 185 *potens*que ..... 186 in terra *potens*, nihil mutare audeo:

Fortasse tamen sic interpungendum est:

potensque tota mente dominatur deus
hic volucer, omni pollet in terra potens...

Nam sic verba distribuo: deus hic volucer

tota mente	omni in terra
dominatur	pollet
potens (333[b] ignis nimium potens)	*potens*

Contra vs. 276 *impotens flammis* simul et *sagittis*;
Oct. vs. 377 Quid me, *potens* Fortuna! .... alte extulisti,
Agam. vs. 247 tamen superba et *impotens* (*sic*) flatu nimis
Fortuna magno spiritus tumidos daret.

Itaque dissimilia non eodem modo tractanda sunt. Vocabula parvo intervallo repetere flosculus rhetoricus est et plane Romanus [1]), quos Graeci docebant (Quint. VIII 3, 50 et 51).

Vs. 364 sq. erumpit oculis ignis et [2]) lassae genae
lucem recusant, nil idem dubiae placet...

Antithesin rhetoricam nemo non perspicit: ignis erumpit oculis, sed oculi lucem accipere nolunt, nam *genae* (= palpebrae(?): Enn. ed. Vahl.² sc. 427 imprimitque genae genam) lassae sunt, paene occlusae.

Etsi *lassus* et *lapsus* inter se permutari scimus, ab hoc loco 'lapsus' (Gronov.) alienum esse censeo, quia fere semper veteres usurpant synonyma 'iacentes' vel 'cadentes oculi' de morientibus vel mortuis (cf. Gronovii adn.). At Ovidius Met. 7, 578 sq. '*lassa lumina*' (de mortuis), ut quaerendum sit, annon *lassae genae* =

1) De vocibus iteratis cf. Vahlen, Ind. lect. hib. 1886—1887. (Opusc. acad. I p. 348—366) et Friedrich, ad Catulli c. 101, p. 531.

2) Cf. vs. 369 et = sed.

lassa lumina sint. Sed tum de voce 'lassae' non iam dubitari possit, quod et de vivis (hoc loco) et de morientibus sive mortuis recte dicitur.

Vs. 367 nunc ut *soluto* labitur moriens *gradu*
Male coniecit Bentleius pro 'gradu': *genu*, cf. tamen 374 vadit *incerto pede*, 377 iam *gressus* tremunt (847), 431 seniles *gradus*. 'Gradu' ergo = pedibus; soluto gradu = deficientibus eam pedibus.

Vs. 378 sq.

populatur artus cura, iam gressus tremunt
tenerque nitidi corporis cecidit decor.

Hos versus delevit Leo, qui iam cum Bothio vs. 279, 280, ubi idem vocabulum 'populari' eadem significatione legitur, expulerat. Qui versus num necessarii sint, quaeri potest nec dubitari debet. An qui supervacui nobis videntur, iidem spurii sunt? Qui nobis non placent, iidem rhetori et Romano placere potuerunt. Trahunt rem, deducunt filum narrationis, necant fere lectorem narrando. Sic Ovidius, sic Seneca, sic multi alii. Iam vs. 367: nunc ut soluto labitur moriens gradu, idem fere vs. 374 vadit incerto pede.

Rhetorum est idem bis vel ter dicere [1]). Ars enim rhetorica non paucis lineis iisdemque claris subtilibusque contenta est, sed colores multos et varios et crassos appingere amat. Igitur aut multo plura delenda, aut, si et alia et codices permittent, omnia retinenda: in his versibus nihil est quod cum Senecae dicendi ratione vel metro pugnet. Ceterum etiam ad dissertationem Vahleni supra laudatam (p. 179 N. 1) delegare velim nec non ad Leo I p. 147—159.

Vs. 404 sq. Postquam nutrix descripsit conditionem miseram Phaedrae, patescit regia domus et regina conspicitur. Quod modo nutrix multis verbis proposuit, id statim Phaedra ipsa suis verbis exponit et confirmat. Quantum peccaturus fuerit Seneca, si hanc fabulam ab initio scenae destinasset, videmus. Descriptio conditionis longitudine actionem ipsam superasset. Ipsa Phaedra

1) Attende etiam poetas, qui fortasse saepius ipsi nescientes versum aliquem repetunt (cf. Vahlen, Opusc. Ac. I 337). De iteratione frequenti apud Catullum (Op. Ac. II 215 sqq. et Grebe, Stud. Catull. (1912) Appendix IX).

lectori ostendit, quid famulae agant, ut vs. 583 sqq. nutrix narrat, quae in scena acta spectator suis oculis possit observare.

> Sed Phaedra praeceps graditur, impatiens morae.
> quo se dabit fortuna? quo verget furor?
> terrae repente corpus exanimum accidit
> et ora morti similis obduxit color.
> attolle vultus, dimove vocis moras:

Sed post vs. 403 monologia finita chorus veritus ne nutrix interruptam orationem (vs. 384) denuo suscipiat, praevertit hisce verbis (404 sq.):

> sepone questus: non levat miseros dolor;
> agreste placa virginis numen deae.

Tum continuo nutrix Dianam orat:

> 406 Regina nemorum ....
> 413 animum rigentem tristis Hippolyti doma:

Quamquam dubito an hoc loco *chorum* loquentem non induxerit Seneca. Cur nutrix ipsa sibi haec verba dicere nequeat?

Vs. 416 innecte mentem: torvus aversus ferox
in iura Veneris redeat.

Cod. E *innecte*; *inflecte* coni. Koetschau. 'Innecte mentem' — Dianae venatrici dicit nutrix — sc. amoris retibus; redeat in iura Veneris (vs. 417) = se Veneri subiciat ut fieri oportet (*re-*).

Vss. 465—483: Locus a philologis paucis discerptus est in hunc modum:

vs. 465	1		469	5
	11	475	470	6
	12	476	471	7
466	2		472	8
467	3		473	9
468	4		474	10
	13	477		
	14	478		
	15	479		
	16	480		

Haec periodus vs. 431 sqq. incipit a versibus quattuor introductoriis Hippolyti, ad quos respondet nutrix duobus versibus.

Tum sequuntur tres partes maiores 13 + 13 + 12 versuum; finitur octo versibus:

Hip.	4	vss.	(431—434)	
Nutr.	2	vss.	(435, 436)	
	4	= 13	(437—440)	
	5		(441—445)	
	4		(446—449)	
	4	= 13	(450—453)	
	3		(454—456)	
	2		(457, 458)	
	2		(459, 460)	
	2		(461, 462)	
	3	= 12	(463—465)	
	3		(466—468)	
	3		(469—471)	
	3		(472—474)	
	2	= 8	(475, 476)	hinc transpositi post 465.
	4		(477—480)	hinc transpositi post 468.
	2		(481, 482)	

De numerorum distributione aequali in Senecae tragoediis pauca adnotavi in priore huius commentationis parte (Mnem. (1913) p. 18, adn. 2 et 3). De qua re plura erunt dicenda. Nam non casui debetur, sed consilio quodam facta est, quod facile intellegitur, si numeros accuratius compares. Ut in prosa oratione clausulae saepius rectam viam indicant, sic apud Senecam nonnumquam versuum aequalis distributio ad bonam interpretationem adducit prohibetque ne temere versus ab uno loco ad alterum traiciamus. Lector velim meminerit poema illud Horatianum (Epod. 16), quo tot nostri omnia fere frustra tentaverunt. In iis operibus sive opusculis, ubi logicae orationis vincula satis firma esse debent, sententias permutare suo arbitrio vix quisquam audebit. In iis vero operibus, quae hominum intimos sensus et poetici ingenii flosculos continent, ratione psychologica regnante mens desultoria solutis vinculis huc illuc vagatur neque diu uno versatur loco. Sed ne nimis longe discurrant cogitationes et animi impetus, ars poetica vel rhetorica particulas orationis variis rationibus collocat, digerit, ordinat. Quod poetae

placet, philologo non placet nonnunquam (cf. Hor. a. p. 45). Vir ille doctus ingenii acumine praeditus legit, intellegit, iudicat. Leges autem severas rationis arte subtiliore mollitas esse vel neglectas interdum non videt aut certe perspicere non vult. Itaque qui in hac periodo versus transponit, suo iudicio indulget, artificium poetae, qualecunque est, inscius corrumpit.

Iam statuendum est versus ordine tradito, licet unius et alterius iudicio non fluant, intra terminos numerorum positos esse neque logicae neque psychologicae rationi obstare.

Incipit nutrix a longiore oratione qua vitam Hippolyti exprobrat (vs. 437—460). Omnia his verbis comprehendit:

vs. 461, 462 truculentus et silvester et vitae inscius
tristem iuventam Venere deserta coles?

vs. 437 (sic orditur): sed tu beatis *mitior* rebus veni.

vs. 445 (cole Bacchum).

vs. 447 (cole Venerem).

vs. 450 sqq. (cole laetitiam).

vs. 454 sqq. (cole libertatem).

At tu vero plane contrarium facis: tristis es, in silvarum solitudine vitam degis, vitae gaudia et voluptates ignoras, Venerem (quod summum est) spernis (461, 462).

1. Hoc munus virorum non est dura tolerare, equos domare, saeva bella gerere Marte sanguineo (463—465).
2. Munus virorum est hominum genus propagare, quod imprimis bello minuitur (466—468).
3. Quid fiat sine Venere? (469—471); quibuscum artius coniungitur:
4. omnia, [et quae terram] et quae mare ornant et caelum et silvam (!) intereant (arbores vel fruges, naves, aves, ferae) (472—474).

Leo (cum Bentleio) vs. 472 (ullis classibus *codd.*):

vacuum sine ullis *piscibus* stabit mare.

Quod non necessarium esse censeo, quia pisces marinos nemo vulgo videt, ut aves in caelo et feras in silvis videmus vel audimus. Naves vim vitalem significant et maris ornamenta sunt. Et videmus poetam, quamquam de terra et caelo iam locutus erat, iterum ad terram descendere (vs. 473) et in caelo versari (vs. 474), quod nemo tamen, dis gratia, reprehendere ausus est.

Ubi igitur Venus non est, vis vitalis evanescit, mors dominatur. Et (praeter bellum) quam varia leti genera sunt (vs. 475)! Qui vitam caelibem degit, mortem generi humano minatur (vs. 478 sqq.). Naturam igitur sequere ducem et homo vive inter homines: urbem frequenta, civium coetum cole (vs. 482).

Sic ipsius poetae numerorum distributio inde a versu 463 usque ad versum 474 (3 + 3 + 3 + 3) non conturbatur.

(*Continuabuntur*).

ΓΑΜΟΝ ΤΕΥΧΕΙΝ.

μητέρα ϝὴν εἰς πατρὸς ἀνωγέτω ἀπονέεσθαι,
οἱ δὲ γάμον τεύξουσι καὶ ἀρτυνέουσιν ἔϝεδνα
πολλὰ μάλ', ὅσσα ϝέϝοικε Φίλης ἐπὶ παιδὸς ἕπεσθαι. (β 195/7).

Qui nuperrime de his versiculis et quae cum iis cohaerent scripsit in Hermae vol. XLVII (1912) pp. 414/21, Finslerus, etiamsi reliqua expediverit, illud certe demonstrasse mihi non videtur, in Telemachia quam dicunt *ϝέδνα* constanter appellari bona quibus pater ornet filiam in matrimonium datam. Nam pronomen in vs. 196 non tantum satis commode referri ad patrem eiusque necessarios statuit, sed ultro ad procos pertinere posse negavit, quod hi non parent nuptias [1]). Quid autem si Eurymachus praedicavit non *nuptias*, sed *matrimonium* procis curae futurum, ita nimirum ut *ϝέδνοις* certarent, quemadmodum Antinous in *π* 390/1 iussit *ϝέκαστον μνᾶσθαι ϝέδνοισι διζήμενον* et in *ο* 17/8 Eurymachus dicitur *περιβάλλειν ἅπαντας μνηστῆρας δώροισι καὶ ἐξοφέλλειν ἔϝεδνα*? Ego quidem neque cur negem *γάμον* significare etiam *matrimonium* idoneam video causam, et, ut *βοὴν τεύχειν* in *κ* 118 pro *βοᾶν* et *θάνατον τεύχειν* in *χ* 14 pro *ἀποκτείνειν*, ita fere hoc loco et in *α* 277 *γάμον τεύχειν*, id est '*matrimonium parare*', non sine aliqua (certaminis) contentione, positum arbitror pro *γαμεῖν*, quod est '*in matrimonium ducere*' nulla notione laboris.

ALB[s] POUTSMA.

1) „Das nächstgelegene Mittel, der schwierigen Stelle beizukommen, ist natürlich die Athetese von 197. Nur ist damit nicht geholfen; denn auch wenn der Vers wegfällt, kann man *οἱ δὲ* nicht auf die Freier beziehen, weil nicht diese die Hochzeit veranstalten. Die Beziehung auf Ikarios und die seinen ist zwar etwas hart, aber durchaus erträglich" (p. 415).

ADNOTATIUNCULAE AD HERODAM.

SCRIPSIT

P. GROENEBOOM.

Herodas ed. Nairn.

I 7: κάλει· τίς ἐστιν;

Nairn duas interpretationes quarum altera est „Call out: who is it?", altera „Invite her in" (ita explicat Headlam) in medium proferens, utra sit melior non diiudicat. Quae tamen vis insit verbo καλεῖν h. l. dubium non relinquitur comparanti Hom. Od. X 230 ubi comites Ulixis ante Circae aedes vocem effundentes pingit atque ita pergit poeta:

ἡ δ' αἶψ' ἐξελθοῦσα θύρας ὤιξε φαεινὰς
καὶ 'κ ά λ ε', οἱ δ' ἅμα πάντες ἀϝιδρίῃφιν ἕποντο.

Nec non premendum est ministro Axyli, qui omnes comiter excipit (Il. VI 12), nomen esse „Κ α λ ή σ ι ο ς" (ἀπὸ τοῦ καλεῖν ἐπὶ τὰ ξένια schol.). Referre denique lubet ad locos, qualis est Luc. Nigr. 2: κόψας τὴν θύραν τοῦ παιδὸς εἰσαγγείλαντος ἐ κ λ ή θ η ν.

Interpretationi igitur Headlami adstipulandum est. Id solum obstare videtur quod Metricha prius hominem non visum intrare iubet, deinde rogat quis sit ille homo ostia pulsans. Ordinem inversum requirat quis: quae difficultas ita fortasse solvenda est, ut Metricham de marito aliquot iam menses absente (vs. 24) sollicitam aut ipsum aut nuntium de ipso referentem anxie expectare credamus; ostio igitur fortiter pulsato (ἀράσσει!) nil nisi maritum cogitantem sua sponte „intret" exclamasse, statim tamen quasi se ipsam corrigentem addidisse „quis est?"

I 11: ἐξ οὗ σε, Γυλλίς, ο ὐ δ' ὄ ν α ρ, μὰ τὰς Μοίρας,
πρὸς τὴν θύρην ἐλθοῦσαν ε ἶ δ έ τις ταύτην.

Cf. Men. Circumt. 169 (Koerte[2]):

κακοδαιμόν' οὕτω δε[σπ]ότην οὐδ' ἐνύπνι[ον
ἰδὼν γὰρ οἶδα.

I 16: χὴ σκιὴ παρέστηκεν.

Praeter Homericum παρέστηκεν θάνατος a Nairnio laudatum huc pertinet Xen. Hell. II 3, 56, ubi auctor admiratur Theramenem τοῦ θανάτου παρεστηκότος μήτε τὸ Φρόνιμον μήτε τὸ παιγνιῶδες ἀπολιπεῖν ἐκ τῆς ψυχῆς.

I 17 sq.:

ἐπισχ]ε, καὶ μὴ τοῦ χρόνου καταψεύδεο,
οἵη τ' ἔτ' εἶ] γάρ, Γυλλί, χἠτέρους ἄγχειν.

„Do not bring false charges against your years" vera est explicatio verbi καταψεύδεο, cf. Arist. Pax 532 κλαύσει ἄρα σὺ ταύτης καταψευδόμενος, Luc. As. 7 τοῦ ὕπνου καταψευσάμενος, 32 καὶ ἤν. ἔρηται, πῶς οὗτος ἀπέθανε, λύκου τοῦτο καταψεύσασθε. Qui usus verbi καταψεύδεσθαι satis probat in subsequentibus argumenta Gyllidis aetatis infirmitates praetextantis refutari. Sequitur ut èt additamentum οἵη τ' ἔτ' εἶ (ita Tucker) èt coniectura Buechleri ἰσχὺν ἔχεις supplentis recte se habere possit; Crusii contra supplemento (εἰκῆ· θέλει inter alia) recepto solum illud εἰκῆ, quod coniecturae debetur, refutatur, minime autem verbum καταψεύδεο in papyro traditum.

I 19—22:

σίλ[λα]ινε ταῦτα· τῆς νεωτέρης ὑμῖν
πρόσεστιν, ἀλλ' οὐ τοῦτο μή σε θερμήνῃ.
ἀλλ' ὦ τέκνον, κόσον τιν' ἤδη χηραίνεις
χρόνον, μόνη τρύχουσα τὴν μίαν κοίτην;

Verbum σιλλαίνειν nonnisi apud Diogenem et Aelianum, qui verbum ex doctrina litteraria petivisse videntur, iterum occurrit. Apud Lucianum Prom. 8 διασιλλαίνειν legimus, cf. etiam Phryn. Praep. Soph. (ed. I. de Borries): διασιλλοῦν καὶ διασιλλῶσαι (fr. com. ad. 978): σημαίνει τὸ διασῦραι καὶ χλευάσαι. σίλλοι γὰρ ᾄσματα χλευαστικά.

E V 29 πρὸς 'Αμφυταίην ταῦτα, μή 'με πληκτίζευ, quem versum Nairnius quoque respicere iubet, concludere licet post

ταῦτα interpungendum esse. Accedit ut post σίλλαινε interpungentes pro ταῦτα potius τοῦτο (i. e. τὸ σιλλαίνειν) expectemus.

Optimo quidem iure Nairn verba ἀλλ' οὐ — θερμήνῃ Gyllidi attribuit; interpretatio tamen eius „you will never gain anything by such jesting" minime placet. Magis mihi arridet haec explicatio: „haec res te non calefaciet" (τοῦ πέους δὲ δεῖ): ita interpretantes non est cur in vocabulo ἀλλὰ iterato haereamus; alterum enim ἀλλὰ cavillationem (συλλαίνειν) quasi rem inutilem reicit; altero contra ἀλλὰ novum quoddam anus introducit interrogans quo ex tempore vidua sola in lectulo iaceat.

I 25: ἀλλ' ἐκλέλησται καὶ πέπωκεν ἐκ καινῆς.

Sine dubio errat Meister ἐκ καινῆς per „de integro" explicans. Adnotatio ΚΥΣΗΣ cum litteris susprascriptis ΛΙΚΟΣ coniuncta efficit vocabulum, quod requiritur: κύλικος.

Mulieris cum poculo e cuius labris amor hauritur comparatio (quae imago cum in scriptis Graecorum eroticis tum alibi saepius legitur, cf. e. g. Hewlett: „Lanceilhot drank deep of her that day") eo facilius occurrit quod vocabulum χείλη èt labra hominis èt labra poculi significat. Verba sutoris (VII 110): ἔχεις γὰρ οὐχὶ γλάσσαν, ἡδονῆς δ' ἠθμόν haud aliter explicanda sunt.

Ellipsis porro vocabuli κύλικος nihil offendit collatis nonnullis locis Aristophanis (cuius generi dicendi mimiambi hic illic proxime accedunt), Ach. sc. 985 λαβὲ τήνδε Φιλοτησίαν (i. e. κύλικα, ut probatur Lys. 203 δέσποινα Πειθοῖ καὶ κύλιξ Φιλοτησία), Eq. 107 ἕλχ', ἕλκε τὴν τοῦ δαίμονος τοῦ Πραμνίου, 122 ἑτέραν ἔγχεον, cf. etiam Dem. XIX 128 Φιλοτησίας προύπινεν. Eadem ellipsis occurrit III 33 ἐνταῦθ' ὅκως νιν ἐκ τετρημένης ἠθεῖ.

I 35: λάθοιμ' αὐτὰς
εἴπουσα].

Nairn hoc modo explicat: „it was regarded as a sin to mention the names of the deities without reason."

Potius crediderim Gyllidem timore perterritam esse ne deae *cum mulierculis Aegyptiacis comparatae* offenderentur, cf. IV 58.

I 63: ἀλλ' ὦ τέκνον μοι Μητρίχη, μίαν ταύτην
ἁμαρτίαν δός· τῇ θεῷ κατάρτησον

σαυτήν, τὸ [γ]ῆρας μὴ λάθῃ σε προσβλέψαν.

Vocabula τὸ γῆρας μὴ λάθῃ σε προσβλέψαν ad Φθονερὸν illud ὄμμα Senectutis spectare Crusium sequentes omnes quantum scio pro certo habent. Necesse igitur erat — ita explicant — Metricham Veneris (τῇ θεῷ) thiaso adiungi oculum istum Senectutis ab asseclis prohibentis. Quam ut opinionem stabiliant referunt docti ad Plut. Symp. III 6, 4: ἀνάβαλ' ἄνω τὸ γῆρας | ὦ καλὰ 'Αφροδίτη nec non ad 'Αφροδίτην 'Αμβαλογήραν quae teste Pausania (III 18, 1) Spartae colebatur.

Equidem aliam viam ingressus proficiscendum arbitror a locis, qualis est Eur. Med. 1161, ubi de Creontis filia leguntur haec:

λαμπρῷ κ α τ ό π ρ ῳ σχηματίζεται κόμην
ἄψυχον εἰκὼ προσγελῶσα σώματος.

et Eur. Hec. 923:

ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις
μίτραισιν ἐρρυθμιζόμαν
χρυσέων ἐ ν ό π τ ρ ω ν
λεύσσουσ' ἀτέρμονας εἰς αὐγάς.

Quibus locis nisi ad hanc interpretationem pervenimus: Carpe diem, inquit anus, ne expectatione celerius IN SPECULO te ipsam contemplanti Senectus (i. e. cani et primae rugae) maligne tibi arrideat.

Eadem sententia quamquam minus ornata occurrit in fragmento comici ignoti:

ἵνα μὴ τὸ γῆρας ἐπαναβὰν αὐτὸν λάθῃ.

I 64: καὶ δοιὰ πρήξεις· ἡδέω[ς ζ]ή[σεις καὶ πρὸς
δοθήσεταί τι μέζον ἢ δοκεῖς.

Crusii supplementa placent nisi quod verbum ζῆν in hunc locum minus quadrare amicus C. W. Vollgraff recte observat: de *brevi* enim quodam amore sermo est.

Sententia eodem modo formata est atque Soph. El. 1086 δύο φέρῃ δ' ἐν ἑνὶ λόγῳ | σοφά τ' ἀρίστα τε παῖς κεκλῆσθαι, cf. Phil. 117 ὡς τοῦτό γ' ἔρξας δύο φέρῃ δωρήματα.

I 82: δεῖξον· οὐ π[αρα]λλάττ[ειν
πείσουσά σ' ἦλθον, ἀλλ' ἕ[κητι] τῶν ἱ[ρ]ῶν.

In vs. 82 Nairn παραλλάττειν legit in hac quidem re cum

Kenyone congruens, qui nunc in papyro distinguit ΟΤ Π . . . Λ-ΛΑΤΤ . .

Supplementum probatur Lys. fr. 91 (in editione Herwerdeni): *ἣ γὰρ ἂν ἡμέρᾳ γυνὴ προδῷ τὸ σῶμα καὶ τὴν τάξιν λίπῃ τῆς αἰδοῦς, εὐθέως π α ρ α λ λ ά τ τ ε ι τῶν φρενῶν.* Pro *ἀλλ' ἔ[κητι] τῶν ἱ[ρ]ῶν* potius hanc exspecto sententiam: „sed iocans haec dixi".

II 15: *στ]ενῶς ἐ[γ]ὼ τῷ προστάτ[ῃ τ]εθώρ[η]γμαι.*
Buecheler *δεδώρημαι* legit, sed praefero lectionem *τεθώρηγμαι* referens ad Arist. Pac. 686:

> *ἀπορῶν ὁ δῆμος ἐ π ι τ ρ ό π ο υ καὶ γυμνὸς ὢν*
> *τοῦτον τέως τὸν ἄνδρα π ε ρ ι ε ζ ώ σ α τ ο.*

II 68: *δεῦρο Μυρτάλη καὶ σύ·*

> *δεῖξον σεωυτὴν πᾶσι· μηδὲν αἰσχύνευ·*
> *νόμιζε τούτους οὓς ὁρῇς δικάζοντας*
> *π α τ έ ρ α ς ἀδελφοὺς ἐμβλέπειν.*

Hyperidem audimus Phrynen appellantem.

Tribrachys ille „*πατέρας*" voce expressus commotione tremula miro effectu non caret „c'est sans aucun doute le mot le plus réussi de tout le morceau" (Dalmeyda). Mihi veri simile videtur sermonem tragicum hoc loco perstringi haud aliter atque I 57, II 72, 81, III 5, 17, V 7, 25, 68?, VIII 2, 17: Sophoclis Electra paedagogum senem salutans ita allocuta est:

> *χαῖρ' ὦ πάτερ· π α τ έ ρ α γὰρ ε ἰ σ ο ρ ᾶ ν δοκῶ·*

(1361) „the only tragic trimeter in which the third foot is formed by *a single word of three short syllables*" (Jebb).

II 71: *ὦ Γῆρας,*

> *σοὶ θυέτω*

„tibi gratum se praebeat" (VI 10): eadem dicendi proprietas invenitur in Men. Sam. 171 (Koerte[2]):

> *ἑτέρα γὰρ ἀγαπήσει τὰ παρ' ἐμοὶ Χρυσὶ νῦν*
> *καὶ τ ο ῖ ς θ ε ο ῖ ς θ ύ σ ε ι.*

(Cf. „*il vous doit une belle chandelle*").

II 79: *ἐρᾷς σὺ μὲν ἴσω[ς] Μυρτάλης· οὐδὲν δεινόν,*

> *ἐγὼ δὲ πυρῶν.*

Lectionem papyri ΠΥΡΕΩΝ servatam a vocabulo quodam incognito *πύρη* „nummus argenteus" derivat Meister. Cui non esse assentiendum apparet etiam ex loco Libanii (ed. Foerster I p. 136, 16) ab Herwerdeno in Lex. Suppl.[2] s. v. *πυρός* laudato: *Φίλος ἢ διὰ τοὺς πυρούς*; cf. porro crebra *ἀλφίτων* mentio in simili re.

II 92: *τὸ λοιπόν, ἄνδρες, μὴ δοκεῖτε τὴν ψῆφον*
τῷ πορνοβοσκῷ Βαττάρῳ *φέρειν, ἀλλὰ*
ἅπασι τοῖς οἰκεῦσι τὴν πόλιν ξείνοις.

Facete perstringitur mos oratorum Graecorum meras nugas oratoriis flosculis ridicule extollentium. Nairn duos locos ex Pseudo-Demosthene laudatos comparat, quibus addendum Lys. I 47, ubi bonus ille Atheniensis ab uxore lepide circumventus exclamat: *ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες, οὐκ ἰδίαν ὑπὲρ ἐμαυτοῦ νομίζω ταύτην γενέσθαι τὴν τιμωρίαν, ἀλλὰ* ⟨*κοινὴν*⟩ *ὑπὲρ τῆς πόλεως ἁπάσης.*

III 12: *ὅκουπερ οἰκίζουσιν οἵ τε προὔνικοι*
κοἱ δρηπέται.

Nairn offendit in verbo *οἰκίζειν* pro *οἰκεῖν* usurpato (*ὀκλάζουσιν* proposuit v. Herwerden); cf. tamen Arist. Av. 149 *τί οὐ τὸν Ἠλεῖον Λέπρεον οἰκίζετε | ἐλθόντες* et Men. Monost. 572
ἦθος πανοῦργον μακρὸν οἰκίζει θεοῦ.

Similis est verbi *ἵζειν* usus intransitivus.

III 24: *τριθημέρῃ* Μάρωνα *γραμματίζοντος*
τοῦ πατρὸς αὐτῷ, τὸν Μάρων' *ἐποίησεν*
οὗτος Σίμωνα *ὁ χρηστός.*

Vocabula *ὁ χρηστός* ironice dicta ut apud Arist. Nub. 8 *ὁ χρηστὸς οὑτοσὶ νεανίας*, Men. Disc. 525 *ἀλλ' ἢ περιμένω καταφαγεῖν τὴν προῖκά μου | τὸν χρηστὸν αὐτῆς ἄνδρα*, Sam. 193 *ὁ φίλος ὁ χρηστός σου.*

III 42: *τί μευ δοκεῖς τὰ σπλάγχνα τῆς κακῆς πάσχειν,*
ἐπεὰν ἴδωμι;

Hoc versu stabilitur Valckenaerii coniectura Arist. Ach. 12

πῶς τοῦτο σεῖσαί μου δοκεῖς τὴν καρδίαν proponentis pro verbis traditis:

πῶς τοῦτ' ἔσεισέ μου δοκεῖς τὴν καρδίαν.

III 61: τῇ Ἀκεσέω σεληναίῃ
δείξοντες;

Plerumque interpretes verba τῇ Ἀκεσέω σεληναίῃ pro „a dative of time-when" habent. Nairn dubitat num cum Crusio verba vertere liceat: „do you mean to exhibit him *to* the full moon of Ak.?" At Crusium fortassse recte iudicasse indicant loci quales sunt Plut. Sept. Sap. Conv. 159 B τὸν νεκρὸν ἀνατεμόντες ἔδειξαν τῷ ἡλίῳ (si verba sana sunt) et Xen. Ephes. III 8 μή με ἡμέρᾳ δείξητε. Cf. etiam Soph. El. 424 sq.

III 72: τῆς τε Κουτίδος ψυχῆς.

Buechleri versio verborum τῆς τε κοττίδος (ita edidit) ψυχῆς „per capitale tuum ingenium" nulli placuit. Cutidem Lamprisci cognatam dilectam fuisse satis probabile est. Quod attinet ad ipsa verba cf. Xen. Ephes. III 3 πρὸς αὐτοῦ σε ψυχῆς Ὑπεράνθους, ubi per „ψυχή" manes significantur.

IV 65: δοκεῦντες ὄντως ἀργυρεῦν πεποιῆσθαι.

Rutherfordii coniecturam ἀργύρου proponentis satis refutat Herod. II 78 ξύλινον πεποιημένον, ubi perperam v. Herwerden ξύλου πεποιημένον legendum esse coniecit.

IV 73: οὐδ' ἐρεῖς 'κεῖνος
ὤνθρωπος ἓν μὲν εἶδεν, ἓν δ' ἀπηρνήθη.

In his versibus proverbium quoddam exstat homericae illi sententiae ἀλλ' οὔ πως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι (N 729) valde simile. Ut alio loco (IV 50 ἔσσετ' ἡμέρη κείνη) Herodas sine ullo dubio Homerum secutus est, ita hoc quoque loco homericum illud τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε (Π 250), quod postea locum proverbii obtinuit, ob oculos versatum esse videtur. Verba Homeri passive versa haec significant: „alterius rei scientia ille vir fruitur, alterius caret." Sequitur ut ἀπηρνήθη non per „failed to see" sed per „*was denied*" vertendum sit. Dubito denique num revera εἶδεν in οἶδεν mutandum

esse ex versu homerico efficere liceat: dubito non tam Himerii loco saepius laudato (Or. XIV 23) *οὐ τὴν μὲν εἶδε, τῆς δὲ ἠμέλησε* (nam ibi quoque *εἶδεν* mirum in modum usurpatum est) quam eo commotus, quod Apelli, de quo agitur, *pictori* illud *εἶδεν* idem valet atque *οἶδεν*.

V 1: *ἦδ' ὑπερκορὴς οὕτω.*

Recte ita editur: Persius (VI 72) eodem sensu habet „morosa vena."

V 22: *ὡς μὴ καλῶς γένοιτο τἠμέρῃ κείνῃ.*

Adhuc vehementius Plautus diei atro in Captivis maledicit (vs. 464):

ego huic die — oculos effodiam lubens.

V 25: *σύσσφιγγε τοὺς ἄγκωνας, ἔκπρισον δήσας.*

Cum usus verbi *ἔκπρισον* (referri solet ad Soph. Ai. 1030 *πρισθείς*) tum verbum *σύσσφιγγε* tragoediam sapiunt. Quod attinet ad hoc verbum Herodae fortasse Aeschyli Prom. 58:

ἄρασσε μᾶλλον, σ φ ί γ γ ε, μηδαμῇ χάλα

in mente haerebat.

V 77: *ἐπείπερ οὐκ οἶδεν*
ἄνθρωπος ὤν.

Cf. Men. Phasm. 31

αἰσθοῦ σαυτὸν ὄντα [Φειδία
ἄνθρωπον.

VI 11: *ἐπεί σ' ἔγε[υσ]' ἂν τῶν ἐμῶν χειρῶν.*

Hoc quoque loco Homerus conferendus est; Melanthius (*υ* 181) enim ita Ulixem alloquitur: haud discedemus *πρὶν χειρῶν γεύσασθαι* „antequam manibus congressi erimus."

VI 16: *ὦτ[α] μοῦνον καὶ γλάσσαι,*
τὰ δ' ἄλλ' ἑορτή.

Cf. Soph. Indagatores 144 (Hunt):

[σ]ώ[μ]ατ' εἰ[σ]ιδ[ε]ῖν μόνον
καὶ γλῶσσα καὶ φ[αλ]ῆτες.

Vocat me v. Wageningen v. d. ad Ter. Eun. 560, ubi per „festus dies" homo indicatur.

VI 27: γυναῖκες, αὕτη μ' ἡ γύνη ποτ' ἐκτρίψει.

Ad peculiarem exclamationem illustrandam nil afferunt interpretes: maxime accedit Men. Sam. 235:

δεινὸ]ν ὤνθρωποι.

VI 72: εὐνοέστερον σκυτέα
γυναικ[ὶ] διφῶσ' ἄλλον οὐκ ἀνευρ[ήσ]εις.

Operae pretium est conferre Herod. V 24:

Ἱστιαῖε, βασιλεὺς Δαρεῖος τάδε λέγει· ἐγὼ φροντίζων εὑρίσκω ἐμοί τε καὶ τοῖσι ἐμοῖσι πρήγμασι εἶναι οὐδένα σεῦ ἄνδρα εὐνοέστερον.

Num consensus fortuitus est?

VII 17: ἆ μάκαρ Μητ]ροῖ
οἷ' ἔργ' ἐπόψεσθ' κτἑ.

Sciens vel inscius sutor perstringit hoc loco versus quibus ἐξάγγελος apud Sophoclem mala Oedipodis praedicit (O. R. 1224):

ὦ γῆς μέγιστα τῆσδ' ἀεὶ τιμώμενοι,
οἷ' ἔργ' ἀκούσεσθ', οἷα δ' εἰσόψεσθ' κτἑ.

Re vera hos versus respici veri simile fit non quod vocativus singularis imperativi formae plurali adiunctus est (alia exempla apud Herodam exstant, cf. III 87 μέθεσθε, Κόκκαλ', αὐτόν, VII 14 ἕζεσ[θε Μ]ητρ[ο]ῖ et fortasse V 73 Κύδιλλα, μή με λυπεῖτε) sed quod Cerdo in hoc versu *solam* Metronem se allocutum esse indicat vs. 21:

θηεῖσθε χὐμε[ῖ]ς.

AD MANILIUM.

SCRIPSIT

I. VAN WAGENINGEN.

I. Ad librum primum.

Ubi Manilius agit de priscis illis hominibus, quibus nulla etiam tum scientia stellarum erat, hoc addit (I 68 sqq.):

et stupefacta (sc. vita hominum) *novo pendebat lumine mundi,*
tum velut amissis maerens, tum laeta renatis
70 *sideribus, variosque dies incertaque noctis*
tempora nec similis umbras iam sole regresso,
iam propiore suis poterant discernere causis.

Quisquis hos versus perlegit — quos dedi, quales in optimis codd. (L et U) [1]) scripti sunt — statim animadvertit in postremo versu (72) deesse negationem, nam poeta hoc demonstrare vult antiquum illud et rude genus hominum causas *non* potuisse indagare, cur umbrae hiemales (*sole regresso*) et aestivae (*sole propiore*) dissimiles (*nec similes*) essent. Negatio enim *nec* ad adiectivum *similis* ita referenda est, ut *nec similis* (cf. II 110, 876) dictum sit pro 'et dissimilis'. De hac interpretatione inter omnes fere interpretes constat praeter Ellisium, qui (N. M. p. 3) *nec* in *non* mutato et ad verbum *poterant* relato *similis umbras* intellegit de aequinoctio auctumnali et verno, sed ut taceam de miro loco, quem hac coniectura probata *non* in sententia obtinet, praesertim cum etiam vocabula *variosque dies incertaque noctis*

1) Quoniam in Matritensi (M) desunt I 1—82, in hac parte varia lectio cod. Urbinatis (667), ex M descripti, adhibenda est.

tempora a verbo *discernere* pendeant, hoc ipsum verbum discernendi propter vim suam ne sinit quidem in prioribus versibus sermonem esse de rebus similibus; discernuntur enim ea, quae inter se differunt et dissimilia sunt. Quare reliqui editores servatis vocabulis *nec similis* alius alio modo locum sanare particula negationis quapiam introducta conati sunt, ex quibus lenissimam medelam adhibuit Postgatius, qui *variosque* in *variosne* mutato sententiae formam interrogativam dedit (vs. 70—72 *causis?*). Sed ita in vs. 70 transitus exsistit a sententia affirmativa ad interrogationem admodum durus, quem in textum recipere nolim, ac praeterea si Manilius re vera ad interrogationem transire voluisset, potius particula *an* usus esset. Multo violentius artem criticam ad hunc locum adhibuit Breiterus scribens:

tum velut amisso maerens, tum laeta renato
70 *sidere* [1]) *nec variosve dies incertave noctis*
tempora nec similis cet.

quam coniecturam audacissimam vereor ne probare possit perpaucis. Neque feliciores in loco emendando fuerunt Bentleius et Housmanus, alter pro *poterant* scribens *impar* (quod referendum est ad subiectum *vita* in vs. 68), alter versum 72 ita corrigens:

iam propiore suis dicernere nescia causis.

Ego, si quid mutandum est, pro *discernere* legere velim: *haud cernere*, codicum vitium ita explicans, ut interpretamentum *discernere* supra *cernere* (cf. II 792, IV 195, 928) positum, in textum irrepserit atque negationem *haud* e versu extruserit [2]), verum sententia diu multumque reputata malim credere aut in vs. 70 lacunam statuendam esse aut Manilium errasse atque *nec* *ἀπὸ κοινοῦ* usurpatum èt ad *similis* èt ad *poterant* referendum esse.

I 87—88:

et vagus in caecum penetravit navita pontum,
fecit et ignotis itiner commercia terris.

Sic ediderunt Iacobus et Breiterus: *itiner*, lectionem codd. LG secuti, sed Matritensis, cui maiorem fidem habet Thielscher

---

1) = sole.
2) Cf. Bentl. ad Man. II 109.

(Philol. N. F. XX p. 112), quod fidelius sit apographum archetypi a viro 'omnium ignorantissimo' [1]) scriptum, exhibet: *inter* pro *itiner*, Venetus autem codex, qui non amplius exstat, sed cuius collationem I. F. Gronovius cum Bentleio communicavit, praebebat: *iter in*, quod Bechertius in textum recepit. Etsi haud nego priscam formam *itiner* (cf. Lucr. VI 339 Munro) non alienam esse a Manili genere dicendi, quippe qui paulo ante (vs. 27) non abstinuerit a verbo *clependi*, tamen vix mihi persuadere possum Latine dici *iter* h. e. homines iter facientes („Karawane" Breiter) *commercia facere terris ignotis*. Neque mihi placet, quod in Veneto traditur, *fecit iter in commercia* (sc. nauta), cum nauta ille quidem per maria patefecerit iter, sed non per terras. Itaque nisus potius lectione Matritensis (*inter*) [2]) versum sic corrigere velim:

fecit et ignotas inter commercia terras.

De praepositionis loco cf. I 121, 156, II 53 (Garrod), III 521, IV 544, de argumento IV 170: „totque per ignotas commercia iungere terras".

I 214—216

† *sic stellis glomerata manent mundoque figurant.*
idcirco terris non omnibus omnia signa
conspicimus.

Sine dubio vs. 214 corruptus est, sed abesse non potest, quoniam more Maniliano hoc loco exspectatur aliqua conclusio, qua pars ea, ubi de rotunditate caeli et terrae actum est, definiatur. Recte igitur Iacobus vidit in eiusmodi versu alteram partem conclusionis (sc. rotunditatem terrae) desiderari non posse, quare optimo iure pro *stellis* edidit *tellus*, sed in reliqua parte versus, qualem in editione sua dedit:

sic tellus glomerata manet mundumque figurat

etsi mutando vocabula *manent mundoque figurant* effinxit sententiam vere Stoicam [3]), tamen non expressit Manili opinionem, qui nusquam dixit in iis quae antecedunt, a terra formam

---

1) Quae sunt Poggii verba, cf. Thielscher, l.l. p. 84.
2) Confunduntur inter se *iter* et *inter* III 395 (L).
3) Ach. Tat. p. 131 ed. Patav.

rotundam datam esse caelo. Conicio igitur tale quid legendum esse:

sic tellus glomerata manet mundique figura.

Axis caeli tenuitatem maximam hoc modo poeta lectoribus proposuit (I 285—286):

† *nec vero e solido stat robore corporis ei,*
nec grave pondus habet, quod onus fert aetheris alti.

Pro versu corrupto Breiterus legit:

nec vero e solido stant robora corporis illi.

Bentleius: *nec vero solidus stat robore corporis axis.*
Bechertius: *nec vero e solido stat robore corporis axis.*

Cum tamen in M prima manus pro *ei* exhibeat *in* et subiectum verbi sequentis *habet* sine dubio *corpus* sit, ita legendum censeo:

nec vero e solido stat robore corpus in ⟨illo⟩.

Nempe in illo caeli axe nullum est corpus e solido robore constans, sed omnia inania sunt.

Lyra Orpheus viam ad inferos sibi fecit, quare Lyrae summus honor habitus est, cum in astrorum numerum recepta sit. De qua fabula ita refert Manilius (I 328—329):

hinc caelestis honos similisque potentia causae:
tunc silvas et saxa trahens, nunc sidera ducit.

Adnotat ad hos versus Housmanus: '*similis* nominativus, ab hoc adiectivo pendet *causae*', recte, sed quid sibi vult illud *causae*? Quid poeta significare voluerit, satis perspicuum: potentia, quae Lyrae est in caelo, similis est atque ei fuit in terra, cum etiam tum vera fides esset atque animos deorum atque hominum mulceret. Sed illa potentia terrestris non potest indicari per substantivum *causae* (= *τῇ αἰτίᾳ τῇ τῆς οὐρανίας τιμῆς*), quapropter mecum lege:

hinc caelestis honos similisque potentia musae,

h. e. potentia (caelestis) similis (potentiae) musae (terrestris). De huius vocabuli (*musa*) usu cf. II 42, IV 381; Verg. Ecl. 1, 2; 6, 8; 3, 84; 8, 1.

In pulcherrima illa parte libri primi, ubi Manilius originem

orbis lactei exquirit, inter fabulas a maioribus traditas etiam refert Phaethontem Solis patris curru vectum et nimis septemtrionibus appropinquantem effecisse, ut caelum et terra ardescerent, eamque partem caeli, qua puer stultus currum flexisset, exustam postea lacteam viam appellatam esse:

I 741: *nec signa insueta tulisse*
742 *errantis nutu* [1]) *flammas cursumque solutum,*
743 *deflexum solito cursu curvisque quadrigis.*

Ita versus in codd. traditi sunt, nisi quod in vs. 742 sola prima manus in M exhibet *cursumque*, reliqui autem codd. legunt *currumque*, sed de curru, quem Iuppiter fulmine fregit, sermo est in vs. 746 neque *signa* (vs. 741) recte dici possunt aegre *tulisse currum solutum*, immo gavisa essent curru destructo. Iam uterque versus (742 et 743) mihi Manilio poeta dignus videtur, sed alter iuxta alterum ferri nequit, quoniam eadem res bis depingitur, sc. solem a solito cursu aberrasse atque eius cursum esse turbatum (*deflexum solito cursu = errantis nutu flammas; curvis quadrigis = cursum solutum*). Quae cum ita sint, Postgatius versum 743 transposuit post 739, sed mihi multo veri similius videtur hoc loco adesse vestigium duplicis recensionis et alterum versum asterisco esse ornandum.

Inter fortissimos viros Romanos, quibus poeta fingit concessum esse, ut post mortem in orbe lacteo habitarent, etiam Livius et Nero sunt, qui Hasdrubalem apud Metaurum profligarunt. Sed quod nunc in Manili codicibus de iis dicitur, minime viris fortibus laudi ducendum est. Legitur enim I 790—791:

victorque necati
Livius Hasdrubalis socio per bella Nerone.

Haereo enim in participio *necati*, non quod eadem fere forma paulo ante (vs. 788) antecedat, sed quia ridiculum est — id quod Housmanus quoque sensit — aliquem dici victorem hostis iam necati. Sed quod ille proposuit *tenacis*, neque in hunc pugnatorem Carthaginiensem cadit et nimium recedit a lectione tradita. Quare vide, num satis sit locum sic mutari:

---

1) sc. Phaethontis, sed Bentleius proposuit: *meta*.

victorque necantis
Livius Hasdrubalis socio per bella Nerone.

Verbum autem *necandi* absolute positum est, ut V 188. De Hasdrubale qui „concitato equo se in cohortem Romanam immisit" cf. Liv. XXVII 49, 4.

Antequam Manilius ad ipsam vim siderum explicandam transit, pauca in medium profert de facibus caelestibus, cuius loci exordium hoc est (I 807—808):

implenda est mundi facies, corpusque per omne
quicquid ubique nitet, vigeat quandoque notandum est.

Constructionem alterius horum versuum nemo adhuc enucleavit. Ipse cogitaveram de hoc ordine verborum: 'notandum est èt ubi èt quando vigeat, quicquid nitet', sed eiusmodi hyperbaton ne Manilio quidem obtrudere ausim (sc. 'ubique' = 'et ubi' ex sententia interrogativa in relativam transpositum). Breiterus autem *quicquid* indefinitum (non relativum) esse statuit atque versum hoc modo corrigere conatus est:

quicquid ubi niteat vigeat quandoque notandum est.

Etsi re vera *quicquid* indefinitum alibi apud Manilium (IV 869) occurrit, tamen nolim hanc coniecturam difficilem intellectu atque adeo male sonantem (*niteat vigeat*) in textum recipere. Neque felicius coniecit Housmanus:

quicquid ubi niteat vice eat qua quodque notandum est,

quod nemo, credo, sine coniectore intelleget. Mihi autem mendum latere videtur in pronomine *quicquid* (*quidquam* M), quod natum esse puto ex *quid, quod,* ita ut scribendum sit [1]):

corpusque per omne
quid, quod ubique nitet, vigeat quandoque notandum est.

Sic demum illud *que* post *quando* non amplius languet sed duo interrogativa (*quid* et *quando*) inter se iungit. *Quid* (acc.) *vigeat* dictum est ut: quid valeat.

Manilius de cometis ita canit (I 892—895):

talia significant lucentes saepe cometae:
funera cum facibus veniunt terrisque minantur

---

1) Etiam II 814 in L *quicquid* cum *quicquod* confusum est.

ardentis sine fine rogos, cum mundus et ipsa
895 *aegrotet natura novum sortita sepulcrum.*

Ad vs. 895 adnotat Housmanus: „*novum* quorsum pertineat, non intellego; vix enim sic significari potest hanc mundi naturaeque sepulcri sortitionem rem novam esse atque insolitam; *suum* Iacobus; fortasse *unum*". Quod ad adiectivum *novum* attinet, Housmano adstipulor, sed neque eius neque Iacobi coniecturam probo. Cum enim in optimo codice Matritensi pro *novum* traditum sit *omnium*, hoc multo facilius potest natum esse ex genetivo *hominum*, atque haec ipsa oppositio requiritur:

cum mundus et ipsa
aegrotet natura, hominum sortita sepulcrum,

quippe cometae non modo hominibus, sed ipsi naturae mortem et perniciem ferunt.

II. Ad librum secundum.

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζαν Ὁμήρου.

Idem atque hoc versu expressum est, Manilius suo more eloqui conatur II 7—8:

ore sacro cecinit (sc. Homerus bellum Troicum); †*patria quae iura petentem*
dum dabat eripuit [1]), *cuiusque ex ore profusos*
omnis posteritas cet.

In verbis corruptis mihi videtur propter sequens illud *cuiusque*, quod sine dubio ad Homerum referendum est, etiam pro *quae* legendum esse: *qui*. Deinde recepta Gronovii coniectura verba sic emendanda sunt:

patriae qui iura petenti
dum dabat eripuit,

h. e. si qua urbs Homerum sibi civem poscebat (= si *patria iura* sua *petebat*), ille hanc appellando patriam alii urbi ex septem illis honorem originis eripiebat.

---

1) Breiter partim cum Gronovio: *patriae* (genet.) *cui* (Homero) *iura petenti* | *dum dabat* (sc. posteritas) *eripuit*, sed Homerus non petit *patriae iura* a septem illis civitatibus, sed civitates Homerum sibi vindicant.

Nullum argumentum, inquit Manilius, non tractatum est a poetis, qui ante me fuerunt II 43—45:

ecce alius pictas volucres ac bella ferarum,
ille venenatos anguis, hic nata per herbas
fata refert vitamque sua [1]) *radice ferentis.*

Nemo adhuc satis expedivit verba illa *nata per*. Possumus sane sententiam ita construere: „hic refert fata vitamque, quae nata sunt per herbas, quae sua radice fata vitamque ferunt', sed quis umquam sic locutus est? Bentleius edidit: *hic gramina et herbas*, ingeniose quidem, sed nimis audacter; Breiterus *hic prata per herbas*, non attendens illud *prata per* paulo post (vs. 53) eodem loco versus inveniri; Garrodius autem proponit: *damna per*, sed eum fugit poetam non modo agere de noxiis herbis, sed etiam de salubribus. Mihi in mentem venit:

hic naviter herbas
fata refert vitamque sua radice ferentis.

Adverbium *naviter* Manilius sumpsisse videtur ex carmine, quod etiam alibi imitatur: Lucr. de r. n. I 525. Accedit quod saepe in codd. Manilianis (L M G) verba a librariis male divisa sunt, cum archetypus, quo utebantur, litteris maiusculis exaratus esset. Quapropter NAVITER facile abire poterat in NATA PER; cf. I 213 (*toto remanet*), 422 (*tumidi*); II 735 (*te iustum*), 890 (*credere genti*), 915 (*mutantem*), 932 (*sua fatigat*), 899 (*condelo cumnumenque*), 139 (*ubera tam currus* M L[1], *umbrato curru* L[2]); 168 (*exterminantur* M L[1]); 196 (*sursum oris*); 313 (*adiri mentibus*) cet.

Notum est, quantam vim astrologi tribuerint „trigonis". Sunt enim triangula, quae tribus signis zodiaci, quaterna signa vel 120 partes inter se distantibus, formentur. Idcirco lineae trianguli ita in circulo sive orbe signifero ducendae sunt, ut quis incipiat ab initio signi cuiuspiam et desinat in finem quarti subeuntis, velut si quis triangulum Arietis conficere studet, ei incipiendum est a prima parte Arietis et linea perducenda usque ad extremam partem Cancri (signi quarti) sive ad primam partem Leonis [2]) (signi quinti). Ita linea ducta fit chorda subiecta

1) Ita Monacensis, reliqui codd.: *suam*.
2) Est autem triangulum Arietis (I) Leonis (V) Sagittarii (IX).

arcui 120° partium. Hoc iterum atque iterum Manilius lectores suos monet. Nam si quis lineam illam a prima parte Arietis perducit ad extremam partem Leonis, existit quidem triangulum, sed non est laterum aequalium, ut unusquisque intellegit, aut circulum transgreditur. Itaque apud Man. II 316—317 non legendum est:

transibit numerus formam finesque sequentis
consumet ductus (= lineae),

sed: *transibit numerus normam* cet., nam nimius ille numerus partium non formam trianguli transibit, sed unum latus longius efficiet, quam ut triangulum sit aequalium laterum. Sequitur etiam apud Manilium:

licet ergo signa trigona
dicantur, partes non servant illa trigonas.

Confunduntur inter se *forma* et *norma* etiam III 497.

Signa, quae adversa dicuntur, h. e. signa, quae sibi opposita sunt, spatio quinum signorum inter se distantia, plerumque inter se inimicitias exercent, sed fieri potest, inquit Manilius, ut eiusdem sint sexus [1]) et „locus vincatur natura" (II 416). Ita Virgo et Pisces, etsi signa adversa sunt, tamen cum ambo ad sexum femininum pertineant, inter se amant et foedus pangunt. Hoc si tenemus, facilis est emendatio in II 410—412:

sed quamquam adversis fulgent contraria signis,
natură tamen interdum sociată feruntur,
et † genera exemplis concordia mutua surgit.

Sic codd.; Bentleius autem coniecit: *et generis vinclis*, Iacobus: *et genera amplexis*, sed quoniam in codd. Manilianis saepius, ut supra vidimus, verba archetypi male a librariis intellecta, in unum coaluerunt, ego versum ita mutare velim:


et genere ex simili concordia mutua surgit.

Optime Garrodius intellexit versum II 740/1:

dodecatemorii quid sit quod dicitur esse
dodecatemorion

1) Signa imparia („oneven") Aries, Gemini cet. masculina sunt, paria autem Taurus, Cancer cet. feminina.

ZODIACUS.



△ ABC triangulum 'iustum', aequilaterale, cuius latera subiecta sunt arcubus 120° partium (Man. II 309).

△ ADC triangulum, cuius latus AD „150 partes implet, ita ut numerus *n*ormam (non *f*ormam) transeat" (Man. II 315—317).

△ ADF triangulum aequilaterale, cuius latera duo orbem transgrediuntur (Man. II 350—351 Garrod).

pendere a versu 738:

haec quoque te ratio ne fallat, perspice paucis,

sed non opus est cum eo versum intercedentem 739:

maior in effectu minor est quod partibus ipsis

transponere post vs. 822. Est enim parenthesis, in qua unum vocabulum (*quod*) depravatum est vel potius in textum irrepsit e versu 740 (*quod dicitur*) et veram lectionem submovit (cf. IV 214 ubi *potius* e versu antecedente in proximum irrepsit inter *leges* et *posuit*). Nempe pro illo *quod* legendum est *in* et locus ita constituendus:

haec quoque te ratio ne fallat, perspice paucis,
(maior in effectu, minor est in partibus ipsis)
dodecatemorii quid sit quod dicitur esse
dodecatemorion.

Postquam Manilius uniuscuiusque signi regionem divisit in partes duodecim (*dodecatemoria*) et singulas partes duodecimas singulis tribuit signis, ita ut exempli gratia Aries in suo signo non amplius regat quam unam partem duodecimam, reliquae autem sub ceteris sint undecim signis, transit ad alteram partitionem, quam designat per „*dodecatemorii dodecatemorion*", etsi singula dodecatemoria non in duodecim, sed in quinque partes [1] ab eo dividuntur (vs. 741—742). Sed hoc non premendum est. Nihil enim aliud poeta per illud *dodecatemorii dodecatemorion* significare voluisse videtur nisi: 'partem partis'. Itaque haec altera partitio sive *ratio* recte a poeta dicitur *minor esse in partibus*, nam existent partes sexagesimae signi, sed *maior est in effectu*, nam vires, quas planetae in illis partibus sexagesimis $\left(\frac{30:12}{5}\right)$ exercebunt, gravissimae erunt. Coniectura mea mihi videtur confirmari versu (822), qui paulo post legitur:

effectu minor in specie, sed maior in usu,

ubi eadem oppositio invenitur.

Ad II 892 Scaliger adnotat: „fulmina autem dicit, quae alii fulmenta τὰ ἐρείσματα, ut semper momen dicit pro momento".

1) Idcirco Garrodius proposuit: „*dodecatemorii quota sit quod dicitur esse* | *pars pemptemorion.*"

Requiritur sine dubio hoc loco notio τοῦ ἐρείσματος, sed cum Garrodio nego *fulmina*, quod vocabulum originem ducit a verbo fulgendi, posse dici pro *fulmentis*, quod cum verbo fulciendi cohaeret. Quare cum eodem Garrodio in vs. 892 pro *fulmina* restituendum est *fulcimina*, sed participium antecedens *contingens* nolim cum eo mutare in *cingens* sed potius in *tangens*, quoniam regio illa caeli „deiecta sub orbe imaque" non cingit, sed tangit fundamenta mundi. Postquam pro *fulcimina* in textum irrepsit *fulmina*, facile librarius, qui metro auxilio venire studebat, pro verbo simplici compositum scribere poterat. Itaque legendum:

imaque submersi tangens fulcimina mundi.

Paulo post (II 897—898) Manilius queritur se non posse vocabulum Graecum 'δαιμονίη' Latine reddere. Nimirum hoc significare vult se nescire nomen Latinum, quod in metrum dactylicum quadret. Quare versus ita legendos puto:

daemonien memorant Grai, Romana per ora
quaeritur in versum titulus,

nam ablativus *in versu* h. l. sensu caret.

Ab astrologis caelum dividitur in templa duodecim, e quibus unum, ubi „nascentia sidera recursus incipiunt", appellatur Horoscopus. In eo templo etiam stellae Mercurii sedes tributa est (II 943—945):

haec tua templa ferunt Maia, Cyllenie, nate,
[*o facies signata nota* [1]), *quod nomen et ipsi*
auctores tibi dant artis, quae duxit [2]) *Olympum*].

Ad hunc locum Bentleius adnotat: „hi duo versus spurii sunt et prorsus inexplicabiles. Quae enim *facies*? quae *nota*? quod *nomen*? Caute igitur Scaliger et Huetius silentio rem dissimulabant." Concedo versus esse spurios, sed non sunt me quidem iudice inexplicabiles. Interpolator enim putabat nomen horoscopi non modo parti primae vel orientali caeli esse datum ab astrologis, sed etiam ipsi Mercurio, qui in ea habitabat,

1) Garrodius: *et facies, si gnata notas.*
2) Garrodius: *vicit.*

quod indicavit verbis: *quod nomen auctores artis, quae ducit Olympum* [1]), *et ipsi tibi dant*, sc. *ὡροσκόπος*, sed nomen deinde enodare studens in gravem errorem lapsus est. Intellexit sane illud 'scopus' vim habere notandi, quemadmodum etiam Augustinus (civ. dei V 2) dixit: 'horae *notatio*, quem horoscopum vocant', sed cum medio aevo saepius scriberetur 'oroscopus' [2]) (C. G. L. IV 266, 1; 372, 49; V 471, 65), priorem partem vocabuli stultissime rettulit ad vocem Latinam, quae est *os oris*, ita ut monstrosa exsisteret verborum coniunctio, quam Latine vertit per illa: *facies signata nota*, h. e. Mercuri stella, cuius os signatum est nota nativitatis.

---

1) Auctores illi astrologi sunt, qui artem exercent, quae etiam dux caeli est.
2) Bis explicatur: 'circulus (*ὅρος*?) signorum'!

AD EURIPIDIS HERC. VS. 1288.

Vitio dudum agnito laborant verba, quae Herculi suo tribuit Euripides: „vitam exantlare quomodo posthac potero tandem! Quo abeundum, ubi degendum erit? Argisne? An alibi inter gentem peregrinam?

κᾆπειθ' ὑποβλεπώμεθ' ὡς ἐγνωσμένοι,
γλώσσης πικροῖς κέντροισι κληδουχούμενοι·
„οὐχ οὗτος ὁ Διός, ὃς τέκν' ἔκτεινέν ποτε
δάμαρτά τε;"

Aut egregie fallor aut verborum corruptorum — nam nihil est *γλώσσης κέντροις κληδουχεῖσθαι* — emendationem praebet versus vicinus 1318, ubi Theseus „inter superos" ait „sunt qui *δέσμοισι ... πατέρας ἐκηλίδωσαν*". Est igitur *κηλιδοῦν* *foedare, contingere,* nostro autem loco scribamus:

γλώσσης πικροῖς κέντροισι κηλιδούμενοι,

linguae malignae verberibus contacti sive *vulnerati*.

Apud Sophoclem vox *κηλίς* similem vim habet El. 446, ubi Agamemnonis trucidati vulnera significat, et O. R. 1384 O. C. 1134, ubi piaculum quo se obstrinxit Oedipus.

Abiit ΚΗΛΙΔ- in ΚΛΗΙΔ-, dein *κληιδουμενοι* in *κληιδου⟨χου⟩μενοι*.

V. L.

AD LUCRETIUM V 200 SQQ.

("avida pars").

SCRIPSIT

J. W. BECK.

Principio quantum caeli tegit impetus ingens,
inde *avidam partem* montes silvaeque ferarum
possedere, tenet rupes vastaeque paludes
et mare, ...

Quamquam non mirandum est adiectivum 'avidam' philologis, Lachmanno ante omnes, non placuisse, ut iamdudum hoc loco expulsum esse videretur [1]), tamen satis multae sunt causae, cur iniuria damnatum ad locum suum revocare debeamus.

'Avidus' plerumque sensu activo usurpatur, quod etiam docet usus Lucretianus:

VI 1236 avidi contagia morbi, I 1031 avidum mare, II 1066 avido complexu quem tenet aether, V 470 (aether) omnia sic avido complexu cetera saepsit.

Satis constat eos qui 'avidam' in 'avidei' vel 'avide' mutare voluerunt, in hac significatione activa acquievisse, de vi ac potestate verborum eorumque incremento minus curasse.

Qui 'avidam partem' defendere cupient, duas vias possunt inire.

1. Adiect. 'avida' more illo poetico per enallagen quandam ad 'montes' pertinet, quod Munro coniectura sua facilius quam rectius perpetravit. Exempla nobis praebent, ut pauca saltem

1) Lachmann: *aliquam*, Munro *avidei*, Bernays (et Brieger) et Thes. L.L. *avide*.

adiungam, Verg. Aen. XII 909 avidos extendere cursus (proprie is qui somniat 'avidus' est), Prop. I 3, 39 ebria cum traherem vestigia (ebrius cum ....), I 20, 11 nympharum .... cupidas defende rapinas (nympharum cupidarum scil. Hylae).

2. Res ad semasiologiae leges exigenda est. 'Avidus' etiam significare potest 'qui aliquem avidum reddit' (wie begeerig doet zijn, maakt, velut 'felix', 'faustus') [1]) et sic etiam 'qui avetur' (cf. nostrum 'begeerlijk', quo vocabulo et activo et passivo sensu utimur, ut Latina gens 'caecus', 'surdus', cet.). Eodem fere modo res se habet in voce 'cupidus': a) carmen epig. (Buechleri edit.) 433 vs. 3:

> quae nuper flebat vicinum amplexa sepulcrum
> post thalami infausti taedas *cupidosque hymenaeos*
> intra quinque tori menses viduata marito.

b) Val. Maximus 3, 7, 5 *cupidam* .... *profectionem* .... exprobrantes. Itaque 'avidus' sine dubio passiva significatione intellegendum est his locis, qui in Th. L. L. sedem suam non habent: Amm. Marc. XXI 12, 17: attenuatis enim *avidioribus* bibendi *subsidiis*, hi quos temeritas clauserat contenti putealibus aquis parce vixerunt; Marius Victor (qui Lucretii opus noverat) Aleth. III 457 sqq.: gazasque, *avido* quae *pondere* victos | victoresque gravant.

Quocunque modo hoc loco Lucretii 'avidam' vertere aliquis velit sive per enallagen (= avidi possederunt) sive transitive (qui avidum reddit; qui avetur), mutandi voluntas longe absit locusque in omnia tempora integer maneat.

---

1) Cf. gezonde kost, benauwd vertrek, razende pijn. De eiusmodi rebus fusius H. Paul, Prinzipien der Sprachgeschichte[3] § 103 p. 142, ubi similia dicta linguarum novarum quae 'avidam partem' proprietate sua multum superant, enumerantur.

AD PLUTARCHI MORALIA
ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 110.)

Αἴτια Ῥωμαϊκά
Αἴτια Ἑλληνικά
Συναγωγὴ ἱστοριῶν παραλλήλων Ἑλληνικῶν καὶ Ῥωμαϊκῶν.

Una hi libri considerandi sunt non quod deinceps legantur in editionibus sed ut appareat quid distent aera lupinis. Et de duorum priorum titulo primum videamus. Ineptissime is in codicibus a verbis κεφαλαίων καταγραφή incipit, quem non libri sed *indicis* titulum esse iam perspexit Wyttenbachius. Ista ergo

Κεφαλαίων καταγραφή
Ῥωμαϊκά

et

Κεφαλαίων καταγραφή
Ἑλληνικά

reddamus librariis et ipsum Plutarchum sequamur. Nam quae apud illum etiamnunc est diversitas, ea, ut opinor, nullo negotio tollitur. Quae enim vulgo *Quaestiones Romanae* dicuntur, ad eas bis *Vitarum* suarum lectores relegat, Rom. c. 15 ubi omnes codices ἐν τοῖς Αἰτίοις exhibent, et Cam. 19 ubi legi solet ἐν τῷ περὶ Αἰτιῶν Ῥωμαϊκῶν. Equidem quin illud τοῖς Αἰτίοις, neutrius generis, unice verum sit non dubito; nolim ergo cum Coraë ἐν ταῖς Αἰτίαις legere, sed altero loco, accentu tantummodo mutato ἐν τῷ περὶ Αἰτίων Ῥωμαϊκῶν reponam, quae certe

ardentis sine fine rogos, cum mundus et ipsa
895 *aegrotet natura novum sortita sepulcrum.*

Ad vs. 895 adnotat Housmanus: „*novum* quorsum pertineat, non intellego; vix enim sic significari potest hanc mundi naturaeque sepulcri sortitionem rem novam esse atque insolitam; *suum* Iacobus; fortasse *unum*". Quod ad adiectivum *novum* attinet, Housmano adstipulor, sed neque eius neque Iacobi coniecturam probo. Cum enim in optimo codice Matritensi pro *novum* traditum sit *omnium*, hoc multo facilius potest natum esse ex genetivo *hominum*, atque haec ipsa oppositio requiritur:

cum mundus et ipsa
aegrotet natura, hominum sortita sepulcrum,

quippe cometae non modo hominibus, sed ipsi naturae mortem et perniciem ferunt.

II. Ad librum secundum.

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζαν Ὁμήρου.

Idem atque hoc versu expressum est, Manilius suo more eloqui conatur II 7—8:

ore sacro cecinit (sc. Homerus bellum Troicum); †*patria quae iura petentem*
dum dabat eripuit [1]), *cuiusque ex ore profusos*
omnis posteritas cet.

In verbis corruptis mihi videtur propter sequens illud *cuiusque*, quod sine dubio ad Homerum referendum est, etiam pro *quae* legendum esse: *qui*. Deinde recepta Gronovii coniectura verba sic emendanda sunt:

patriae qui iura petenti
dum dabat eripuit,

h. e. si qua urbs Homerum sibi civem poscebat (= si *patria iura* sua *petebat*), ille hanc appellando patriam alii urbi ex septem illis honorem originis eripiebat.

---

1) Breiter partim cum Gronovio: *patriae* (genet.) *cui* (Homero) *iura petenti* | *dum dabat* (sc. posteritas) *eripuit*, sed Homerus non petit *patriae iura* a septem illis civitatibus, sed civitates Homerum sibi vindicant.

Nullum argumentum, inquit Manilius, non tractatum est a poetis, qui ante me fuerunt II 43—45:

ecce alius pictas volucres ac bella ferarum,
ille venenatos anguis, hic nata per herbas
fata refert vitamque sua [1]) *radice ferentis.*

Nemo adhuc satis expedivit verba illa *nata per*. Possumus sane sententiam ita construere: „hic refert fata vitamque, quae nata sunt per herbas, quae sua radice fata vitamque ferunt', sed quis umquam sic locutus est? Bentleius edidit: *hic gramina et herbas*, ingeniose quidem, sed nimis audacter; Breiterus *hic prata per herbas*, non attendens illud *prata per* paulo post (vs. 53) eodem loco versus inveniri; Garrodius autem proponit: *damna per*, sed eum fugit poetam non modo agere de noxiis herbis, sed etiam de salubribus. Mihi in mentem venit:

hic naviter herbas
fata refert vitamque sua radice ferentis.

Adverbium *naviter* Manilius sumpsisse videtur ex carmine, quod etiam alibi imitatur: Lucr. de r. n. I 525. Accedit quod saepe in codd. Manilianis (L M G) verba a librariis male divisa sunt, cum archetypus, quo utebantur, litteris maiusculis exaratus esset. Quapropter NAVITER facile abire poterat in NATA PER; cf. I 213 (*toto remanet*), 422 (*tumidi*); II 735 (*te iustum*), 890 (*credere genti*), 915 (*mutantem*), 932 (*sua fatigat*), 899 (*condelo cumnumenque*), 139 (*ubera tam currus* M L[1], *umbrato curru* L[2]); 168 (*exterminantur* M L[1]); 196 (*sursum oris*); 313 (*adiri mentibus*) cet.

Notum est, quantam vim astrologi tribuerint „trigonis". Sunt enim triangula, quae tribus signis zodiaci, quaterna signa vel 120 partes inter se distantibus, formentur. Idcirco lineae trianguli ita in circulo sive orbe signifero ducendae sunt, ut quis incipiat ab initio signi cuiuspiam et desinat in finem quarti subeuntis, velut si quis triangulum Arietis conficere studet, ei incipiendum est a prima parte Arietis et linea perducenda usque ad extremam partem Cancri (signi quarti) sive ad primam partem Leonis [2]) (signi quinti). Ita linea ducta fit chorda subiecta

---

1) Ita Monacensis, reliqui codd.: *suam*.
2) Est autem triangulum Arietis (I) Leonis (V) Sagittarii (IX).

arcui 120° partium. Hoc iterum atque iterum Manilius lectores suos monet. Nam si quis lineam illam a prima parte Arietis perducit ad extremam partem Leonis, existit quidem triangulum, sed non est laterum aequalium, ut unusquisque intellegit, aut circulum transgreditur. Itaque apud Man. II 316—317 non legendum est:

transibit numerus formam finesque sequentis
consumet ductus (= lineae),

sed: *transibit numerus normam* cet., nam nimius ille numerus partium non formam trianguli transibit, sed unum latus longius efficiet, quam ut triangulum sit aequalium laterum. Sequitur etiam apud Manilium:

licet ergo signa trigona
dicantur, partes non servant illa trigonas.

Confunduntur inter se *forma* et *norma* etiam III 497.

Signa, quae adversa dicuntur, h. e. signa, quae sibi opposita sunt, spatio quinum signorum inter se distantia, plerumque inter se inimicitias exercent, sed fieri potest, inquit Manilius, ut eiusdem sint sexus [1]) et „locus vincatur natura" (II 416). Ita Virgo et Pisces, etsi signa adversa sunt, tamen cum ambo ad sexum femininum pertineant, inter se amant et foedus pangunt. Hoc si tenemus, facilis est emendatio in II 410—412:

sed quamquam adversis fulgent contraria signis,
naturā tamen interdum sociată feruntur,
et † genera exemplis concordia mutua surgit.

Sic codd.; Bentleius autem coniecit: *et generis vinclis*, Iacobus: *et genera amplexis*, sed quoniam in codd. Manilianis saepius, ut supra vidimus, verba archetypi male a librariis intellecta, in unum coaluerunt, ego versum ita mutare velim:

et genere ex simili concordia mutua surgit.


Optime Garrodius intellexit versum II 740/1:

dodecatemorii quid sit quod dicitur esse
dodecatemorion

---

1) Signa imparia („oneven") Aries, Gemini cet. masculina sunt, paria autem Taurus, Cancer cet. feminina.

ZODIACUS.



△ ABC triangulum 'iustum', aequilaterale, cuius latera subiecta sunt arcubus 120° partium (Man. II 309).

△ ADC triangulum, cuius latus AD „150 partes implet, ita ut numerus *n*ormam (non *f*ormam) transeat" (Man. II 315—317).

△ ADF triangulum aequilaterale, cuius latera duo orbem transgrediuntur (Man. II 350—351 Garrod).

pendere a versu 738:

haec quoque te ratio ne fallat, perspice paucis,

sed non opus est cum eo versum intercedentem 739:

maior in effectu minor est quod partibus ipsis

transponere post vs. 822. Est enim parenthesis, in qua unum vocabulum (*quod*) depravatum est vel potius in textum irrepsit e versu 740 (*quod dicitur*) et veram lectionem submovit (cf. IV 214 ubi *potius* e versu antecedente in proximum irrepsit inter *leges* et *posuit*). Nempe pro illo *quod* legendum est *in* et locus ita constituendus:

haec quoque te ratio ne fallat, perspice paucis,
(maior in effectu, minor est in partibus ipsis)
dodecatemorii quid sit quod dicitur esse
dodecatemorion.

Postquam Manilius uniuscuiusque signi regionem divisit in partes duodecim (*dodecatemoria*) et singulas partes duodecimas singulis tribuit signis, ita ut exempli gratia Aries in suo signo non amplius regat quam unam partem duodecimam, reliquae autem sub ceteris sint undecim signis, transit ad alteram partitionem, quam designat per „*dodecatemorii dodecatemorion*", etsi singula dodecatemoria non in duodecim, sed in quinque partes [1]) ab eo dividuntur (vs. 741—742). Sed hoc non premendum est. Nihil enim aliud poeta per illud *dodecatemorii dodecatemorion* significare voluisse videtur nisi: 'partem partis'. Itaque haec altera partitio sive *ratio* recte a poeta dicitur *minor esse in partibus,* nam existent partes sexagesimae signi, sed *maior est in effectu,* nam vires, quas planetae in illis partibus sexagesimis $\left(\frac{30:12}{5}\right)$ exercebunt, gravissimae erunt. Coniectura mea mihi videtur confirmari versu (822), qui paulo post legitur:

effectu minor in specie, sed maior in usu,

ubi eadem oppositio invenitur.

Ad II 892 Scaliger adnotat: „fulmina autem dicit, quae alii fulmenta τὰ ἐρείσματα, ut semper momen dicit pro momento".

---

1) Idcirco Garrodius proposuit: „*dodecatemorii quota sit quod dicitur esse | pars pemptemorion.*"

Requiritur sine dubio hoc loco notio τοῦ ἐρείσματος, sed cum Garrodio nego *fulmina*, quod vocabulum originem ducit a verbo fulgendi, posse dici pro *fulmentis*, quod cum verbo fulciendi cohaeret. Quare cum eodem Garrodio in vs. 892 pro *fulmina* restituendum est *fulcimina*, sed participium antecedens *contingens* nolim cum eo mutare in *cingens* sed potius in *tangens*, quoniam regio illa caeli „deiecta sub orbe imaque" non cingit, sed tangit fundamenta mundi. Postquam pro *fulcimina* in textum irrepsit *fulmina*, facile librarius, qui metro auxilio venire studebat, pro verbo simplici compositum scribere poterat. Itaque legendum:

imaque submersi tangens fulcimina mundi.

Paulo post (II 897—898) Manilius queritur se non posse vocabulum Graecum 'δαιμονίη' Latine reddere. Nimirum hoc significare vult se nescire nomen Latinum, quod in metrum dactylicum quadret. Quare versus ita legendos puto:

daemonien memorant Grai, Romana per ora
quaeritur in versum titulus,

nam ablativus *in versu* h. l. sensu caret.

Ab astrologis caelum dividitur in templa duodecim, e quibus unum, ubi „nascentia sidera recursus incipiunt", appellatur Horoscopus. In eo templo etiam stellae Mercurii sedes tributa est (II 943—945):

haec tua templa ferunt Maia, Cyllenie, nate,
[*o facies signata nota* [1]), *quod nomen et ipsi*
auctores tibi dant artis, quae duxit [2]) *Olympum*].

Ad hunc locum Bentleius adnotat: „hi duo versus spurii sunt et prorsus inexplicabiles. Quae enim *facies*? quae *nota*? quod *nomen*? Caute igitur Scaliger et Huetius silentio rem dissimulabant." Concedo versus esse spurios, sed non sunt me quidem iudice inexplicabiles. Interpolator enim putabat nomen horoscopi non modo parti primae vel orientali caeli esse datum ab astrologis, sed etiam ipsi Mercurio, qui in ea habitabat,

1) Garrodius: *et facies, si gnata notas.*
2) Garrodius: *vicit.*

quod indicavit verbis: *quod nomen auctores artis, quae ducit Olympum* [1]), *et ipsi tibi dant*, sc. *ὡροσκόπος*, sed nomen deinde enodare studens in gravem errorem lapsus est. Intellexit sane illud 'scopus' vim habere n o t a n d i, quemadmodum etiam Augustinus (civ. dei V 2) dixit: 'horae *notatio*, quem horoscopum vocant', sed cum medio aevo saepius scriberetur 'oroscopus' [2]) (C. G. L. IV 266, 1; 372, 49; V 471, 65), priorem partem vocabuli stultissime rettulit ad vocem Latinam, quae est *os oris*, ita ut monstrosa exsisteret verborum coniunctio, quam Latine vertit per illa: *facies signata nota*, h. e. Mercuri stella, cuius os signatum est nota nativitatis.

1) Auctores illi astrologi sunt, qui artem exercent, quae etiam dux caeli est.

2) Bis explicatur: 'circulus (ὅρος?) signorum'!

AD EURIPIDIS HERC. VS. 1288.

Vitio dudum agnito laborant verba, quae Herculi suo tribuit Euripides: „vitam exantlare quomodo posthac potero tandem! Quo abeundum, ubi degendum erit? Argisne? An alibi inter gentem peregrinam?

> *κἄπειθ' ὑποβλεπώμεθ' ὡς ἐγνωσμένοι,*
> *γλώσσης πικροῖς κέντροισι κλῃδουχούμενοι·*
> *„οὐχ οὗτος ὁ Διός, ὃς τέκν' ἔκτεινέν ποτε*
> *δάμαρτά τε;"*

Aut egregie fallor aut verborum corruptorum — nam nihil est *γλώσσης κέντροις κλῃδουχεῖσθαι* — emendationem praebet versus vicinus 1318, ubi Theseus „inter superos" ait „sunt qui *δέσμοισι ... πατέρας ἐκηλίδωσαν*". Est igitur *κηλιδοῦν* *foedare, contingere*, nostro autem loco scribamus:

> *γλώσσης πικροῖς κέντροισι κ η λ ι δ ο ύ μ ε ν ο ι,*

linguae malignae verberibus contacti sive *vulnerati*.

Apud Sophoclem vox *κηλίς* similem vim habet El. 446, ubi Agamemnonis trucidati vulnera significat, et O. R. 1384 O. C. 1134, ubi piaculum quo se obstrinxit Oedipus.

Abiit ΚΗΛΙΔ- in ΚΛΗΙΔ-, dein *κλῃιδουμενοι* in *κλῃιδου⟨χου⟩μενοι*.

V. L.

AD LUCRETIUM V 200 SQQ.

("avida pars").

SCRIPSIT

J. W. BECK.

Principio quantum caeli tegit impetus ingens,
inde *avidam partem* montes silvaeque ferarum
possedere, tenet rupes vastaeque paludes
et mare, ...

Quamquam non mirandum est adiectivum 'avidam' philologis, Lachmanno ante omnes, non placuisse, ut iamdudum hoc loco expulsum esse videretur [1]), tamen satis multae sunt causae, cur iniuria damnatum ad locum suum revocare debeamus.

'Avidus' plerumque sensu activo usurpatur, quod etiam docet usus Lucretianus:

VI 1236 avidi contagia morbi, I 1031 avidum mare, II 1066 avido complexu quem tenet aether, V 470 (aether) omnia sic avido complexu cetera saepsit.

Satis constat eos qui 'avidam' in 'avidei' vel 'avide' mutare voluerunt, in hac significatione activa acquievisse, de vi ac potestate verborum eorumque incremento minus curasse.

Qui 'avidam partem' defendere cupient, duas vias possunt inire.

1. Adiect. 'avida' more illo poetico per enallagen quandam ad 'montes' pertinet, quod Munro coniectura sua facilius quam rectius perpetravit. Exempla nobis praebent, ut pauca saltem

---

1) Lachmann: *aliquam,* Munro *avidei,* Bernays (et Brieger) et Thes. L.L. *avide.*

adiungam, Verg. Aen. XII 909 avidos extendere cursus (proprie is qui somniat 'avidus' est), Prop. I 3, 39 ebria cum traherem vestigia (ebrius cum ....), I 20, 11 nympharum .... cupidas defende rapinas (nympharum cupidarum scil. Hylae).

2. Res ad semasiologiae leges exigenda est. 'Avidus' etiam significare potest 'qui aliquem avidum reddit' (wie begeerig doet zijn, maakt, velut 'felix', 'faustus')[1]) et sic etiam 'qui avetur' (cf. nostrum 'begeerlijk', quo vocabulo et activo et passivo sensu utimur, ut Latina gens 'caecus', 'surdus', cet.). Eodem fere modo res se habet in voce 'cupidus': a) carmen epig. (Buechleri edit.) 433 vs. 3:

> quae nuper flebat vicinum amplexa sepulcrum
> post thalami infausti taedas *cupidosque hymenaeos*
> intra quinque tori menses viduata marito.

b) Val. Maximus 3, 7, 5 *cupidam* .... *profectionem* .... exprobrantes. Itaque 'avidus' sine dubio passiva significatione intellegendum est his locis, qui in Th. L. L. sedem suam non habent: Amm. Marc. XXI 12, 17: attenuatis enim *avidioribus* bibendi *subsidiis*, hi quos temeritas clauserat contenti putealibus aquis parce vixerunt; Marius Victor (qui Lucretii opus noverat) Aleth. III 457 sqq.: gazasque, *avido* quae *pondere* victos | victoresque gravant.

Quocunque modo hoc loco Lucretii 'avidam' vertere aliquis velit sive per enallagen (= avidi possederunt) sive transitive (qui avidum reddit; qui avetur), mutandi voluntas longe absit locusque in omnia tempora integer maneat.

---

1) Cf. gezonde kost, benauwd vertrek, razende pijn. De eiusmodi rebus fusius H. Paul, Prinzipien der Sprachgeschichte[3] § 103 p. 142, ubi similia dicta linguarum novarum quae 'avidam partem' proprietate sua multum superant, enumerantur.

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 110.)

Αἴτια Ῥωμαϊκά
Αἴτια Ἑλληνικά
Συναγωγὴ ἱστοριῶν παραλλήλων Ἑλληνικῶν καὶ Ῥωμαϊκῶν.

Una hi libri considerandi sunt non quod deinceps legantur in editionibus sed ut appareat quid distent aera lupinis. Et de duorum priorum titulo primum videamus. Ineptissime is in codicibus a verbis *κεφαλαίων καταγραφή* incipit, quem non libri sed *indicis* titulum esse iam perspexit Wyttenbachius. Ista ergo

Κεφαλαίων καταγραφή
Ῥωμαϊκά

et

Κεφαλαίων καταγραφή
Ἑλληνικά

reddamus librariis et ipsum Plutarchum sequamur. Nam quae apud illum etiamnunc est diversitas, ea, ut opinor, nullo negotio tollitur. Quae enim vulgo *Quaestiones Romanae* dicuntur, ad eas bis *Vitarum* suarum lectores relegat, Rom. c. 15 ubi omnes codices *ἐν τοῖς Αἰτίοις* exhibent, et Cam. 19 ubi legi solet *ἐν τῷ περὶ Αἰτιῶν Ῥωμαϊκῶν*. Equidem quin illud *τοῖς Αἰτίοις*, neutrius generis, unice verum sit non dubito; nolim ergo cum Coraë *ἐν ταῖς Αἰτίαις* legere, sed altero loco, accentu tantummodo mutato *ἐν τῷ περὶ Αἰτίων Ῥωμαϊκῶν* reponam, quae certe

est lenissima emendatio. Et videtur eiusmodi librorum *Αἴτια* legitimum quodammodo esse nomen, quod quid sibi velit ipsae hae *Quaestiones Romanae* luculenter docent. De his enim primum separatim agendum videtur.

In *Vitis*, non saepe quidem sed tamen bis, *Quaestiones Romanae* citantur. Ergo si, id quod veri simillimum est, usque ad certum quoddam aetatis suae tempus Plutarchus disputationes illas scripsit, quas communi *Moralium* nomine appellare solemus, deinde se ad *Vitas* scribendas contulit — eas autem sat brevi tempore ab eo esse perfectas luce clarius apparet [1] — *Moralia* ante *Vitas* composuit. Quod ita esse quidni lubenter credamus? Quid Vitis illis, quod quidem ad scribendi artem pertinet, perfectius? Egregium hic cernimus artificem qui quae olim sermone incompto plerumque *docuit*, nunc in praeclaris *spectanda* exhibet tabulis. Sed haec hactenus; nam quod quae de *furcifero* leguntur Q. R. 280 E etiam traduntur Coriol. 24, nullum duo hi loci praebent indicium unde uter prius scriptus sit appareat.

Tamen hic quoque libellus, ut plerique eorum qui Moralium comprehenduntur voluminibus, a *seniore* iam Plutarcho scriptus est editusque. Aliquot iam annos post Domitiani mortem praeteriisse diserte, si quid video, hic testatur locus (276 E):

οὐδ' ἀποπέμψασθαι (*τὴν γυναῖκα*) *πρότερον ἐξῆν* (sc. flamini Diali), *οὐδὲ νῦν ὡς ἔοικεν ἔξεστιν, ἀλλ' ἐφ' ἡμῶν ἐπέτρεψεν ἐντευχθεὶς Δομετιανός.*

i. e. memini hoc semel flamini petenti permisisse *priorem imperatorem* Domitianum, nunc quo modo ea res se habeat, *qui diu Romae non fuerim*, pro certo affirmare non possum.

Et scriptus est Chaeronensium ceterorumque *Graecorum* causa:

267 D *διὸ καὶ παρ' ἡμῖν ἐν Χαιρωνείᾳ πρὸ τοῦ σηκοῦ τῆς Λευκοθέας ὁ νεωκόρος λαβὼν μάστιγα κηρύσσει „μὴ δοῦλον εἰσιέναι μὴ δούλαν".*

271 D *καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν ἐν Βοιωτίᾳ κάουσι πρὸ τῆς θύρας τὸν ἄξονα τῆς ἁμάξης* (currus quo vecta est sponsa ad mariti aedes), *ἐμφαίνοντες δεῖν τὴν νύμφην ἐμμένειν ὡς ἀνῃρημένου τοῦ ἀπάξοντος.*

Parum, ut opinor, Romani curarunt Boeoticarum nuptiarum ceremonias, nedum Chaeronensium curarint formulas in recondita

---

1) Sed quamvis sit luce clarius, sub finem huiusce capituli demonstrare conabor etiam.

quadam rei sacrae parte adhiberi solitas. Consentaneum ergo est de Romanis tamquam de hominibus hic agi qui a scriptore lecturisque longe sint remoti:

266 A *διὰ τί παρὰ γαμβροῦ καὶ παρὰ πενθεροῦ λαβεῖν ἐκείνοις κεκώλυται δῶρον;*

276 F *ὅ λέγουσιν ἔνιοι Ῥωμαίων.*

Neque mirum insignia dare scriptorem documenta ... quam sit Romanorum *sermonis* imperitus. Saepe in iis quae de illo tradit ridicule erravit, nescio tamen an in nullo libro saepius apertiusque quam in hisce *Romanis* quaestionibus. Notum est et decantatum illud *„σίνε πάτρις" οἷον ἄνευ πατρός*, neque multo praestat quod legitur 280 A: *τὸ δὲ δεσμεύειν „ἀλλιγᾶρε" λέγουσιν οἱ πολλοὶ Ῥωμαίων, οἱ δὲ καθαρεύοντες ἐν τῷ διαλέγεσθαι „λιγᾶρε".* Quam suaviter risissent Cicero Varroque si quem audivissent docentem elegantius *ligare* quam *alligare* dici! Gravior tamen error quod (269 D) *„κηλᾶρε" τὸ λανθάνειν* dicitur. Hoc vero gravissimum quod nobis p. 281 DEF exhibetur, quodque tamen nusquam, ubi de Plutarchi studiis Latinis ageretur, me legere memini. Totum percurramus locum. Hanc quaestionem proponit:

διὰ τί μικρᾶς Τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο Σέρβιος Τούλλιος ὁ βασιλεὺς ἣν „βρέβεμ" καλοῦσι;

At, o bone, *μικρὰ Τύχη* Latine non *brevis* sed *parva* Fortuna diceretur. Hinc illae lacrimae quae iam sequuntur. Sic enim fere disputat philosophus ut doceat Servium Tullium, cum intellexisset in *omnibus* rebus magnam esse Fortunae vim, multas excogitasse Fortunas, quas variis, iisque nonnumquam satis iocosis, ornavit nominibus. Tum sic disputationem illam claudit:

ὅρα δὴ μὴ καταμαθὼν τὸ παρὰ μικρὸν ἀεὶ τῆς Τύχης μέγα δυνάμενον καὶ ὅτι τῷ γενέσθαι τι μικρὸν ἢ μὴ γενέσθαι τι πολλάκις ὑπῆρξεν ἐνίοις τυχεῖν ἢ διαμαρτεῖν τῶν μεγίστων, μικρᾶς Τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο, προσέχειν διδάσκων τοῖς πράγμασι καὶ μὴ καταφρονεῖν διὰ μικρότητα τῶν ἐντυγχανόντων.

Unde primum apertum vitium est tollendum: dele alterum istud *τι* ut verborum *τῷ γενέσθαι ... τῶν μεγίστων* haec sit sententia: „multis accidit ut maximas res aut obtinerent aut non obtinerent prout parva aliqua aut accidisset aut non accidisset."

Quod est verissimum, nemo tamen ideo ipsam Τύχην appellet *μικράν* quod *τοῖς μικροῖς* sit obnoxia, et ne sic quidem Latinum illud „brevem" explicet illustretve. Nostine de quo numine Romano aliquid fando audiverit Plutarchus, quod hic tam perverse tradat? De *Occasione*, ut opinor, de qua hunc habemus mythum Phaedrianum:

> Cursu volucris, pendens in novacula,
> Calvus, comosa fronte, nudus corpore,
> Quem si occuparis, teneas, elapsum semel
> Non ipse possit Iuppiter reprehendere,
> Occasionem rerum significat brevem.

Cui invito poeta hoc est additum epimythium:

> Effectus impediret ne segnis mora,
> Finxere antiqui talem effigiem Temporis

non minus obsurdum quam antiquus titulus *Tempus*, pro quo dudum reposuerunt editores *Occasio depicta*. Sed in urbe, ubi Fortuna *virilis*, *muliebris*, quin etiam *viscata* colerentur, etiam inter Fortunas receptam esse Occasionem sed mutato nomine *Fortunam brevem* dictam quid mirum?

At sermonem Latinum parum curat Plutarchus. Quid quod ne ipsum quidem argumentum in quo nunc totus esse videtur, ei curae est. Omnis ei sordet doctrina et *ἀκρίβεια* doctorum prae re quam semper et ubique iure maximi fecit: mores hominum emendare studet; dummodo *meliores* fiant, doctiores eos fieri quid refert? Sic fit ut liber hic tam pauca praebeat, quae vitam Romanorum privatam publicamque illustrent, cuius tamen rei causa scriptum eum primo coniicias aspectu. Servavit nobis sat multa Plutarchus quae Fenestella, Nigidius Figulus, aliique, quorum scripta perierunt, antiquarii de Romanorum tradiderunt ritibus, ceremoniisque minus notis, sed quae ipse ad ea explicanda profert, ea vir doctus, qui „Antiquitatibus Romanis" dat operam, suo iure nullius esse pretii declaret. Quemadmodum enim Callimachus — ut uno exemplo totam illam poetarum Alexandrinorum describam *αἰτιολογίαν* — cum sibi hanc posuisset quaestionem: „quid sibi vult in templo Dianae, castissimae deae, malum illud quod Veneri sacrum esse solet?" non hoc egit ut e reconditis doctrinae latebris eius rei originem historiamque erueret, sed satis habuit narratiunculam de Acontio et

Cydippe comminisci, quae illum mali cultum lepide illustraret, sic noster mentium medicus postquam rogavit: „unde illud apud Romanos nomen natum est, cur illi in republica vel re sacra mirum hunc illumve morem sequuntur?", aliaque ex eo genere, non tabularia publica, inscriptiones ceterosque historiae fontes perscrutatur, sed ipse secum solus deliberat possitne rem ita explicare ut utile aliquod inde praeceptum protrahat morale. Hoc illud est cur *Αἴτια* unice verum esse putem nostri libri titulum: multorum et olim et fortasse etiam tunc terebantur manibus *Αἴτια Καλλιμάχου*, his sua quodammodo opposuit *Αἴτια* Plutarchus, quorum ut diversum consilium ita cognatum et simile artificium.

Possum longam enumerare locorum seriem, Plutarchi unde consilium cognoscatur, sed tribus ero contentus exemplis, quae eodem spectant. Omnino quaecunque hoc libro tradit de Romanorum ritibus aliisque eiusdem generis rebus, in iis nihil est quod contemnat vel rideat vel vituperet, sed multa quae ei summa laude digna videantur et admiratione. Prae ceteris vero omnibus ei placuisse non sine causa suspicor Romanorum usu receptas leges quae capitibus 37, 39 et 75 tractantur.

Capite 37 quaeritur cur ex omnibus rebus, quae dis immortalibus sint dedicatae, sola tropaea non licuerit sarcire [1]), sed tempori ea delenda reliquerint Romani. Duo dantur responsa quorum philosopho nostro hoc magis placet: noluisse Romanos ab hominibus restitui ea inimicitiae documenta quae ipsa aetate consumantur. Mirum videtur eum hic non citare notissimum versum:

ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλασσε θνητὸς ὤν.

Capite 39 rogat cur solis militibus — non emeritis, lixis, calonibus — licuerit hostem ferire. Hanc quoque duplici modo solvit quaestionem sed ita ut hanc ei solam veram videri *λύσιν* sentias: sola necessitas ius dat hominis interficiendi, quod qui sine illa facit caedem committit.

Capite 75 cur Romani ignem exstinguere soliti non sint

---

1) *μήτε προσκυνεῖν μήτ' ἐπισκευάζειν.* Illud *προσκυνεῖν* sibi *sanum* videri annotat Graecus editor. Scire pervelim quid ei insanum videatur. Incerta emendatio, sed requiri aliquid quod *τῷ ἐπισκευάζειν* aliquo modo sit cognatum quis non videt?

rogat et respondet: „aut quia iis nefas visum est quidquam sua privare vita aut ut ita assuescant homines rei, qua ipsi iam non utantur, facultatem praebere aliis". Utrum sibi verisimilius videatur non definit, ut opinor quia utroque modo aeque commendari *humanitatem* putat. Nam cum omnino omnes illas quaestiones ita solvit ut legentibus praeceptum aliquod morale tradat, tum praesertim eos sic ad *clementiam*, *mansuetudinem*, quaeque illis sunt cognatae virtutes, adducere studet.

Neque hic omittendum aliquid quod Graecis et praesertim Chaeronensibus suis ad vitam suam emendandam utilissimum philosopho nostro visum est.

Platoni quae causa visa sit cur Athenae interierint novimus omnes: „pro terrestri maritimum earum fecit imperium Themistocles, quique eum sunt secuti duces". Probe hanc novit sententiam Plutarchus, sed parum probat, quemadmodum haec eius docet disputatio (Them. 4): „corruperitne annon Themistocles veram reipublicae rationem, cum nautas pro militibus fecerit Athenienses, diiudicent homines me acutiores [1]); sed tunc Graeciae a mari venisse salutem ipse documentum dedit Xerxes, qui, licet salvae eius essent copiae terrestres, in fugam se dederit cum classem amisisset." Gravior haec ei videtur causa (non tamen gravissima; ea enim in civitatum Graecarum quaerenda est perpetua discordia) quod Graeci palaestrae gymnasioque nimis indulserint. In ea re Romanis adstipulatur qui

τοῖς Ἕλλησιν οἴονται μηδὲν οὕτως αἴτιον δουλείας γεγονέναι καὶ μαλακίας ὡς τὰ γυμνάσια καὶ τὰς παλαίστρας (p. 274 D).

Vidit enim, et in aliis Graeciae civitatibus et in suo oppidulo, nulla re mores hominum corrumpi magis quam si semet ipsos tamquam equos exerceant ut quam robustissimi fiant velocissimique, et omnino si de corpore suo curando nimis sint solliciti. Hoc enim esse illud

propter vitam vivendi perdere causas.

Igitur suos Chaeronenses a vita illa palaestrica, quae praeterea et aliorum vitiorum, impudicitiae avaritiaeque, mater est, abducere, adducere ad Romanam militiam, militandi equitandique,

1) Traditum est: ἔστω φιλοσοφώτερον ἐπισκοπεῖν, sed legendum esse φιλοσοφωτέρων res ipsa clamat.

conatur. Sic totus ille Quaestionum Romanarum liber, quamvis sit egregius, praeter ea quae ex aliis sunt scriptoribus excerpta, nihil fere *docet* sed plerumque tantummodo

prudenti vitam consilio *monet*.

Quae de singulis locis observem pauca sunt. Admodum enim integer ad nos liber hic pervenit:

p. 272 C *ὅπου γὰρ ἀναισχυντοῦσι γέροντες, ὥς φησιν ὁ Πλάτων, ἐνταῦθ' ἀνάγκη καὶ νέους ἀναισχυντοτάτους εἶναι.*

Quam lepide hic positivus et superlativus eiusdem adiectivi inter se opponerentur non vidit qui istud *καί* addidit: ubi senes sunt *impudentes* ibi iuvenes *impudentissimi*. Nam *praedicatum* esse *ἀναισχυντοτάτους εἶναι*, non simplex *εἶναι* cuius subiectum sit *νέους ἀναισχυντοτάτους*, sed *νέους* esse subiectum, docet verbum *ἀναισχυντοῦσι* in priori membro: *ἀναισχυντότατον εἶναι* est superlativus *τοῦ ἀναισχυντεῖν*.

280 E *διὰ τί τοὺς ἀ π ε γ ν ω σ μ έ ν ο υ ς ἐπὶ κλοπαῖς ἢ δουλικοῖς τισιν ἄλλοις ἁμαρτήμασι „φουρκίφερας" καλοῦσιν.*

Receptam oportuit certissimam Wyttenbachii emendationem *κατεγνωσμένους*. Ea enim fuisse opinor Romanos prudentia ut *condemnatos* ignominia afficerent, non absolutos, id est *insontes*.

284 E Qui dicat diei et noctis tum adesse initium cum centrum solis tangit horizontem, dicat aliquid quod falsum esse ipsi oculi testentur: *συμβήσεται γάρ, ἔτι πολλοῦ φωτὸς ὑπὲρ γῆν ὄντος καὶ τοῦ ἡλίου καταλάμποντος ἡμᾶς, μηδέπω ἡμέραν ὁμολογεῖν ἀλλ' ἔτι νύκτα εἶναι.*

Prius illud *ἔτι* aut deleatur aut in *ἤδη* mutetur. Iam duplex illud *ἔτι* ingratum et ex omnibus apparet de diei *initio* hic agi.

285 B Multis enumeratis causis cur Romani uxores mense Maio ducere soliti non sint, sic disputationem suam *claudit* philosophus: *οὐ γαμοῦσιν οὖν ἐν τῷ Μαΐῳ.*

Claudit aio, ergo legatur *οὐ γαμοῦσι δ' οὖν ε. τ. Μ.*: quocunque modo ea res se habet, mense Maio uxores non ducunt.

287 E Videtur huius libri librarius quid interesset inter *γιγνώσκειν, καταγιγνώσκειν, ἀπογιγνώσκειν* et *ψηφίζεσθαι, ἀποψη-*

ζεσθαι parum intellexisse. Postquam enim auguri ideo abrogare sacerdotium fas non fuisse dictum est quod auguratus non honor esset sed ars, sic nunc pergitur:

ὅμοιον οὖν τῷ τὸν μουσικὸν ἀποψηΦίσασθαι μουσικὸν μὴ εἶναι καὶ τὸν ἰατρὸν ἰατρῶν τὸ κωλύειν μάντιν εἶναι τὸν μάντιν.

Legatur *ψηΦίσασθαι*, non enim *absolvendi* sed *decernendi* verbo opus hic est.

Egregius hic est *Quaestionum Romanarum* liber, egregius et plane Plutarcheus: quaecunque enim in eo *λύσεις* proponuntur eae omnes *moribus* aequalium emendandis inserviunt. Quanto ab eo discrepat ille cui *Graecarum* est nomen quaestionum! Multo etiam magis nobis Alexandrinorum in mentem vocat poesin aetiologicam: totus ex illa profectus schola videtur; res continet quam maxime reconditas ex ignotis collectas poetis. Quid sibi eo conflando proposuerit scriptor exputare, immo vero fingere, vix possum. An artem poeticam *docentium* causa est compositus, quemadmodum multo antea Cornelii Galli causa Parthenius sua collegit *παθήματα ἐρωτικά*, excerpta e poetis, unde elegias Romanas faceret discipulus? Sed Plutarchi esse illa *αἴτια Ἑλληνικά* vehementer dubito et dubitasse etiam videtur Wyttenbachio. Nihil hic invenitur quo ulla alatur sustenteturve *virtus*, nisi illud *fortasse* quod p. 303 D legitur: ad nomen *τὴν Δεξικρέοντος Ἀφροδίτην* explicandum et alias fingit scriptor — atque adeo e poetis suis refert — narratiunculas et hanc: „Dexicreon mercator Cyprum navigaturus, cum navem suam oneraret, a Venere iussus (in somnio, ut opinor) nihil praeter aquam secum ferre, paruit et aqua totam implevit navem; deficientibus autem ventis tam diu in tranquillo mari detinebatur illa ut omnes qui ea vehebantur siti laborare inciperent; tum Dexicreon sua aqua ingentem fecit quaestum, unde deae simulacrum faciendum curavit, eamque de suo appellavit nomine." Adiicitque hanc disputationem: „hoc si verum est, apparet deam non unum hominem locupletare voluisse, sed multos per unum servare". Sic aut admonentur legentes ut fidem habere somniis prodigiisque ne dedignentur, aut falsa liberantur opinione divitias a diis tamquam magnum aliquod bonum dari piis hominibus. Sed praeterea totus liber mera est doctrinae ostentatio, eiusque quam

maxime abstrusae reconditaeque, Chaeronensi mentium medico prorsus indigna.

Duo tamen ex eo vitia eluere velim, utrumque ad versiculos pertinet citatos.

p. 295 E ex Aristotele citatur oraculum:

πῖν' οἶνον τρυγίαν, ἐπεὶ οὐκ Ἀνθηδόνα ναίεις
οὐδ' ἱερὰν Ὑπέραν, ὅθι γ' ἄτρυγον οἶνον ἔπινες.

Legatur *ὅθι κ' — ἔπινες* ut existat *sententia conditionalis*. Totum enim oraculum est huiusmodi: „contentus esto tuae patriae vino; bonum postulare vinum posses si Anthedone vel Hyperae habitares".

p. 299 B. Haec scilicet cantilena refertur qua mulieres Eleenses Bacchum invocare sint solitae: *ἐλθεῖν, ἥρω Διόνυσε, Ἀλείων ἐς ναὸν ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσιν ἐς ναὸν τῷ βοέῳ ποδὶ θύων*. Sic restituantur versiculi:

ἔλθ' ἥρω Διόνυσε [1])
Ἀλείων ἐπὶ ναὸν   ἐς ναόν
ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσι
τῷ βοέῳ ποδὶ θύων.

Scholion versui secundo adscriptum post versum tertium in textum receptum praecipuas dedit turbas.

Hoc vero iam metuendum non est ne unquam quisquam existat tam traditorum tenax tamque ingenio, atque adeo ingenii infirmitate, conservator ut Plutarcho vindicet istam *συναγωγὴν ἱστοριῶν παραλλήλων Ἑλληνικῶν καὶ Ῥωμαικῶν*, qua nunquam quidquam vidi ineptius absurdiusque, nisi forte illum „*De Fluviis*" librum. Difficile hercle est quo mentis morbo insani isti homunciones laboraverint describere; an utrumque idem conflavit? sic altero tanto credibilior tota res fieret.

Iam statim quid suis „Parallelis" voluerit latet. Scripturum se esse declarat de miraculis Romanis ut sic fidem addat Graecis: antiqua enim fieri credibilia magis si etiam postea simile aliquid accidisse demonstratum sit. Sed ita te verbis suis impedit ut vix te extrices. Incipit autem a quatuor hominibus, qui hoc inter se commune habuerunt quod ... omnes manum vel ma-

---

1) An: *ἐλθεῖν ὦ Διόνυσε*?

nus amiserunt. Tum ad finem libri usque semper de uno Graeco homine unoque Romano eandam rem iisdem fere narrat verbis. Atque pleraque omnia aut comminiscitur ipse aut ex aliquo poeta, quam tamen sibi stultitia similem invenire potuit, excerpit. Iam in ipso initio absurdissimum, ut mihi quidem videtur, omnium nobis exhibetur exemplum: legimus enim p. 305 D de Agesilao fratre Themistoclis qui eodem quo Mucius Scaevola facto inclaruit. An etiam absurdius quod paulo post (306 BC) legitur de Misthynio Amblireno qui se in *furculis Caudinis* alterum praebuerit Othryadem? Pro quo nomine, Romano scilicet, quod doctus criticus *Postumium Albinum* coniecit operam et acumen perdidisse videtur. Fere omnia enim quae hic legimus Romanorum nomina tam sunt absurda ut unde nata sint non dispicias.

Sed nihil insanius quam sermo quo nebulo iste utitur. Sic p. 313 E de muliere, quae caedem perpetravit ipsa, cum viris ut id facerent persuadere non posset, haec legimus: *αὐτὴ τῷ μύσει τὰς χεῖρας ἔχρισε*, p. 314 A pulchrum habes participium *καταλείψας* pro *καταλιπών*, statimque postea *βρόχῳ τὸ ζῆν ἀνήρτησε* hoc sensu: „suspendio vitam finivit".

Quod autem coniiciebam eundem et *Parallela* haec et *De Fluviis* scripsisse, omnino mihi incredibile videbatur tam insanos nasci potuisse duos homines etiam multorum saeculorum spatio; sed peculiare aliquid accedit: absurdum istud *ὁ προειρημένος* sensu pronominis, quod est *is*, quod toties nobis in libro *de Fluviis* offertur etiam hic deprehenditur. Paulo longiorem citabo locum, qui nobis ineptiarum praebet acervum (315 D):

ἐν Αἰγεστῇ τῇ πόλει τῆς Σικελίας ἐγένετό τις ὠμὸς τύραννος Αἰμίλιος Κενσωρῖνος. οὗτος τοὺς καινότερα βασανιστήρια κατασκευάσαντας ἐδωροδόκει. εἷς δέ τις Ἀρούντιος Πατέρκουλος δημιουργήσας ἵππον χαλκοῦν τῷ προειρημένῳ δῶρον ἔδωκεν.

Quis praeterea sic isto *προειρημένος* usus sit nescio.

Dicebam Vitarum *unum* esse opus eodem consilio susceptum et ad finem perductum ideoque mihi videri continua serie non ita longo temporis spatio peractum id huiuscemodi est. Saepe in hanc sententiam de *Vitis* suis Plutarchus loquitur (e. c. in praefatione *Timoleontis*, *Demetr.* c. 1, *Dion* c. 21) sed nusquam disertius quam in praefatione libri *de Theseo et Romulo*:

„Quemadmodum" ait „docti geographi quaecunque parum nota habent in tabularum suarum coniiciunt angulos adscribuntque: ultra deserta sunt plena beluarum, vel paludes infinitae, vel Scythicum frigus Oceanique gelu contracti, sic ego nunc, cum in *Vitis parallelis* scribendis ad ultimos pervenerim eius regionis fines, in qua doctrina certa firmiter insistat, de ceteris omnibus haec poteram affirmare: ultra iacet regio miraculorum fabularumque plena, poetae ibi pascuntur, sed nil certi invenias vel credibile. Sed quoniam de Lycurgo et Numa narraveram, haud absurdum mihi videbatur huic Romulum addere eique opponere Theseum".

Venustissima profecto ea est praefatio, sed omnis eius lepor perit nisi nobis ante oculos ponimus Vitarum opus unum in se teres atque rotundum et neque multis neque longis interiectis annorum spatiis perfectum.

DE FORTUNA ROMANORUM.

En librum, quem a *iuvene* Plutarcho scriptum esse inde a Wyttenbachio omnes statuunt viri docti et recte statuunt. Neque quo sit *consilio* scriptus ulla esse potest controversia. Hac enim *oratione* se philosophus noster commendavit omnibus, qui sibi liberisque suis praeceptorem quaerebant, a quo vitae recte instituendae discerent rationem, sed ante ceteros omnes *Romanis*. Vix enim cogitari quidquam potest aptius ad persuadendum illis auditoribus rem sibi esse cum viro simul et sapientissimo et disertissimo ... atque in sua historia versatissimo.

Fragmentum esse, cui ultima pars desit, statim vides. Quae quanta fuerit de ea re a communi virorum doctorum discrepo sententia. *Parvam* enim eam fuisse opinor. Fortunae oratio iam fere ad finem pervenit, quodque vulgo creditur, post eam surrexisse Virtutem, quae eadem verborum ubertate adversariam suam refelleret id mihi parum probatur. Si bene tornata aliqua „peroratione" Fortunae orationem clauserit, nomen suum solvisse Plutarchus videri possit. Qui enim in initio libri inducuntur bellatores strenui lacera sua membra monstrantes clamantesque:

„Fortunaene an Virtutis hoc opus est?" supervacuam reddunt Virtutis orationem amplam elaboratamque. An forte id agitur ut *philosophica* aliqua quaestio ab omni parte accurate consideretur tandemque docta solvatur definitione? Immo vero contentus erit orator si auditoribus persuaserit apte se tractare posse argumentum difficile. Et difficile esse argumentum: „imperii Romani effectrix Fortuna fuit" statim intelligunt omnes, cum vel obiter admoniti sunt Mucii Scaevolae, qui invicta *virtute* dirissimos pertulit cruciatus, Horatii Coclitis qui corpus suum opposuit ingruentibus hostium copiis, Marii praesertim robusti illius militis cui nihil tam *adversum* fuisse dixeris quam ipsam Fortunam.

De *oràtore* hic loquor *auditoribusque.* Etenim mire errem nisi oratio haec sit, eaque Romae habita a Graeco, qui eo venerit ad suas merces ostentandas, id est ad demonstrandum quanta sua sit doctrina, quod in lepido excogitando „paradoxo" acumen, quae copia in defendenda sententia aliqua inaudita.

„Imperium illud Romanorum ingens non sapientia et virtute conditum, certe non illis solis, sed ante illas fortuna" nonne hoc qui primum audiat ad coelum manus tollat? Sed documenta dat idonea orator bene se paratum ad causam accedere: in promptu habet totam historiam Romanam eamque apte dispositam. Quodque identidem inde protrahit aliquid quod severam reformidet trutinam (velut illud est quod Aemilius Scaurus obscurissimo dicitur loco natus, quod victoriam incruentam reportasse Aemilius Paulus, quod una Carthaginiensium clade de Africa actum) talia sibi indulgere potest orator, qui semel benevolos sibi auditores reddiderit, cum praesertim eiusmodi mendaciuncula permagnam habeant persuadendi vim. Et *artem* se oratoriam plane callere quavis ostendit pagina: quotiescunque divagatur ad aliquam rem quae ipsi magnopere placeat quamque placituram audientibus expectet, si eam ad propositum argumentum parum pertinere sentit iam statim sententiola qualis haec est: „fortasse haud alienum fuerit de hac re fusius disputare" nimis morosum refutat iudicem. Longam dederit enumerationem, quam in praesentia requirat nemo (velut quoties quandoque Iani templum clausum fuerit), paucis eam absolvit verbis e quibus appareat necessariam eam fuisse. Nimis diu se

in aliquo substitisse loco intellexerit, „nequis me putet ...” ait et se convertit alio. Et ne unquam languescat auditor, in tempore eum lepido aliquo exhilarat flosculo. Annon lepidissime Romuli Remique lupam sic alii cuivis opponit beluae, suae naturae obtemperanti legibus: „magis quem aleret quam quo aleretur requirebat”? Nonne egregium hoc *ἐνθύμημα*: „publica Pompeium extulit fortuna, privata deiecit”? Cumque ad eum locum poetis rhetoribusque dilectissimum pervenit de Pompeio confugiente ad Aegypti regem illum summi beneficii crudelissime immemorem, paratam habet sententiolam et aptissimam argumento et ad admirationem omnium quibus quaesitissima quaeque maxime placeant excitandam quam maxime idoneam: „sic Pompeio moriendum fuit, sic cadendum ut non cruore eius manus suas commacularet Caesar”. Sed neque nimis longe petita ista sunt artificia, neque ita abundant ut in sophistarum declamationibus. His adnumerari minime noster velit sentitque adesse nunc periculum ne illud fiat. Ergo qua primum potest occasione utitur invehendi in *λόγους, σοφίσματα, στωμυλίας* (318 E), idque ita ut statim sentiant omnes quid ista velit acerbitas. Contra *doctum* se haberi gestit, doctrinaeque ostentat tantum quantum fert oratio etiam ad indoctos habita. Iam statim quam illa *doctum philosophum* decet Xenophontis imitatio, qua Fortunam in scenam producit (p. 317 E): *τῆς δὲ Τύχης ὀξὺ μὲν τὸ κίνημα καὶ θρασὺ τὸ φρόνημα καὶ μεγάλαυχον ἡ ἐλπίς, φθάνουσα δὲ τὴν Ἀρετὴν ἐγγύς ἐστιν* (cf. Xen. Men. II, 1, 23). Tum largam effundit rerum ex historia Romana petitarum copiam, sed ita ut numquam audienti legentive taedium moveat, auctoremque suum non solum illum nominat qui in deliciis est omnibus Romanis paulo cultioribus, Livium aio, sed etiam impense doctum illum Polybium, cuius illi soli evolvere solent paginas qui se totos historicis dederunt disquisitionibus. Profecto non propter quisquilias rhetoricas hic laudari cupit orator sed propter veram solidamque eloquentiam. Narrationibus suis nos detinet: illam iam tum, ut opinor, decantatam de anseribus Capitolium servantibus, nemo tam bene Romanis exhibuit quam Graecus hic. Sed prae ceteris splendent fulgentque sententiae graves illae magnificaeque quibus audientium animos amore implet patriae: potentia, libertas, imperium Romanorum hic

sermone celebrantur late sonante nec tamen nimis fucato. Quodque maiestatis Romanae splendidissimum hoc ipso tempore exstitit monumentum, Capitolium Domitiani, prae quo Lutatii Catuli illud vile erat sacellum [1]), hoc vero praestantissimum oratori praebet totius disputationis ornamentum; omnis enim laus Fortunae, cui tantum debet Roma, tandem in hanc exit perorationem: „nisi Fortuna adfuisset, nos nunc Capitolio careremus Romani imperii templo quam maxime venerando". Etenim cur libri nostri non ita multa desiderari credam et haec causa est, quod Capitolii laus sub finem demum suum sibi locum habet.

Quam quod praestantissimum disputationis ornamentum dixi, verba considerabam magnifica lateque sonnantia. Nam ad inventionem quod attinet, praefero etiam prooemium illud lepidissimum, quo haud facile quidquam venustius excogitatum invenias: „nunc antiquum illud Virtutis et Fortunae certamen ad exitum perducetur, certatur enim de Romae potentia. Nunc ergo finis imponetur vulgaribus de utraque sermonibus: instabilem aiunt esse Fortunam .... quid si illa aeterni illius imperii Romani effectrix exstitit? Et Virtutis praeclarum nomen sed exiguas vires: quid si illa Romam condidit terrarum orbis dominam". Quantum isto prooemio audito silentium fuisse putemus senatorum illorum, iurisconsultorum, oratorum, poetarum, philosophorum, qui convenerant ad Graecum illum audiendum, cui opulentus aliquis Imperatoris amicus suum praebuerat auditorium. Neque dubito quin ad finem usque orator eos detinuerit sententiolis suis acutis, ornamentis splendidis, narrationibus iucundis, enthymemasin lepide tornatis. Nemo, ut opinor, inde abiit quin domum reversus narraret: „en, invenimus cui liberos nostros educandos committamus, quem de rebus gravissimis consulamus, ad quem confugiamus dubii, anxii, afflicti". Et iam statim in initio operam dedit orator ut omnes scirent ubinam terrarum esset quaerendus cum Roma profectus esset. Illud „apud nos Chaeroneae" satis edocet audientes non vitae tabernacula Romae positurum oratorem sed simulatque satis ibi innotuerit rus suum repetiturum ubi tranquillus quietusque saluti hominum prospicere pergat scribendo docendoque.

---

1) Mart.: *et laudant Catuli vilia templa senes.*

Denique totus mihi hic liber in philosophi nostri vita tam insignem tenere locum visus est ut in libro vernacule scripto de Plutarchi vita scriptisque integram eius darem interpretationem [1]). Quam Graece nescientium causa scriptam etiam docti poterunt consulere philologi, qui Belgice scripta legunt. Ceterorum causa de singulis locis haec observo.

316 D *Ἴων μὲν οὖν ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην αὐτῷ γεγραμμένοις Φησὶν ἀνομοιότατον πρᾶγμα τῇ σοφίᾳ τὴν τύχην οὖσαν ὁμοιοτάτων πραγμάτων γίγνεσθαι δημιουργόν.*

Acute Abreschius ista *πρᾶγμα* et *πραγμάτων* delevit. Sed insulsius etiam restat emblema. Quis enim unquam sic locutus est: *δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην*? Solum ultimum vocabulum maneat!

317 C *Νυνὶ δέ μοι δοκῶ τοῦ πρoβλήματος ὥσπερ ἀπὸ σκοπῆς καθορᾶν .... τήν τε Τύχην καὶ τὴν Ἀρετὴν βαδιζούσας.*

Egregie hic Duebnerus *σκοπιῆς* restituit. Pro *τοῦ προβλήματος* B. proponit *πρὸ τοῦ βήματος* vel, id quod equidem non intelligo quid sit, *πρό του βήματος*, atque illud coniungere vult cum sequenti *βαδιζούσας*. Oraculi instar ista lectio. Mihi displicet *πρό*, quod in *ἀπό* mutatum in textum hiatum introducat. Plutarchum eleganti hac structura usum opinor: *ὥσπερ ἀπὸ σκοπιῆς τοῦ βήματος*, qua ut semper ita vel maxime dum hunc scriberet librum delectatum eum esse efficias ex his locis: (321 C) *καθάπερ ἐν κλύδωνι θολερῷ τῇ τῶν προσοίκων ἔχθρᾳ* et (323 E) *ὥσπερ εἰς τόπον ἀμαυρὸν τὸν παλαιὸν χρόνον.*

318 F *καὶ τάχα που τῇ τύχῃ τὴν ἀνδρείαν παρωνόμασεν, ᾗ πλεῖστον εἰς τὸ νικᾶν τύχης μέτεστι.*

H. *παρωνόμασαν* legit ut haec evaderet sententia: (Romani) ei dederunt nomen *fortitudini* similem (*fortuna* a *fortis*). Sed refellit eum quod 322 D legitur: *τὸ τῆς Ἀνδρείας Τύχης ἱερὸν ὑπὸ Μαρκίου Ἄγκου .... ἱδρυθὲν καὶ ὀνομασθέν.* Utrobique Ancus Martius dicendus est *Fortunae Virili* templum struxisse. Et ut *fortis* et *fortitudo*, ita *virilis et virtus* inter se sunt cognata vocabula (intelligenda autem *ἀνδρεία*). Sed pertinacius etiam

1) De Avondzon des Heidendoms, 2e druk I p. 341—356.

obsto quominus post *μέτεστι* cum Bruhnio inseramus locum 9 linearum, quae nunc p. 319 A legitur. Etenim *Virili Fortuna* commemorata *continuo* sequi debet quod de *Fortuna Muliebri* dicitur: *τὸ δὲ τῆς γυναικείας Τύχης κατεσκευάσαντο κτἑ.* [1]).

319 B *περὶ δὲ Γαΐου Καίσαρος ᾐδέσθην ἂν εἰπεῖν, ὡς ὑπ' εὐτυχίας ἤρθη μέγιστος εἰ μὴ τοῦτ' αὐτὸς ἐμαρτύρησε.*

Haec Bruhnius delet, ut opinor quia in proxime praecedentibus de Caesare actum iam sit. Sed vix iis carere possumus, nam apte cum his iungitur sequens narratio *ἐπεὶ γάρ κτἑ.* non cum commemorato Fortunae templo in Caesaris hortis aedificato. Ut tamen scrupulus ille Bruhnio eximatur, pro *δέ* legamus *γάρ* et, ne deinceps duae sententiae eodem claudantur modo, in praecedentibus deleamus verba *ὡς αὐτὸς ἐμαρτύρησε* quibus nullus locus.

Statim sequitur: *ἐπεὶ γὰρ ἀπὸ Βρεντεσίου Πομπήιον διώκων ἀνήρθη* .... Immo vero *ἀνήχθη, vela dedit.*. Cf. C *ἐτόλμησεν εἰς ἀκάτιον μικρὸν ἐμβὰς* .... *ἀναχθῆναι.* Ipsa corruptela verba a Bruhnio damnata vindicat: *ἀνήρθη* enim solito in Plutarchi textu errore natum est e vicino *ἤρθη*.

319 D Augustus deos precatus est ut nepoti suo darent *ἀνδρείαν μὲν* .... *τὴν Σκιπίωνος, εὔνοιαν δὲ τὴν Πομπηίου, τύχην δὲ τὴν ἑαυτοῦ.*

Pro *εὔνοιαν*, quod hinc alienum, fortasse legendum est *εὐλάβειαν.*

320 A Antonium, cum in ludendo semper victus ab Octaviano discederet, et aliis verbis ut desineret monebat amicus divinationis peritus et denique his: *ἐὰν μὴ μακρὰν ᾖς, οἰχήσεται μεταβᾶσα πρὸς αὐτόν* (tua Fortuna).

Immo vero *ἴῃς.*

321 D Navis recens facta aliquantisper requiescere debet *ἕως οἵ τε δεσμοὶ κάτοχοι γένωνται καὶ συνήθειαν οἱ γόμφοι λάβωσιν.*

Pro *συνήθειαν* fortasse recte B *συνάφειαν* coniecit. Non dubitarem, si de *tabulis*, non de *clavis* hic esset sermo.

---

1) Sententiam hic mutavi: in libro vernaculo contrarium legitur.

323 F ἡ δ' εὔροια τῶν πραγμάτων .... οὐ χερσὶν (μόνον) ἀνθρώπων οὐδ' ὁρμαῖς προχωροῦσαν ἡγεμονίαν, θείᾳ δὲ πομπῇ καὶ πνεύματι Τύχης ἐπιταχυνομένην ἐπιδείκνυται.

Inserendum mihi *μόνον* videtur.

324 B οὐδὲ ταχὺ παυσάμενος ὡς ὁ Κολοφωνίων (μέγας δαίμων).

Praeclara est Naberi emendatio *Φωκέων* (Mnem. 1900 p. 131 et 1896 p. 369). Nihil enim de imperio quodam Colophoniorum maritimo innotuit.

324 F Veiis Romani Camillum dictatorem creaverunt: ἵν' οὖν μὴ καιρῷ δοκῇ νόμῳ δὲ λαμβάνειν ὁ ἀνήρ, μηδ' ὡς ἀπεγνωκὼς τὴν πόλιν ὅπλοις ἀρχαιρεσιάζῃ τὰ τοῦ στρατοῦ a senatu in Capitolio incluso probari eum oportebat.

Deleatur *ὅπλοις* quibus nullus hic locus: opponuntur inter se comitia populi (*τὴν πόλιν*) et exercitus.

325 A Nuntius ille Veiis missus Capitolini montis usus saxis eminentibus venit *πρὸς τὸ ἀντιπέρας*.

Egregie Emperius *πρὸς τὸ ἄνω τῆς πέτρας*. Non enim, ut opinor, fluvium tranatat.

325 B Sed hostes vestigiis eius observatis τῆς νυκτὸς τὸ ἐρημότατον διαφυλάξαντες ἀνέβησαν.

Lubenter assentior Graeco editori hic *ἠρεμώτατον* requiri, nam *nox deserta* nihili est. Sed magis etiam alia opus est emendatione. An illi prius per noctem vigilant, deinde, *ubi illa praeteriit*, adscendunt? Immo vero: exspectant donec nox venerit, tum *statim* adscendendi initium faciunt. Lege ergo pro composito simplex *φυλάξαντες*.

326 A Antiqua Romanorum historia latet in tenebris τῷ καὶ τὰ πράγματα διαφθαρῆναι τῶν Ῥωμαίων καὶ συγχυθῆναι τοὺς ὑπ' αὐτῶν ὑπομνηματισμούς.

Ingeniose Abreschius verba *διαφθαρῆναι* et *συγχυθῆναι* inter se transposuit. Simul delendum arbitror *ὑπ' αὐτῶν* quod structuram reddit absurdam.

ib. *ἐγὼ δὲ τίθεμαι καὶ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτήν.*

Verba sensu cassa sanavit editor Graecus *τύχην* ante *τίθεμαι* inserendo. Cf. 319 P *ἐγὼ δὲ καὶ Κλεοπάτραν αὐτὴν τύχην Καίσαρος τίθημι.*

Utrumque, *τίθημι* et *τίθεμαι*, dici videtur in hac locutione. Praetulerim tamen *τίθεμαι*. Cf. notum illud: *οἰωνὸν ἐθέμην καλλίνικα σὰ στέφη.*

DE ALEXANDRI MAGNI FORTUNA AUT VIRTUTE.

Ex eodem sunt genere hi libelli atque ille *de Fortuna Romanorum*. „Sunt ergo" dixerit aliquis morosior „sophisticae disputatiunculae, quales eo tempore permultae habebantur ab utriusque populi declamatoribus, idque ita ut bellum inter se gererent rhetoricum Romani Graecique: hi Romanum imperium Fortunae, illi Virtuti deberi solebant demonstrare; sic Fortuna magnum factum esse Alexandrum Romani contendebant, Virtute Graeci". Lubenter concedo non esse inventum a Plutarcho novum quodpiam literarum genus, sed usum eum sui temporis esse more; addoque ipsum illum temporis morem et ab aliis et a Plutarcho ipso introductum, qui sui temporis pars magna fuerit. Sed non hoc solum est inquirendum in quem literarum historiae loculum liber aliquis sit condendus, multo maioris est momenti intelligere qua ratione argumentum aliquod, quamvis sit decantatum, scriptor, de quo agitur, tractaverit; sic enim ipse qualis fuerit intelligere possumus. Commendare se Romanis Plutarchus studebat; Romam enim venerat ut ingenuis pueris prima „philosophiae" suae traderet elementa, adultos praeceptis suis sustentaret solareturque. Opera ergo ei danda erat ut suae daret facundiae documenta: scire debebant Romani nobiles et opulenti cui magistro pueros suos, cui mentium medico semet ipsos essent commissuri. Atque initium ei erat faciendum ab ea re quae communis est omnium hominum doctorum literatorumque: oratio erat habenda non ad reum defendendum accusandumve vel ad legem suadendam aut dissuadendam. Qui poterat peregrinus et ignotus subito se in medias res et in ipsam populi vitam

iniicere? Sed controversia aliqua erat tractanda, ex illarum nimirum numero quae tunc in usu essent — non opus est doctis doctorum annotationibus id quae nos doceant — declamatio habenda de argumento grato acceptoque omnibus qui non essent in literis hospites, in ficta aliqua causa aut patroni aut accuratoris fungendum partibus. Hoc est quod omnes illi Graeci, qui dicendo docendoque victum quaerunt, inter se habent commune sive philosophos se sive sophistas appellari malunt. Hoc est cur saepe non ita facile dictu sit utri aliquis generi sit adnumerandus [1]), hoc cur qui philosophi nomine se dignos aut esse aut aliquando futuros sperant tam anxie caveant ne auditoribus sophistae esse videantur. Neque unquam quemquam magis ille tenuit metus quam Chaeronensem nostrum. In oratiuncula *de Romanorum fortuna et virtute*, quae prima ei est oblata occasio invehendi in futilia ista sophistarum artificia, lubenter ea utitur (318 E), in hisce declamatiunculis *philosophum* fuisse Alexandrum magnum demonstrare studet, nam non eum revera philosophum esse qui de nugis subtilibus acutas scripserit disputatiunculas, sed qui vitae emendandae dederit operam. Inspice mihi quae leguntur p. 328 A:

περὶ συλλογισμῶν οὐδὲν οὐδὲ περὶ ἀξιωμάτων ἔγραψεν (Alexander), *οὐδ' ἐν Λυκείῳ περίπατον συνέσχεν οὐδ' ἐν Ἀκαδημείᾳ θέσεις εἶπεν· τούτοις γὰρ ὁρίζουσι Φιλοσοφίαν οἱ λόγον αὐτὴν οὐκ ἔργον νομίζοντες.*

Et 332 E:

κἀμοὶ δὴ ταῖς Ἀλεξάνδρου πράξεσιν ἔπεισιν ἐπιφωνεῖν ἀεὶ „Φιλοσόφως·" ἐν τούτῳ γὰρ πάντ' ἔνεστι.

Ex eodem genere hosce esse libellos dicebam atque illam *de Fortuna et Virtute Romanorum*. Aliquid tamen, neque id parvi momenti, interest. Totos consideremus. *Oratiunculas* esse has quoque statim apparet. Secunda enim ab his verbis orditur: „heri commemorare neglleximus", utraque ergo ad eosdem habita est auditores, et nescio an in eodem auditorio. Itaque de priore otiosi secum deliberare illi potuerunt, in crastinum enim diem dilata erat altera. Profecto non sibi quam levissimum

---

1) Vide locum Philostrati de Dione „chrysostomo", et libri mei „de Avondzon" vol. I, p. 334 sq. (2ae ed).

imposuit onus orator; immo ipse facultatem dedit peritis inter auditores de arte oratoria iudicibus secum statuendi quid iam secundum illius artis praecepta sequi debeat; quos si exspectatio fefellit, de oratoris fama actum est [1]). Ergo ut in libro *de Fortuna et Virtute Romanorum,* sic hic quoque ante omnia *facundiae* opus est dare documenta, non tam quid dicat orator quam quo modo dicat quaeritur, magis illi sunt permulcendae aures quam sanandae mentes. Eodem modo se in proximo libello res habuit, sed quemadmodum iam dixi, est quaedam inter hosce et illum, neque ea levis, discrepantia. Oratio *pro Fortuna Romanorum* habet quod admirationem quandam moveat. Licet enim ibi Fortuna non caeca illa dea sit, quae res humanas ludibrio habet, sed potius numen aliquod *divinae providentiae* haud dissimile, tamen a viro, quem praecipue tamquam lenem sed simul et gravem mentium medicum suspicimus veneramurque, hanc defendi sententiam „Fortuna non Virtus Romanum condidit imperium" vix aequo ferimus animo, atque ut tamen aliquo modo explicemus illud potissimum ab eo electum argumentum, huc confugimus ut dicamus eum, cum *artis oratoriae* dare documenta vellet, intellexisse eiusmodi paradoxon uberrimam sibi praebere ingenii ostentandi materiem. At nunc in eo genere iam satis innotuit inclaruitque, ergo nunc id agitur ut quid de rebus gravissimis disertus ille vir sibi habeat persuasum cognoscant homines. Sunt ἐπιδείξεις libelli de Alexandro item ut oratio de Fortuna Romanorum, sed multo minus est eorum fucata et polita oratio, nulla artificia rhetorica, nulli in iis occurrunt flosculi; ab initio ad finem vir maturus prudensque hanc defendit sententiam sapientissimam: et in Alexandri et in uniuscuiusque vere magni viri vita multo maiores esse virtutis quam fortunae partes. Neque *bellicam* hic praesertim spectari virtutem vel maxime hinc apparet quod in clarissima ponuntur luce eae res quibus Alexander pudoris, pudicitiae, integritatis, innocentiae dedit documenta, praecipueque ostenditur illi regi nihil fuisse cordi magis quam veram humanitatem. Darii uxori, captivae factae, adeo

1) Cff. lepidissima haec Plinii in epistola ad Tacitum (I, 20): „suae quisque inventioni favet et quasi fortissimum amplectitur, cum ab alio dictum est quod ipse praevidit. Omnibus ergo dandum est aliquid quod teneant, quod agnoscant".

pepercit ut, veritus ne sibi imperare non posset, non solum propius ad eam accedere non auderet sed etiam se praesente formam eius laudari vetaret; quam adamabat virginem eam iustam uxorem reginamque fecit; populos a se subactos diros suos crudelesque coegit ponere mores; totius orbis terrarum factus est magister, qui moribus hominum emendandis daret operam; denique, si usquam in vita, hic habemus regem illum philosophum quem sibi Plato informavit. Legite mihi pulcherrimum illum locum (329 DEF) de nuptiis Asiae Europaeque Alexandro auspice celebratis, pectus fuisse quod disertum hunc faceret oratorem agnoscetis. Denique licet hic quoque puro venustoque studuerit sermoni Plutarchus, non tirocinia haec sunt quibus audientium captat favorem, sed maturioris iam viri virilis oratio qua virtutem iis moresque puros sincerosque commendat.

Tamen et hic identidem quiddam invenies quod primo aspectu rhetoricum, ne puerile dicam, videri possit, opinor quia prae re gravissima quam tractabat speciem ornatumque neglexit orator. Wyttenbachium id fugisse miror, nam est neque obscurum neque parvi momenti. Iam loquentem induxit ipsum Alexandrum (326 F: οἶμαι δ' ἂν αὐτὸν εἰπεῖν) et tamen ad auctores provocat, Onesicritum, Aristotelem alios, in secunda oratione rarius, in priore frequenter. Absurdum hoc dicerem vitium, nisi in deliciis hunc oratorem haberem.

Ad singulos locos verbaque quae annotem paucissima sunt.

Or. I 326 F. De rebus a se gestis et alia declamat Alexander et haec:

ἐγὼ δ' εἰς Σοῦσα δι' Ἀρβήλων ἀναβέβηκα.

Venuste hoc fere sensu: „Arbela mihi aperuerunt viam quae Susa ducit'', Arbela pro victoria Arbelis reportata. Sed corrupit metaphoram sciolus inserendo νικῶν post Σοῦσα.

327 B τὰ λοιπὰ δ' Ἰνδῶν πληγαὶ καὶ βίαι θυμῶν.

Pro ultimo vocabulo Herw. proposuit θηρίων. Nomen *populi* equidem praetulerim.

„Fortunaene an Virtutis hoc opus est?" supervacuam reddunt Virtutis orationem amplam elaboratamque. An forte id agitur ut *philosophica* aliqua quaestio ab omni parte accurate consideretur tandemque docta solvatur definitione? Immo vero contentus erit orator si auditoribus persuaserit apte se tractare posse argumentum difficile. Et difficile esse argumentum: „imperii Romani effectrix Fortuna fuit" statim intelligunt omnes, cum vel obiter admoniti sunt Mucii Scaevolae, qui invicta *virtute* dirissimos pertulit cruciatus, Horatii Coclitis qui corpus suum opposuit ingruentibus hostium copiis, Marii praesertim robusti illius militis cui nihil tam *adversum* fuisse dixeris quam ipsam Fortunam.

De *oratore* hic loquor *auditoribusque.* Etenim mire errem nisi oratio haec sit, eaque Romae habita a Graeco, qui eo venerit ad suas merces ostentandas, id est ad demonstrandum quanta sua sit doctrina, quod in lepido excogitando „paradoxo" acumen, quae copia in defendenda sententia aliqua inaudita.

„Imperium illud Romanorum ingens non sapientia et virtute conditum, certe non illis solis, sed ante illas fortuna" nonne hoc qui primum audiat ad coelum manus tollat? Sed documenta dat idonea orator bene se paratum ad causam accedere: in promptu habet totam historiam Romanam eamque apte dispositam. Quodque identidem inde protrahit aliquid quod severam reformidet trutinam (velut illud est quod Aemilius Scaurus obscurissimo dicitur loco natus, quod victoriam incruentam reportasse Aemilius Paulus, quod una Carthaginiensium clade de Africa actum) talia sibi indulgere potest orator, qui semel benevolos sibi auditores reddiderit, cum praesertim eiusmodi mendaciuncula permagnam habeant persuadendi vim. Et *artem* se oratoriam plane callere quavis ostendit pagina: quotiescunque divagatur ad aliquam rem quae ipsi magnopere placeat quamque placituram audientibus expectet, si eam ad propositum argumentum parum pertinere sentit iam statim sententiola qualis haec est: „fortasse haud alienum fuerit de hac re fusius disputare" nimis morosum refutat iudicem. Longam dederit enumerationem, quam in praesentia requirat nemo (velut quoties quandoque Iani templum clausum fuerit), paucis eam absolvit verbis e quibus appareat necessariam eam fuisse. Nimis diu se

in aliquo substitisse loco intellexerit, „nequis me putet ...” ait et se convertit alio. Et ne unquam languescat auditor, in tempore eum lepido aliquo exhilarat flosculo. Annon lepidissime Romuli Remique lupam sic alii cuivis opponit beluae, suae naturae obtemperanti legibus: „magis quem aleret quam quo aleretur requirebat”? Nonne egregium hoc *ἐνθύμημα*: „publica Pompeium extulit fortuna, privata deiecit”? Cumque ad eum locum poetis rhetoribusque dilectissimum pervenit de Pompeio confugiente ad Aegypti regem illum summi beneficii crudelissime immemorem, paratam habet sententiolam et aptissimam argumento et ad admirationem omnium quibus quaesitissima quaeque maxime placeant excitandam quam maxime idoneam: „sic Pompeio moriendum fuit, sic cadendum ut non cruore eius manus suas commacularet Caesar”. Sed neque nimis longe petita ista sunt artificia, neque ita abundant ut in sophistarum declamationibus. His adnumerari minime noster velit sentitque adesse nunc periculum ne illud fiat. Ergo qua primum potest occasione utitur invehendi in *λόγους*, *σοφίσματα*, *στωμυλίας* (318 E), idque ita ut statim sentiant omnes quid ista velit acerbitas. Contra *doctum* se haberi gestit, doctrinaeque ostentat tantum quantum fert oratio etiam ad indoctos habita. Iam statim quam illa *doctum philosophum* decet Xenophontis imitatio, qua Fortunam in scenam producit (p. 317 E): *τῆς δὲ Τύχης ὀξὺ μὲν τὸ κίνημα καὶ θρασὺ τὸ φρόνημα καὶ μεγάλαυχον ἡ ἐλπίς, φθάνουσα δὲ τὴν Ἀρετὴν ἐγγύς ἐστιν* (cf. Xen. Men. II, 1, 23). Tum largam effundit rerum ex historia Romana petitarum copiam, sed ita ut numquam audienti legentive taedium moveat, auctoremque suum non solum illum nominat qui in deliciis est omnibus Romanis paulo cultioribus, Livium aio, sed etiam impense doctum illum Polybium, cuius illi soli evolvere solent paginas qui se totos historicis dederunt disquisitionibus. Profecto non propter quisquilias rhetoricas hic laudari cupit orator sed propter veram solidamque eloquentiam. Narrationibus suis nos detinet: illam iam tum, ut opinor, decantatam de anseribus Capitolium servantibus, nemo tam bene Romanis exhibuit quam Graecus hic. Sed prae ceteris splendent fulgentque sententiae graves illae magnificaeque quibus audientium animos amore implet patriae: potentia, libertas, imperium Romanorum hic

sermone celebrantur late sonante nec tamen nimis fucato. Quodque maiestatis Romanae splendidissimum hoc ipso tempore exstitit monumentum, Capitolium Domitiani, prae quo Lutatii Catuli illud vile erat sacellum [1]), hoc vero praestantissimum oratori praebet totius disputationis ornamentum; omnis enim laus Fortunae, cui tantum debet Roma, tandem in hanc exit perorationem: „nisi Fortuna adfuisset, nos nunc Capitolio careremus Romani imperii templo quam maxime venerando". Etenim cur libri nostri non ita multa desiderari credam et haec causa est, quod Capitolii laus sub finem demum suum sibi locum habet.

Quam quod praestantissimum disputationis ornamentum dixi, verba considerabam magnifica lateque sonnantia. Nam ad inventionem quod attinet, praefero etiam prooemium illud lepidissimum, quo haud facile quidquam venustius excogitatum invenias: „nunc antiquum illud Virtutis et Fortunae certamen ad exitum perducetur, certatur enim de Romae potentia. Nunc ergo finis imponetur vulgaribus de utraque sermonibus: instabilem aiunt esse Fortunam .... quid si illa aeterni illius imperii Romani effectrix exstitit? Et Virtutis praeclarum nomen sed exiguas vires: quid si illa Romam condidit terrarum orbis dominam". Quantum isto prooemio audito silentium fuisse putemus senatorum illorum, iurisconsultorum, oratorum, poetarum, philosophorum, qui convenerant ad Graecum illum audiendum, cui opulentus aliquis Imperatoris amicus suum praebuerat auditorium. Neque dubito quin ad finem usque orator eos detinuerit sententiolis suis acutis, ornamentis splendidis, narrationibus iucundis, enthymemasin lepide tornatis. Nemo, ut opinor, inde abiit quin domum reversus narraret: „en, invenimus cui liberos nostros educandos committamus, quem de rebus gravissimis consulamus, ad quem confugiamus dubii, anxii, afflicti". Et iam statim in initio operam dedit orator ut omnes scirent ubinam terrarum esset quaerendus cum Roma profectus esset. Illud „apud nos Chaeroneae" satis edocet audientes non vitae tabernacula Romae positurum oratorem sed simulatque satis ibi innotuerit rus suum repetiturum ubi tranquillus quietusque saluti hominum prospicere pergat scribendo docendoque.

---

1) Mart.: *et laudant Catuli vilia templa senes.*

Denique totus mihi hic liber in philosophi nostri vita tam insignem tenere locum visus est ut in libro vernacule scripto de Plutarchi vita scriptisque integram eius darem interpretationem [1]). Quam Graece nescientium causa scriptam etiam docti poterunt consulere philologi, qui Belgice scripta legunt. Ceterorum causa de singulis locis haec observo.

316 D *Ἴων μὲν οὖν ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην αὐτῷ γεγραμμένοις φησὶν ἀνομοιότατον πρᾶγμα τῇ σοφίᾳ τὴν τύχην οὖσαν ὁμοιοτάτων πραγμάτων γίγνεσθαι δημιουργόν.*

Acute Abreschius ista *πρᾶγμα* et *πραγμάτων* delevit. Sed insulsius etiam restat emblema. Quis enim unquam sic locutus est: *δίχα μέτρου καὶ καταλογάδην*? Solum ultimum vocabulum maneat!

317 C *Νυνὶ δέ μοι δοκῶ τοῦ προβλήματος ὥσπερ ἀπὸ σκοπῆς καθορᾶν .... τήν τε Τύχην καὶ τὴν Ἀρετὴν βαδιζούσας.*

Egregie hic Duebnerus *σκοπιῆς* restituit. Pro *τοῦ προβλήματος* B. proponit *πρὸ τοῦ βήματος* vel, id quod equidem non intelligo quid sit, *πρό του βήματος*, atque illud coniungere vult cum sequenti *βαδιζούσας*. Oraculi instar ista lectio. Mihi displicet *πρό*, quod in *ἀπό* mutatum in textum hiatum introducat. Plutarchum eleganti hac structura usum opinor: *ὥσπερ ἀπὸ σκοπιῆς τοῦ βήματος*, qua ut semper ita vel maxime dum hunc scriberet librum delectatum eum esse efficias ex his locis: (321 C) *καθάπερ ἐν κλύδωνι θολερῷ τῇ τῶν προσοίκων ἔχθρᾳ* et (323 E) *ὥσπερ εἰς τόπον ἀμαυρὸν τὸν παλαιὸν χρόνον.*

318 F *καὶ τάχα που τῇ τύχῃ τὴν ἀνδρείαν παρωνόμασεν, ᾗ πλεῖστον εἰς τὸ νικᾶν τύχης μέτεστι.*

H. *παρωνόμασαν* legit ut haec evaderet sententia: (Romani) ei dederunt nomen *fortitudini* similem (*fortuna* a *fortis*). Sed refellit eum quod 322 D legitur: *τὸ τῆς Ἀνδρείας Τύχης ἱερὸν ὑπὸ Μαρκίου Ἄγκου .... ἱδρυθὲν καὶ ὀνομασθέν.* Utrobique Ancus Martius dicendus est *Fortunae Virili* templum struxisse. Et ut *fortis* et *fortitudo*, ita *virilis et virtus* inter se sunt cognata vocabula (intelligenda autem *ἀνδρεία*). Sed pertinacius etiam

---

1) De Avondzon des Heidendoms, 2e druk I p. 341—356.

obsto quominus post *μέτεστι* cum Bruhnio inseramus locum 9 linearum, quae nunc p. 319 A legitur. Etenim *Virili Fortuna* commemorata *continuo* sequi debet quod de *Fortuna Muliebri* dicitur: *τὸ δὲ τῆς γυναικείας Τύχης κατεσκευάσαντο κτέ.* [1]).

319 B *περὶ δὲ Γαΐου Καίσαρος ἠδέσθην ἂν εἰπεῖν, ὡς ὑπ' εὐτυχίας ἤρθη μέγιστος εἰ μὴ τοῦτ' αὐτὸς ἐμαρτύρησε.*

Haec Bruhnius delet, ut opinor quia in proxime praecedentitibus de Caesare actum iam sit. Sed vix iis carere possumus, nam apte cum his iungitur sequens narratio *ἐπεὶ γάρ κτέ.* non cum commemorato Fortunae templo in Caesaris hortis aedificato. Ut tamen scrupulus ille Bruhnio eximatur, pro *δέ* legamus *γάρ* et, ne deinceps duae sententiae eodem claudantur modo, in praecedentibus deleamus verba *ὡς αὐτὸς ἐμαρτύρησε* quibus nullus locus.

Statim sequitur: *ἐπεὶ γὰρ ἀπὸ Βρεντεσίου Πομπήιον διώκων ἀνήρθη* .... Immo vero *ἀνήχθη*, *vela dedit.*. Cf. C *ἐτόλμησεν εἰς ἀκάτιον μικρὸν ἐμβὰς* .... *ἀναχθῆναι*. Ipsa corruptela verba a Bruhnio damnata vindicat: *ἀνήρθη* enim solito in Plutarchi textu errore natum est e vicino *ἤρθη*.

319 D Augustus deos precatus est ut nepoti suo darent *ἀνδρείαν μὲν* .... *τὴν Σκιπίωνος, εὔνοιαν δὲ τὴν Πομπηίου, τύχην δὲ τὴν ἑαυτοῦ.*

Pro *εὔνοιαν*, quod hinc alienum, fortasse legendum est *εὐλάβειαν*.

320 A Antonium, cum in ludendo semper victus ab Octaviano discederet, et aliis verbis ut desineret monebat amicus divinationis peritus et denique his: *ἐὰν μὴ μακρὰν ᾖς, οἰχήσεται μεταβᾶσα πρὸς αὐτόν* (tua Fortuna).

Immo vero *ἴῃς*.

321 D Navis recens facta aliquantisper requiescere debet *ἕως οἵ τε δεσμοὶ κάτοχοι γένωνται καὶ συνήθειαν οἱ γόμφοι λάβωσιν.*

Pro *συνήθειαν* fortasse recte B *συνάφειαν* coniecit. Non dubitarem, si de *tabulis*, non de *clavis* hic esset sermo.

---

1) Sententiam hic mutavi: in libro vernaculo contrarium legitur.

323 F ἡ δ' εὔροια τῶν πραγμάτων .... οὐ χερσὶν (μόνον) ἀνθρώπων οὐδ' ὁρμαῖς προχωροῦσαν ἡγεμονίαν, θείᾳ δὲ πομπῇ καὶ πνεύματι Τύχης ἐπιταχυνομένην ἐπιδείκνυται.

Inserendum mihi *μόνον* videtur.

324 B οὐδὲ ταχὺ παυσάμενος ὡς ὁ Κολοφωνίων (μέγας δαίμων).

Praeclara est Naberi emendatio Φωκέων (Mnem. 1900 p. 131 et 1896 p. 369). Nihil enim de imperio quodam Colophoniorum maritimo innotuit.

324 F Veiis Romani Camillum dictatorem creaverunt:
ἵν' οὖν μὴ καιρῷ δοκῇ νόμῳ δὲ λαμβάνειν ὁ ἀνήρ, μηδ' ὡς ἀπεγνωκὼς τὴν πόλιν ὅπλοις ἀρχαιρεσιάζῃ τὰ τοῦ στρατοῦ
a senatu in Capitolio incluso probari eum oportebat.

Deleatur ὅπλοις quibus nullus hic locus: opponuntur inter se comitia populi (τὴν πόλιν) et exercitus.

325 A Nuntius ille Veiis missus Capitolini montis usus saxis eminentibus venit πρὸς τὸ ἀντιπέρας.

Egregie Emperius πρὸς τὸ ἄνω τῆς πέτρας. Non enim, ut opinor, fluvium tranatat.

325 B Sed hostes vestigiis eius observatis τῆς νυκτὸς τὸ ἐρημότατον διαφυλάξαντες ἀνέβησαν.

Lubenter assentior Graeco editori hic ἠρεμώτατον requiri, nam *nox deserta* nihili est. Sed magis etiam alia opus est emendatione. An illi prius per noctem vigilant, deinde, *ubi illa praeteriit*, adscendunt? Immo vero: exspectant donec nox venerit, tum *statim* adscendendi initium faciunt. Lege ergo pro composito simplex φυλάξαντες.

326 A Antiqua Romanorum historia latet in tenebris τῷ καὶ τὰ πράγματα διαφθαρῆναι τῶν Ῥωμαίων καὶ συγχυθῆναι τοὺς ὑπ' αὐτῶν ὑπομνηματισμούς.

Ingeniose Abreschius verba διαφθαρῆναι et συγχυθῆναι inter se transposuit. Simul delendum arbitror ὑπ' αὐτῶν quod structuram reddit absurdam.

ib. ἐγὼ δὲ τίθεμαι καὶ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτήν.

Verba sensu cassa sanavit editor Graecus τύχην ante τίθεμαι inserendo. Cf. 319 P ἐγὼ δὲ καὶ Κλεοπάτραν αὐτὴν τύχην Καίσαρος τίθημι.

Utrumque, τίθημι et τίθεμαι, dici videtur in hac locutione. Praetulerim tamen τίθεμαι. Cf. notum illud: οἰωνὸν ἐθέμην καλλίνικα τὰ στέφη.

DE ALEXANDRI MAGNI FORTUNA AUT VIRTUTE.

Ex eodem sunt genere hi libelli atque ille *de Fortuna Romanorum*. „Sunt ergo" dixerit aliquis morosior „sophisticae disputatiunculae, quales eo tempore permultae habebantur ab utriusque populi declamatoribus, idque ita ut bellum inter se gererent rhetoricum Romani Graecique: hi Romanum imperium Fortunae, illi Virtuti deberi solebant demonstrare; sic Fortuna magnum factum esse Alexandrum Romani contendebant, Virtute Graeci". Lubenter concedo non esse inventum a Plutarcho novum quodpiam literarum genus, sed usum eum sui temporis esse more; addoque ipsum illum temporis morem et ab aliis et a Plutarcho ipso introductum, qui sui temporis pars magna fuerit. Sed non hoc solum est inquirendum in quem literarum historiae loculum liber aliquis sit condendus, multo maioris est momenti intelligere qua ratione argumentum aliquod, quamvis sit decantatum, scriptor, de quo agitur, tractaverit; sic enim ipse qualis fuerit intelligere possumus. Commendare se Romanis Plutarchus studebat; Romam enim venerat ut ingenuis pueris prima „philosophiae" suae traderet elementa, adultos praeceptis suis sustentaret solareturque. Opera ergo ei danda erat ut suae daret facundiae documenta: scire debebant Romani nobiles et opulenti cui magistro pueros suos, cui mentium medico semet ipsos essent commissuri. Atque initium ei erat faciendum ab ea re quae communis est omnium hominum doctorum literatorumque: oratio erat habenda non ad reum defendendum accusandumve vel ad legem suadendam aut dissuadendam. Qui poterat peregrinus et ignotus subito se in medias res et in ipsam populi vitam

iniicere? Sed controversia aliqua erat tractanda, ex illarum nimirum numero quae tunc in usu essent — non opus est doctis doctorum annotationibus id quae nos doceant — declamatio habenda de argumento grato acceptoque omnibus qui non essent in literis hospites, in ficta aliqua causa aut patroni aut accuratoris fungendum partibus. Hoc est quod omnes illi Graeci, qui dicendo docendoque victum quaerunt, inter se habent commune sive philosophos se sive sophistas appellari malunt. Hoc est cur saepe non ita facile dictu sit utri aliquis generi sit adnumerandus [1]), hoc cur qui philosophi nomine se dignos aut esse aut aliquando futuros sperant tam anxie caveant ne auditoribus sophistae esse videantur. Neque unquam quemquam magis ille tenuit metus quam Chaeronensem nostrum. In oratiuncula *de Romanorum fortuna et virtute*, quae prima ei est oblata occasio invehendi in futilia ista sophistarum artificia, lubenter ea utitur (318 E), in hisce declamatiunculis *philosophum* fuisse Alexandrum magnum demonstrare studet, nam non eum revera philosophum esse qui de nugis subtilibus acutas scripserit disputatiunculas, sed qui vitae emendandae dederit operam. Inspice mihi quae leguntur p. 328 A:

περὶ συλλογισμῶν οὐδὲν οὐδὲ περὶ ἀξιωμάτων ἔγραψεν (Alexander), *οὐδ' ἐν Λυκείῳ περίπατον συνέσχεν οὐδ' ἐν Ἀκαδημείᾳ θέσεις εἶπεν· τούτοις γὰρ ὁρίζουσι φιλοσοφίαν οἱ λόγον αὐτὴν οὐκ ἔργον νομίζοντες.*

Et 332 E:

κἀμοὶ δὴ ταῖς Ἀλεξάνδρου πράξεσιν ἔπεισιν ἐπιφωνεῖν ἀεὶ „φιλοσόφως·" ἐν τούτῳ γὰρ πάντ' ἔνεστι.

Ex eodem genere hosce esse libellos dicebam atque illam *de Fortuna et Virtute Romanorum.* Aliquid tamen, neque id parvi momenti, interest. Totos consideremus. *Oratiunculas* esse has quoque statim apparet. Secunda enim ab his verbis orditur: „heri commemorare neglеximus", utraque ergo ad eosdem habita est auditores, et nescio an in eodem auditorio. Itaque de priore otiosi secum deliberare illi potuerunt, in crastinum enim diem dilata erat altera. Profecto non sibi quam levissimum

---

1) Vide locum Philostrati de Dione „chrysostomo", et libri mei „de Avondzon" vol. I, p. 334 sq. (2ae ed).

imposuit onus orator; immo ipse facultatem dedit peritis inter auditores de arte oratoria iudicibus secum statuendi quid iam secundum illius artis praecepta sequi debeat; quos si exspectatio fefellit, de oratoris fama actum est [1]). Ergo ut in libro *de Fortuna et Virtute Romanorum*, sic hic quoque ante omnia *facundiae* opus est dare documenta, non tam quid dicat orator quam quo modo dicat quaeritur, magis illi sunt permulcendae aures quam sanandae mentes. Eodem modo se in proximo libello res habuit, sed quemadmodum iam dixi, est quaedam inter hosce et illum, neque ea levis, discrepantia. Oratio *pro Fortuna Romanorum* habet quod admirationem quandam moveat. Licet enim ibi Fortuna non caeca illa dea sit, quae res humanas ludibrio habet, sed potius numen aliquod *divinae providentiae* haud dissimile, tamen a viro, quem praecipue tamquam lenem sed simul et gravem mentium medicum suspicimus veneramurque, hanc defendi sententiam „Fortuna non Virtus Romanum condidit imperium" vix aequo ferimus animo, atque ut tamen aliquo modo explicemus illud potissimum ab eo electum argumentum, huc confugimus ut dicamus eum, cum *artis oratoriae* dare documenta vellet, intellexisse eiusmodi paradoxon uberrimam sibi praebere ingenii ostentandi materiem. At nunc in eo genere iam satis innotuit inclaruitque, ergo nunc id agitur ut quid de rebus gravissimis disertus ille vir sibi habeat persuasum cognoscant homines. Sunt ἐπιδείξεις libelli de Alexandro item ut oratio de Fortuna Romanorum, sed multo minus est eorum fucata et polita oratio, nulla artificia rhetorica, nulli in iis occurrunt flosculi; ab initio ad finem vir maturus prudensque hanc defendit sententiam sapientissimam: et in Alexandri et in uniuscuiusque vere magni viri vita multo maiores esse virtutis quam fortunae partes. Neque *bellicam* hic praesertim spectari virtutem vel maxime hinc apparet quod in clarissima ponuntur luce eae res quibus Alexander pudoris, pudicitiae, integritatis, innocentiae dedit documenta, praecipueque ostenditur illi regi nihil fuisse cordi magis quam veram humanitatem. Darii uxori, captivae factae, adeo

---

1) Cff. lepidissima haec Plinii in epistola ad Tacitum (I, 20): „suae quisque inventioni favet et quasi fortissimum amplectitur, cum ab alio dictum est quod ipse praevidit. Omnibus ergo dandum est aliquid quod teneant, quod agnoscant".

pepercit ut, veritus ne sibi imperare non posset, non solum propius ad eam accedere non auderet sed etiam se praesente formam eius laudari vetaret; quam adamabat virginem eam iustam uxorem reginamque fecit; populos a se subactos diros suos crudelesque coegit ponere mores; totius orbis terrarum factus est magister, qui moribus hominum emendandis daret operam; denique, si usquam in vita, hic habemus regem illum philosophum quem sibi Plato informavit. Legite mihi pulcherrimum illum locum (329 DEF) de nuptiis Asiae Europaeque Alexandro auspice celebratis, pectus fuisse quod disertum hunc faceret oratorem agnoscetis. Denique licet hic quoque puro venustoque studuerit sermoni Plutarchus, non tirocinia haec sunt quibus audientium captat favorem, sed maturioris iam viri virilis oratio qua virtutem iis moresque puros sincerosque commendat.

Tamen et hic identidem quiddam invenies quod primo aspectu rhetoricum, ne puerile dicam, videri possit, opinor quia prae re gravissima quam tractabat speciem ornatumque neglexit orator. Wyttenbachium id fugisse miror, nam est neque obscurum neque parvi momenti. Iam loquentem induxit ipsum Alexandrum (326 F: *οἶμαι δ' ἂν αὐτὸν εἰπεῖν*) et tamen ad auctores provocat, Onesicritum, Aristotelem alios, in secunda oratione rarius, in priore frequenter. Absurdum hoc dicerem vitium, nisi in deliciis hunc oratorem haberem.

Ad singulos locos verbaque quae annotem paucissima sunt.

Or. I 326 F. De rebus a se gestis et alia declamat Alexander et haec:

ἐγὼ δ' εἰς Σοῦσα δι' Ἀρβήλων ἀναβέβηκα.

Venuste hoc fere sensu: „Arbela mihi aperuerunt viam quae Susa ducit", Arbela pro victoria Arbelis reportata. Sed corrupit metaphoram sciolus inserendo *νικῶν* post *Σοῦσα*.

327 B *τὰ λοιπὰ δ' Ἰνδῶν πληγαὶ καὶ βίαι θυμῶν.*

Pro ultimo vocabulo Herw. proposuit *θηρίων*. Nomen *populi* equidem praetulerim.

327 D Puer etiamtum Alexander se orbem terrarum subacturum speravit

τοῖς τρισμυρίοις, οἴεσθαι, πεζοῖς καὶ τετρακισχιλίοις ἱππεῦσι πιστεύσας.

Vox *οἴεσθαι* editori delenda videtur. Unde ergo intulit pedem? Reiskii *πῶς οἴεσθε* nimis est comicum pro huius loci gravitate. Ecquid *οἶμαι*? Egregie *contemptum* ea vox significat.

328 E *Ἀλέξανδρος δ' ὑπὲρ ἑβδομήκοντα πόλεις βαρβάροις ἔθνεσιν ἐγκτίσας καὶ κατασπείρας τὴν Ἀσίαν Ἑλληνικοῖς τέλεσι, τῆς ἀνημέρου καὶ θηριώδους ἐκράτησε διαίτης.*

Pro vocabulis sensu cassis *Ἑλληνικοῖς τέλεσι* editor coniecit *Ἑλληνικαῖς πόλεσι*, quae ingratissima est repetitio. Nonne *ἤθεσι*: „Graecis per Asiam sparsis moribus ferum victum superavit"?

333 C Ipsa indoles ad virtutem ducit homines,

οἱ δὲ φιλόσοφοι τῶν πολλῶν διαφέρουσι τῷ τὰς κρίσεις ἔχειν ἐρρωμένας παρὰ τὰ δεινὰ καὶ πεπηγυίας· ἐπεὶ οὐ μετὰ τῶν τοιούτων προλήψεων „εἷς οἰωνὸς ἄριστος κτέ."

Pro *ἐπεὶ οὐ* aliud quid requiritur, nam veri philosophi certe proficiscuntur a sententiis qualis haec Hectoris est et altera quae subiungitur: *πέρας μὲν ἐστιν ἅπασιν ἀνθρώποις ὁ θάνατος.*

Or. II 333 E Bono sed egeno poetae quidam dixit:

ἀλλ' εἰ κατ' Ἀλέξανδρον ἐγένου, κατὰ στίχον ἄν σοι Κύπρον ἢ Φοινίκην ἔδωκεν.

Nimium hoc tam Alexandro quam laudatori eius, sed quid sit rescribendum nescio.

334 C Postquam narravit de rege qui equi hinnitum optimi tibicinis praeferret arti, sic exclamat:

τίς ἂν οὖν παρὰ τοιούτοις βασιλεῦσιν αὔξησις ἢ τιμὴ τέχνης γένοιτο καὶ Μούσης τοιαύτης; ἀλλ' οὐδὲ παρὰ τοῖς ἀντιτέχνοις ἐθέλουσιν εἶναι κτέ.

Ultima sana esse iure contendit editor. Sed non intellexit interpres qui sic vertit: „quin etiam non ferunt si quis aliqua

arte superet". Sententia enim est: „neque apud illos qui se artificum aemulos esse volunt". Sequitur: „hi enim iis invident". Notetur in sequentibus ὀψιμαθία pro *stultitia* et *stupore* positum.

335 A οὕτω παρέστη καὶ διεφλέχθη τὸν θυμὸν ὑπὸ τῶν μελῶν.
Nonne οὕτως ἐξέστη?

335 B Λυσίππου δὲ τὸν πρῶτον Ἀλέξανδρον πλάσαντος κτέ.
Recte πρῶτον delevit Abreschius.

336 B εἰ μὲν γάρ, ὥς φησιν Ἐπίχαρμος „νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει" κτέ.
Non sequitur apodosis. Receptam oportuit Wyttenbachii emendationem εὖ pro εἰ.

338 E Darii uxorem mortuam Alexander
οὕτω βασιλικῶς ἐκόσμησε καὶ συμπαθῶς ἐδάκρυσεν, ὥστε ἄπιστον αὐτοῦ τὸ σῶφρον ἐν τῷ φιλανθρώπῳ γενέσθαι καὶ λαβεῖν ἀδικίας ἔγκλημα τὴν χρηστότητα. Δαρεῖος γὰρ οὕτως ἐκινήθη πρὸς τὴν ἐξουσίαν αὐτοῦ καὶ τὴν ἡλικίαν.
Dele ἐν: „Alexandri humanitate incredibilis reddebatur eius pudicitia"; deinde aut pendebit ultima pars sententiae aut cum Reiskio ὑπόπτως pro οὕτως est legendum.

339 D καὶ μὴν καὶ Φιλώτας ὁ Παρμενίωνος τροφόν τινα τῶν κακῶν ἔσχε τὴν ἀκρασίαν.
Pro τροφὸν Madvigius τρόπιν coniecit, metaphora inaudita quaeque istud τινα non admittat; Reiskius τρόπον τιν' αἰτίαν, sed quis veniam petit ut sibi decantata locutione αἰτίαν κακῶν uti liceat? Etiam in proxime sequentibus parum probabilem commentus est metaphoram Madvigius: μαλακίᾳ δ' ὁ σιδάρεος ἐχῖνος πεπαινόμενος οὐκ ἐκράτει τῶν λογισμῶν ἐν ταῖς ἡδοναῖς pro μάλα. καὶ δὴ ὁ σιδάρεος ἐκεῖνος κτέ. Praeterea illo μάλα non possunt carere praecedentia quin sensu cassa fiant. Ad quem poetae versum alludat auctor suo ὁ σιδάρεος nos fugit; iusta cur quidquam mutemus causa non adest. Sed rectissime idem

in hisce (340 B): πῶς γὰρ οὐχὶ τὸν ἄτρωτον, ὦ Ζεῦ, τὸν ἀναίμακτον, τὸν ἀστράτευτον, ὃν χρεμετίσας ἵππος εἰς τὸν Κύρου θρόνον ἐκάθισεν; delevit ὅν.

341 F Elaboratam periodum hic turbant et pessumdant accusativi isti Βάκτρα, Μαράκανδα, Σογδιανούς. In margine adscriptos fuisse suspicor.

ib. Parum abfuit quin Fortuna Alexandrum spoliaret fama quae Iovis eum fecit filium: τίς γὰρ ἂν ἐκ θεῶν γεγονὼς ἐπισφαλεῖς οὕτω καὶ πολυπόνους καὶ τλήμονας ἐξεμόχθησεν ἄθλους πλὴν ὁ Διὸς Ἡρακλῆς;
Satis perspicuum esse opinor nullum hic esse particulae ἂν locum.

AD PERSII SATURAE VI VS. 79.

Rem duplica. „Feci; iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam, depunge ubi sistam."

Mire, ut semper, puerulus noster loquitur stoicus. Hoc tamen perspicuum de nummis hic agi, quorum semper maior numerus in suum sibi congeratur *receptaculum*. Quod *rugam* dici posse haud facile mihi persuadebitur. Tres ad id probandum locos enumerat in commentario utilissimo, quo editionem suam ornavit v. WAGENINGEN, sed aut ego caecutio aut nullus horum satis confirmat annotationem: „sc. vestimenti, qui sinus Romanis pro marsupio erat, in quem res abscondere solebant." Accedit quod *sinus* tantummodo *in praesentia* nummos recipit, hic indicandum illud est quod *perpetuo* conservat avari divitias. Quid multa: satyrico nostro *antiqui* satyrici ante oculos stabant versiculi lepidissimi (apud Muell. p. 34, XVI):

bulgam et quidquid habet nummorum secum habet ipse.
Cum *bulga* cenat, dormit, lavit; omnis in unast
spes homini *bulga*. *Bulga* haec devincta lacertost.

J. J. H.

AD SATYRI FRAGMENTUM DE VITA EURIPIDIS ADNOTATIONES DUAE.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Continetur volumine nono papyrorum Oxyrhynchicarum (p. 124—182) pars haud exigua, et — quamvis lacera — omnium attentione digna τῆς Σατύρου βίων ἀναγραφῆς. Viderunt omnes qui Satyri libellum dialogi forma scriptum perlustrarunt quantum profuerit lectoribus sagax cura editoris Hunt, cuius doctrinam prudentiamque laudare iam obsoletum est; simul laete agnovimus Wilamowitzii ingenium, quod laboranti textui saepenumero lumen attulit. Ipsum autem Satyri opus ita perlegimus, ut corroboratum auctum illustratum, haud semel correctum quoque, videremus quod de hominis ingenio atque arte egregie scripserat Leo in libro de biographia Graeca ac Romana. Quod caput post repertum fragmentum Satyri nemo melius quam ipse Leo ampliaturus esse videtur; mea saltem hodie non ea provincia est. Pauca quaedam ad Euripidis vitam artemque spectantia attingere velim atque quantum potero illustrare. Quod eo magis operae pretium mihi visum est, quia hoc Satyri libello invento apparuit nonnulla, quae sive in Vitis scholiorum corpori affixis sive in libris seriorum scriptorum tradita tamquam recentiorum inventioni debita reiciebantur velut falsa atque incredibilia, nunc corroborantur antiquorum testimoniis Nonnulla ex iis indicavit Huntius; unum quod silentio is praetermisit mihi admodum videtur memorabile, Pirithoum nempe fabulam a Satyro inter genuinas Euripidis tragoedias referri, quo haud minime infringitur robur argumentorum quae contra huius fabulae originem

Euripideam attulerunt tam alii quam Wilamowitzius. Sed ad Pirithoum, de qua satis superque disputavi in huius Mnemosynes volumine XXXV et XXXVI, hodie redire non est in animo. Illustrare conabor quaedam quae de Euripidis adversariis Atheniensibus in Satyri libello fusius quam in Vitis factum est exponuntur.

I.

In fragmento 8 (Oxyrh. pap. IX p. 131) columna altera haec exhibet ...... *σσζη* ..... *λακαι* ... *ευκαι ε* .. *λειωσεν ὥστε τοῖς μετ' αὐτὸν ὑπερβολὴν μὴ λιπεῖν*. Haec Huntius, suadente Wilamowitzio quem — ut dixi — ingenio doctrina editoribus Anglis consilio continuo adfuisse singula huius libri folia testantur, ita supplevit: *τὰ Ἴωνος ζηλῶν καλὰ καὶ ηὔξεν καὶ ἐτελείωσεν ὥστε τοῖς μετ' αὐτὸν κ. τ. ἑ.* Cetera egregie, sed dubium suscitatur nomine Ionis. Nusquam enim vestigia apparent eiusmodi familiaritatis artis Euripideae cum poeta Chio, quem Hippolyto fabula vicit Euripides anno 428; nec vero *ἀδιαπτωσία* illa subfrigida quam in Ionis arte laudavit auctor libelli De Sublimitate pertinere posse videtur ad illas amoenitates (*τὰ καλὰ*) quas Euripides et miratus esse et ad perfectionem perduxisse in nostro fragmento dicitur. Equidem, quoniam in columnae initio spatium quod periit non necessario nomen totum continebat, sed fortasse extremas tantum eius nominis literas, pro *τὰ Ἴωνος* potius legerim *τὰ Ἀγάθωνος*.

Licet enim Agathon, Euripide natu minor plus quam quadraginta annis, in arte tragica exercenda Euripidis sectator potius dicendus esse videatur quam artis Euripideae praeceptor, erant tamen in eo quae magnopere Euripidi placebant. Gorgianae artis is quoque admirator fuit et quamquam fortasse non plura ei debebat Euripides quam huic ille, amabant aequales ita rem fingere tamquam si scrinia Agathonis expilare non dedignaretur Euripides. Huc, si quid video, spectat id ipsum quod apud Satyrum sequitur „*διὸ καὶ Ἀριστοφάνης ἐπιθυμεῖ τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ μετρῆσαι δι' ἧς τὰ ...τα ῥήματ' .....ηχετο.*" Iterum Wilamowitzio debetur eximia correctio lacerae vocis ..*ηχετο*: optime enim linguae voraci et cupidae convenit verbum *ἐξεσμήχετο*. Nam procul dubio eodem hic iocus tendit quo spectat Aristophanis fr. 581 Kock:

ὃ δ' αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχρισμένου
ὥσπερ καδίσκου περιέλειχε τὸ στόμα.

Expolivisse ergo lingua sua Euripides dicitur ea vocabula quae ab Agathone suo acceperat. Utrum λεπτὰ haec ῥήματα dicta sint, quod coniecit Wilamowitzius, an καμπτὰ potius scribendum sit, non dirimam, sane mellita fuerunt et pulchra, quae ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων, si credis Aristophani, amico suo suppeditaverat. Credidit profecto Satyrus vel credere se fingit. Etenim haec est dialogi indoles: non doctas investigationes profert scriptor, nec testibus auditis accurateque perpensis testimoniis id agit, ut unice quid verum sit exquirat, sed homines doctos minusve doctos, vera incertis miscentes, producit in scenam, animos auditorum delectare praesertim cupiens. Noli igitur stoliditatem Satyri mendacitatemve hominis increpare, quod tamquam historiam enarrat fabulam Aristophaneam. Serio miscet iocum, in eo tamen laudandus quod — quatenus ex fragmentis effici licet — abstersit caenum quo spurcissimae aequalium fabellae sicuti ceteros viros in republica sive in arte excellentes, Euripidem quoque foede colleverant.

Quamnam rationem methodumque in componendo dialogo Satyrus secutus sit, dicere non difficile est. Legerat profecto homo eruditissimus quidquid sive Theopompus ac Philochorus, sive Dicaearchus Aristoxenusque de Euripidis arte vita operibus scripserunt. Redeunt itaque saepe ad verbum in eius libello eadem quae sparsa et conturbata, nonnumqnam neglegenter in brevius contracta, habemus in Vitis illis quae codices Ambrosianum Vaticanum Parisinum Urbinatem Havniensem Vindobonensem illustrant, quarum vitarum scriptoribus utrum ad manum fuerit ipse Satyri libellus an excerptum quod fecit Heraclides Lembus, incertum est; id vero constat, ab auctore ignoto ex quo sua hauserunt Vitarum scriptores vel potius grammatici qui scholia composuerunt, iuxta cum aliis fontibus Satyrum adhibitum esse, nonnumquam vero ab eo praetermissa esse quaedam quae in Satyri anagrapha legebantur.

Fabellas omnes et mendacia quae feruntur in Vitis ad origines suas revocare atque cum Satyri verbis conferre vix operae pretium videtur. Sed unum est quod accuratius considerare non inutile est. Constat ex Gellii libro XV. 20 secundum Philocho-

rum poetae in insula natali „speluncam fuisse taetram et horridam, in qua tragoedias suas scriptitaret." Ornatior huius rei est expositio in Vita illa breviori quam servant codices Havniensis Urbinas Vindobonensis (Schwartz. p. 4. 23): *Φασὶ δὲ αὐτὸν ἐν Σαλαμῖνι σπηλαῖον κατασκευάσαντα ἀναπνοὴν ἔχον εἰς τὴν θάλατταν ἐκεῖσε διημερεύειν φεύγοντα* (*ἐκεῖ διημερεύοντα φεύγειν* U.) *τὸν ὄχλον, ὅθεν καὶ ἐκ θαλάττης λαμβάνει τὰς πλείους τῶν ὁμοιώσεων.* Haec satis accurate respondent iis quae Satyrus scripsit (fr. 39 col. IX) nisi quod is ex more suo cum poetae animo solutudinis amanti atque volgus aversato hanc consuetudinem propius coniunxit (*κεκτημένος δ' αὐτόθι σπήλαιον τὴν ἀναπνοὴν ἔχον εἰς τὴν θάλασσαν ἐν τούτῳ διημέρευεν καθ' αὑτὸν μεριμνῶν ἀεί τι καὶ γράφων ἁπλῶς ἅπαν εἴ τι μὴ μεγαλεῖον ἢ σεμνὸν ἠτιμακώς*). Sed quod, cum solis Vitarum scriptoribus utebamur, neglegentiae excerpendi adscribere silentioque praetermittere solebamus, id, quando in libello tertii ante Christum seculi traditur neglegere non licebit. Nempe sive per iocum sive serio Thesmophoriazusarum fabula ut a Vitarum scriptoribus ita iam a Satyro in historiam vertitur, idque ab utrisque fit mira quadam concordia in una re qua a fabula qualem hodie habemus prorsus discrepant. Communis enim omnibus codicibus quotquot Vitas exhibent — nisi quod ipsa verba in brevius contraxit Urbinas — haec est narratio (Schwartz p. 6. 7): *λέγουσι δὲ καὶ ὅτι αἱ γυναῖκες διὰ τοὺς ψόγους οὓς ἐποίει εἰς αὐτὰς διὰ τῶν ποιημάτων, τοῖς Θεσμοφορίοις ἐπέστησαν αὐτῷ βουλόμεναι ἀνελεῖν. ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ πρῶτον μὲν διὰ τὰς Μούσας, ἔπειτα δὲ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν.* In breviori Vita autem quam exhibent Havnienis Vindobonensisque (Schw. p. 5. 11) praeterea haec leguntur: *αἱ δὲ γυναῖκες ἐβουλήθησαν αὐτὸν κτεῖναι εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ σπήλαιον ἐν ᾧ γράφων διετέλει.* Quae coniunctim servantur apud Satyrum (fr. 39 col. X vs. 23): *αἱ δὲ γυναῖκες ἐπισυνέστησαν αὐτῷ τοῖς Θεσμοφορίοις καὶ ἀθρόαι παρῆσαν ἐπὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ σχολάζων ἐτύγχανεν. [ἐξ] ὠρ(γ)ισμέναι δὲ ἐφείσαντο τἀνδρὸς ἅμα μὲν [ἀγ]ασθεῖσαι τὰς Μούσας . . . . . ν . . . ος . . .* (puto *ἅμα δὲ τἀνδρὸς βεβαιωσαμένου* vel tale quid). Perspicuum est haec cum Thesmophoriazusarum argumento haud accurate congruere. Fingit quidem Aristophanes in extrema scena, quam, ut saepius in eius fit fabulis, admodum neglegenter compositam esse omnes

videmus, (vs. 1160 sqq.) Euripidem foedus cum matronis inire ἐφ' ᾧ τ' ἀκοῦσαι μηδὲν αὐτὰς ὑπ' ἐκείνου κακόν) sed nusquam in superstite τῶν Θεσμοφοριαζουσῶν comoedia videmus mulieres ad poetae antrum Salaminium iter facientes, nec vero eo cum advenissent eas temperasse adversario propter reverentiam Musarum legimus. Quod considerantibus nobis, cum oritur suspicio non Thesmophoriazusas nunc cognitas spectari a Satyro, augetur ea opinio et non nihil corroboratur ex iis quae in Colloquio sequuntur. In proxima enim eiusdem fragmenti columna, postquam versus quidam ex Melanippa Vincta (cf. *Berl. Klassikertexte* V.[2] p. 123 sqq.) laudati sunt, quibus demonstretur Euripidem promisso stetisse nec diutius λοιδορίαις contra mulieres indulsisse, ab alio eorum qui colloquio intersunt in memoriam revocantur ea quae leguntur in Thesmophoriazusis vs. 374 sqq. 335 sqq. Quibus auditis is qui dialogi dux atque princeps est ita respondet: σαφῶς ὑπονενόηκας ὃ λέγω καὶ παραλέλυκάς με τῆς ἐξηγήσεως. Hoc loco igitur si iterum de Thesmophoriazusis fit sermo, verisimile videtur antea non eandem comoediam relatam esse sed bis memoratum esse argumentum sicuti bis, ut novimus, a poeta comico tractatum erat. Nisi igitur credimus, temere a fabellarum quibusdam auctoribus iter Salaminium matronarum fictum esse de nihilo, in promptu est priore loco non respici Theomophoriazusas superstites; sed ἑτέρας illas Theomophoriazusas, quae teste Demetrio Troezenio Θεσμοφοριάσασαι quoque dicebantur. In qua comoedia, quam novimus extremo festorum die peractam fingi quandoquidem προλογίζει Καλλιγένεια, crediderim argumentum quod in prioribus Thesmophoriazusis tantopere placuisset spectatoribus, iteratum vel ampliatum esse a poeta. Bellum enim indictum Euripidi, hosti haud minus quam Persae fuerunt odioso (cf. Thesm. 337 Εὐριπίδῃ Μήδοις) in altera fabula victoriam, opinor, Salaminiam habebat qua iam apparuit matronas Atheniensium esse ἀντιανείρας! Scenam fabulae in insula ipsa fuisse non adseveraverim; in itinere sane unam alteramve ex matronis conquestam esse credo iis verbis quae leguntur in schol. ad Ranas vs. 3:

Ὡς διά γε τοῦτο τοὔπος οὐ δυνάμαι φέρειν
σκεύη τοσαῦτα, καὶ τὸν ὦμον θλίβομαι.

Incerta divinare de argumento fabulae amissae nolo. Hoc tantum addam, potius ad hanc comoediam referendos esse versus quos

felicissima sagacitate restituit Otto Crusius in libello c. t. Melanges Weil, quam, ut ipse vir doctissimus proposuit, ad Gerytaden. Exscribam fragmentum ita ut — incertissima sane sed lepida arte — a Crusio restauratum est.

αὖται λαλοῦσαι τὸν [⏑–⏒–⏑–
τρυχοῦσι πολλοῖς τ[*όνδε νουθετήμασιν·*
κακουμέναις γὰρ ν[*ηλεῶς ἐν δράμασιν*
ὑπὸ μητρυιῶν τε κ[*αὶ πατέρων, ὥστ᾽ οἰκτίσαι,*
οὐκ ἦλθ᾽ ἀρήξων ἀλ[*λὰ* –⏒–⏑–
νῦν οὖν ἄποινα π[*εντασυρίγγῳ ξύλῳ*
κατὰ τὴν Μελανίπ[*πην ..*

Neglegam versuum fines a Crusio adiectos, sed moneo in eo versu, quem adiutus scholiis *τι πεντα . . . υλον ενω λαζονται* ingeniosissime supplevit Crusius, eiusdemmodi significari supplicium quale Euripidis vice fungens subit *κηδεστὴς* eius in superstite fabula. Describit igitur is qui loquitur supplicium, quo affectum Euripidem aut videt aut antea viderat, deinde per anapaestos ita sive pergit sive alterum pergentem audit *ἀλλὰ ξεστῶν ετ ..* Haec verba significaverintne similem tabellarum usum, ac *πινάκων ξεστῶν δελτοὺς* ex Thesmophariazusis nostris (vs. 778) notas, haud scio. Hoc vero mihi quidem non dubium videtur, nonnihil obstare opinioni quam protulit Crusius, contendens Gerytaden fabulam, prorsus ut Ranas, ad deridendum Euripidem post mortem poetae esse compositam (Euripide qui de son vivant comme poète a si mal traité les femmes est mort et maintenant il expie cruellement ses péchés d'intention dans l'autre monde). Neque enim scenam Gerytadis — ad quam fabulam infra recurram — in Orco positam fuisse credo, neque mihi persuadeo fieri potuisse ut post Ranas peractas ad eiusmodi quale finxit Crusius inventum Aristophanes rediret. Quod autem ad Thesmophoriazusas alteras attinet, multum abesse quin mihi probabilia videantur ea quae audacissime Zielinskius coniecit, non est quod dicam.

II.

In fragmento 39 col. XV post ambages satis longas eo deducit sermonem colloquii dux ut dicantur quaedam de causis quibus motus Euripides ex urbe sua ad Archelaum regem migraverit. Si universam rem spectas hic quoque Vitarum scripto-

res eadem brevius reddunt quae fusius dedit Satyrus. Superbus poetae animus, invidia aequalium, odium Aristophanis, certaminum eventus parum secundi, infortunia denique domestica, passim ab hominibus eruditis et memorantur et fabellis illustrantur. Quae omnia testimoniis confirmare supersedeo. Satyrus autem doctius hoc loco quam in reliquo sermone rem suam agit. Quae enim brevissime in Vita Codicis Vaticani indicantur „*ἐπέκειντο δὲ καὶ οἱ κωμικοὶ φθόνῳ αὐτὸν διασύροντες*" multo copiosius Satyrus fr. 39 col. XV. 21 ita enarrat: *ἐκεῖνος γὰρ ἅμα μὲν προσοχθίσας τῷ ἐπιχωρίῳ φθόνῳ τῶν πολιτῶν, ἅμα δὲ ἀχθόμενος ἐπὶ τῷ συννέμεσθαι πολλ[ά]κις Ἀκέστο[ρι κ]αὶ Δοριλάῳ [καὶ] Μορσίμῳ [καὶ] Μελανθίῳ ... (Δι) [Πρὸ]ς τοῦ Διὸς [τίν]ων ὀνόμα[τα λ]έγεις; ἢ ποι[ητά]ς; etc.* Doctrina, qua auditorum admirationem suscitat dux colloquii, quorsum spectet et undenam sumta sit, latet nos. Tantummodo novimus hominum indignorum victorias secundum alios quoque scriptores bilem movisse poetae (cf. Varro apud Gell. XVII. 4. Aelian. V. H. II. 8). De Acestore vero, quem saepius explosit Aristophanes, haud absonum est in memoriam revocare ea quae narrat Valerius Maximus III. 7 (ext.), quoniam eandem illustrant animi fiduciam quae in Euripide a Satyro scriptoribusque Vitarum saepius *μεγαλοψυχία* dicitur. „Ne Euripides quidem arrogans visus est, cum postulante populo ut ex tragoedia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam dixit se ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere" (cf. quae de Danae de Palamede, aliisque fabulis circumferuntur) ... „itaque etiam quod *Alcestidi* tragico poetae respondit probabile, apud quem cum quaereretur quod eo triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur, „Sed hoc, inquit interest quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficiunt.""

Historia litterarum Graecarum referta est hoc genere fabellarum quarum pars ex comoediae argumentis profluxit pars nata est ex scriptorum ingenio, qui animos lectorum nulla re magis quam narratiunculis et facete dictis mulceri scirent, pars autem in ipso popello, id est in theatri subselliis, originem capit. Quae de Euripide atque adversario poeta — *Alcestis* enim ille ignotus iam diu in Aeliani textu cessit *Acestori* — ex Aeliano adduxi,

comoediae cuiusdam memoriam servare haud improbabile videtur.

Non enim solum certamine scenico Euripides per ultimos quos Athenis egit annos saepe victus est a „poetis indignissimis" sed etiam cum Melanthio, Morsimo Acestori similibusque hominibus coniunctim a comicis explosus. Huc spectant Satyri verba illa „ἀχθόμενος ἐπὶ τῷ συννέμεσθαι πολλάκις Ἀκέστορι κ.τ.ἑ."; id quod apparet ex sequentibus. In columna enim XV perierunt, sicuti in ceteris huius fragmenti columnis, inferiores versus fere triginta; ex columnae insequentis initio literulae tantummodo quaedam supersunt, sed apparet, in ea parte quae periit egisse auctorem de fabula in qua poetae quidam Euripidi adversarii partes egerint. Ecce quae supersunt:

Fr. 39. col. XVI. 5 ε . . . ο . . . . . χ . . . δὲ ΣοΦοκλ . . . λαβὼν παρ[ρ' Αἰ]σχυλου ν . . . ροσον . . . . . εσθολον Εὐριπιδην προς τοισιδεμβαλειν αλας . . νημενοσδοπωσαλασκαιμηλαλασ· εοικασινανδροσ ειναι των α . . . διδασκοντων αυτω καθαπερ ειπασ.

Ansam interpretationi praebuit Huntius editor adscribens: A quotation from a comedian, apparently giving a receipt for a dish of poetry: „Take some of Sophocles and Aeschylus, but put in a whole Euripides" i. e. you will want the whole in order to extract a flavour." — Versus ita interpretandos esse nemo negabit. Nec nimium a vero aberraveris, puto, si hunc fere in modum fragmentum restitueris:

> ἔπειθ' ὅσον δραχμὴν δὲ ΣοΦοκλέους λαβών,
> παρ' Αἰσχύλου στατῆρ' ὅσον προσθέσθ' ὅλον
> Εὐριπίδην, πρὸς τοισίδ' ἐμβαλεῖν ἅλας,
> μεμνημένος δ' ὅπως ἅλας καὶ μὴ λάλας.

Ne quis neglegentius a me actum esse in restituendo vocabulo στατῆρα censeat, moneo literulam ν in papyro ita scriptam esse ut literis στ propter proclivam τοῦ σίγμα formam simillima sit. Ceterum si quis iudicet, cum gravissimo pondere versuum Aeschyleorum parum convenire quod tribus scrupulis Sophocleis sex addantur Aeschylei, primum versum facili modo is ita suppleverit ut vocabulo δραχμὰς adiciatur adiectivum numerale. Quod vero ad extremum versum attinet, frigidum sane et salis expertem, operae pretium est memorare τὸ λάλον tam Agathoni quam Euripidi saepius obici, id quod Plutarchus quoque docet *de Aud.* 45 A μέμψαιτο δέ τις . . . Εὐριπίδου τὴν λαλιάν.

Coenam igitur quandam ex tragicorum frustulis componi in hac comica scena cum videmus, vix potest quin Aristophanis Gerytadis commonefiamus. Licet enim obscurissimum huius fabulae sit nomen, argumentumque admodum incertum, novimus tamen Aristophanem in hac comoedia magnam turbam tragicorum poetarum varie exagitasse coenamque paratam finxisse poetis famelicis miram, in qua concoquenda non solum adhibita essent:

ἀκροκώλι' ἄρτοι, κάραβοι, βολβοί, φακῆ

(Ath. III. 95 F), sed duriora quoque; nam querulus rogat nescio quis (cf. schol. in Vesp. 1313)

καὶ πῶς ἐγὼ Σθενέλου φάγοιμ' ἂν ῥήματα;

cui respondetur

εἰς ὄξος ἐμβαπτόμενος ἢ ξηροὺς ἅλας.

Quin ipse quoque Euripides rideri videtur; eius enim cantica procul dubio significabantur versu quem ex Gerytade Athenaeus refert III. 99 F

θεράπευε καὶ χόρταζε τῶν μονῳδιῶν,

certe vix quisquam ingeniosius ac lepidius ἐχόρτασε τοὺς θεωμένους τῶν Εὐριπιδείων μονῳδιῶν quam Aristophanes in Thesmophoriazusis et tandem in Ranis.

Versus a Satyro servatos in fabula ab adversario Euripidis dictos fingi docent verba ἐοίκασιν ἀνδρὸς εἶναι τῶν ἀντιδιδασκόντων αὐτῷ καθάπερ εἶπας, Aristophani autem ipsam fabulam tribuendam esse apparet ex iis quae statim sequuntur: ἀτὰρ σιναμώρως γε κἀνταῦθα πάλιν ὁ κωμῳδοδιδάσκαλος ἐπέδακνεν τὸν Εὐριπίδην. Hanc igitur fabulam Gerytaden fuisse credo. Quod si recte suspicatus sum, apparet hanc comoediam — quam in Orco locum habere sine iusta causa et Crusius et multi alii ex notissimo fragmento quod incipit καί τις νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας ἔτλη κατελθεῖν effecerunt — anno ante quam Euripides in Macedoniam profectus est, in scenam prodiisse, itaque anno 409/8. Pergit autem Satyrus: τοῦ δ' ἑπομένου χειμῶνος et post lacunam quadraginta fere versuum — angustissimae autem sunt columnae et decem vel summum duodecim literis constant — ὅπου ποτ' οἰκεῖ σώματος λαχὼν μέρος, ἐν χερσίν, ἐν σπλάγχνοισιν ἢ παρ' ὄμματα. Quos versus in theatro scurriliter explosos esse addit.

Notum est id quod hic affertur fragmentum; sunt enim versus περὶ φθόνου quos auctore Stobaeo (XXXVIII. 8) Inoï fabulae

in hisce (340 B): *πῶς γὰρ οὐχὶ τὸν ἄτρωτον, ὦ Ζεῦ, τὸν ἀναίμακτον, τὸν ἀστράτευτον, ὃν χρεμετίσας ἵππος εἰς τὸν Κύρου θρόνον ἐκάθισεν*; delevit *ὅν*.

341 F Elaboratam periodum hic turbant et pessumdant accusativi isti Βάκτρα, Μαράκανδα, Σογδιανούς. In margine adscriptos fuisse suspicor.

ib. Parum abfuit quin Fortuna Alexandrum spoliaret fama quae Iovis eum fecit filium: *τίς γὰρ ἂν ἐκ θεῶν γεγονὼς ἐπισφαλεῖς οὕτω καὶ πολυπόνους καὶ τλήμονας ἐξεμόχθησεν ἄθλους πλὴν ὁ Διὸς Ἡρακλῆς*;

Satis perspicuum esse opinor nullum hic esse particulae *ἂν* locum.

AD PERSII SATURAE VI VS. 79.

Rem duplica. „Feci; iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam, depunge ubi sistam."

Mire, ut semper, puerulus noster loquitur stoicus. Hoc tamen perspicuum de nummis hic agi, quorum semper maior numerus in suum sibi congeratur *receptaculum*. Quod *rugam* dici posse haud facile mihi persuadebitur. Tres ad id probandum locos enumerat in commentario utilissimo, quo editionem suam ornavit v. WAGENINGEN, sed aut ego caecutio aut nullus horum satis confirmat annotationem: „sc. vestimenti, qui sinus Romanis pro marsupio erat, in quem res abscondere solebant." Accedit quod *sinus* tantummodo *in praesentia* nummos recipit, hic indicandum illud est quod *perpetuo* conservat avari divitias. Quid multa: satyrico nostro *antiqui* satyrici ante oculos stabant versiculi lepidissimi (apud Muell. p. 34, XVI):

bulgam et quidquid habet nummorum secum habet ipse.
Cum *bulga* cenat, dormit, lavit; omnis in unast
spes homini *bulga*. *Bulga* haec devincta lacertost.

J. J. H.

AD SATYRI FRAGMENTUM DE VITA EURIPIDIS ADNOTATIONES DUAE.

SCRIPSIT

K. KUIPER.

Continetur volumine nono papyrorum Oxyrhynchicarum (p. 124—182) pars haud exigua, et — quamvis lacera — omnium attentione digna *τῆς Σατύρου βίων ἀναγραφῆς*. Viderunt omnes qui Satyri libellum dialogi forma scriptum perlustrarunt quantum profuerit lectoribus sagax cura editoris Hunt, cuius doctrinam prudentiamque laudare iam obsoletum est; simul laete agnovimus Wilamowitzii ingenium, quod laboranti textui saepenumero lumen attulit. Ipsum autem Satyri opus ita perlegimus, ut corroboratum auctum illustratum, haud semel correctum quoque, videremus quod de hominis ingenio atque arte egregie scripserat Leo in libro de biographia Graeca ac Romana. Quod caput post repertum fragmentum Satyri nemo melius quam ipse Leo ampliaturus esse videtur; mea saltem hodie non ea provincia est. Pauca quaedam ad Euripidis vitam artemque spectantia attingere velim atque quantum potero illustrare. Quod eo magis operae pretium mihi visum est, quia hoc Satyri libello invento apparuit nonnulla, quae sive in Vitis scholiorum corpori affixis sive in libris seriorum scriptorum tradita tamquam recentiorum inventioni debita reiciebantur velut falsa atque incredibilia, nunc corroborantur antiquorum testimoniis Nonnulla ex iis indicavit Huntius; unum quod silentio is praetermisit mihi admodum videtur memorabile, PIRITHOUM nempe fabulam a Satyro inter genuinas Euripidis tragoedias referri, quo haud minime infringitur robur argumentorum quae contra huius fabulae originem

Euripideam attulerunt tam alii quam Wilamowitzius. Sed ad Pirithoum, de qua satis superque disputavi in huius Mnemosynes volumine XXXV et XXXVI, hodie redire non est in animo. Illustrare conabor quaedam quae de Euripidis adversariis Atheniensibus in Satyri libello fusius quam in Vitis factum est exponuntur.

I.

In fragmento 8 (Oxyrh. pap. IX p. 131) columna altera haec exhibet . . . . . . σσζη . . . . . λακαι . . . ενκαι ε . . λειωσεν ὥστε τοῖς μετ' αὐτὸν ὑπερβολὴν μὴ λιπεῖν. Haec Huntius, suadente Wilamowitzio quem — ut dixi — ingenio doctrina editoribus Anglis consilio continuo adfuisse singula huius libri folia testantur, ita supplevit: τὰ Ἴωνος ζηλῶν καλὰ καὶ ηὔξεν καὶ ἐτελείωσεν ὥστε τοῖς μετ' αὐτὸν κ. τ. ἑ. Cetera egregie, sed dubium suscitatur nomine Ionis. Nusquam enim vestigia apparent eiusmodi familiaritatis artis Euripideae cum poeta Chio, quem Hippolyto fabula vicit Euripides anno 428; nec vero ἀδιαπτωσία illa subfrigida quam in Ionis arte laudavit auctor libelli De Sublimitate pertinere posse videtur ad illas amoenitates (τὰ καλὰ) quas Euripides et miratus esse et ad perfectionem perduxisse in nostro fragmento dicitur. Equidem, quoniam in columnae initio spatium quod periit non necessario nomen totum continebat, sed fortasse extremas tantum eius nominis literas, pro τὰ Ἴωνος potius legerim τὰ Ἀγάθωνος.

Licet enim Agathon, Euripide natu minor plus quam quadraginta annis, in arte tragica exercenda Euripidis sectator potius dicendus esse videatur quam artis Euripideae praeceptor, erant tamen in eo quae magnopere Euripidi placebant. Gorgianae artis is quoque admirator fuit et quamquam fortasse non plura ei debebat Euripides quam huic ille, amabant aequales ita rem fingere tamquam si scrinia Agathonis expilare non dedignaretur Euripides. Huc, si quid video, spectat id ipsum quod apud Satyrum sequitur „διὸ καὶ Ἀριστοφάνης ἐπιθυμεῖ τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ μετρῆσαι δι' ἧς τὰ . . . τα ῥήματ' . . . . . ηχετο." Iterum Wilamowitzio debetur eximia correctio lacerae vocis . . ηχετο: optime enim linguae voraci et cupidae convenit verbum ἐξεσμήχετο. Nam procul dubio eodem hic iocus tendit quo spectat Aristophanis fr. 581 Kock:

ὃ δ' αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχρισμένου
ὥσπερ καδίσκου περιέλειχε τὸ στόμα.

Expolivisse ergo lingua sua Euripides dicitur ea vocabula quae ab Agathone suo acceperat. Utrum λεπτὰ haec ῥήματα dicta sint, quod coniecit Wilamowitzius, an καμπτὰ potius scribendum sit, non dirimam, sane mellita fuerunt et pulchra, quae ὁ καλλιεπὴς Ἀγάθων, si credis Aristophani, amico suo suppeditaverat. Credidit profecto Satyrus vel credere se fingit. Etenim haec est dialogi indoles: non doctas investigationes profert scriptor, nec testibus auditis accurateque perpensis testimoniis id agit, ut unice quid verum sit exquirat, sed homines doctos minusve doctos, vera incertis miscentes, producit in scenam, animos auditorum delectare praesertim cupiens. Noli igitur stoliditatem Satyri mendacitatemve hominis increpare, quod tamquam historiam enarrat fabulam Aristophaneam. Serio miscet iocum, in eo tamen laudandus quod — quatenus ex fragmentis effici licet — abstersit caenum quo spurcissimae aequalium fabellae sicuti ceteros viros in republica sive in arte excellentes, Euripidem quoque foede colleverant.

Quamnam rationem methodumque in componendo dialogo Satyrus secutus sit, dicere non difficile est. Legerat profecto homo eruditissimus quidquid sive Theopompus ac Philochorus, sive Dicaearchus Aristoxenusque de Euripidis arte vita operibus scripserunt. Redeunt itaque saepe ad verbum in eius libello eadem quae sparsa et conturbata, nonnumqnam neglegenter in brevius contracta, habemus in Vitis illis quae codices Ambrosianum Vaticanum Parisinum Urbinatem Havniensem Vindobonensem illustrant, quarum vitarum scriptoribus utrum ad manum fuerit ipse Satyri libellus an excerptum quod fecit Heraclides Lembus, incertum est; id vero constat, ab auctore ignoto ex quo sua hauserunt Vitarum scriptores vel potius grammatici qui scholia composuerunt, iuxta cum aliis fontibus Satyrum adhibitum esse, nonnumquam vero ab eo praetermissa esse quaedam quae in Satyri anagrapha legebantur.

Fabellas omnes et mendacia quae feruntur in Vitis ad origines suas revocare atque cum Satyri verbis conferre vix operae pretium videtur. Sed unum est quod accuratius considerare non inutile est. Constat ex Gellii libro XV. 20 secundum Philocho-

rum poetae in insula natali „speluncam fuisse taetram et horridam, in qua tragoedias suas scriptitaret." Ornatior huius rei est expositio in Vita illa breviori quam servant codices Havniensis Urbinas Vindobonensis (Schwartz. p. 4. 23): *Φασὶ δὲ αὐτὸν ἐν Σαλαμῖνι σπηλαῖον κατασκευάσαντα ἀναπνοὴν ἔχον εἰς τὴν θάλατταν ἐκεῖσε διημερεύειν φεύγοντα* (*ἐκεῖ διημερεύοντα φεύγειν* U.) *τὸν ὄχλον, ὅθεν καὶ ἐκ θαλάττης λαμβάνει τὰς πλείους τῶν ὁμοιώσεων.* Haec satis accurate respondent iis quae Satyrus scripsit (fr. 39 col. IX) nisi quod is ex more suo cum poetae animo solutudinis amanti atque volgus aversato hanc consuetudinem propius coniunxit (*κεκτημένος δ' αὐτόθι σπήλαιον τὴν ἀναπνοὴν ἔχον εἰς τὴν θάλασσαν ἐν τούτῳ διημέρευεν καθ' αὑτὸν μεριμνῶν ἀεί τι καὶ γράφων ἁπλῶς ἅπαν εἴ τι μὴ μεγαλεῖον ἢ σεμνὸν ἠτιμακώς*). Sed quod, cum solis Vitarum scriptoribus utebamur, neglegentiae excerpendi adscribere silentioque praetermittere solebamus, id, quando in libello tertii ante Christum seculi traditur neglegere non licebit. Nempe sive per iocum sive serio Thesmophoriazusarum fabula ut a Vitarum scriptoribus ita iam a Satyro in historiam vertitur, idque ab utrisque fit mira quadam concordia in una re qua a fabula qualem hodie habemus prorsus discrepant. Communis enim omnibus codicibus quotquot Vitas exhibent — nisi quod ipsa verba in brevius contraxit Urbinas — haec est narratio (Schwartz p. 6. 7): *λέγουσι δὲ καὶ ὅτι αἱ γυναῖκες διὰ τοὺς ψόγους οὓς ἐποίει εἰς αὐτὰς διὰ τῶν ποιημάτων, τοῖς Θεσμοφορίοις ἐπέστησαν αὐτῷ βουλόμεναι ἀνελεῖν. ἐφείσαντο δὲ αὐτοῦ πρῶτον μὲν διὰ τὰς Μούσας, ἔπειτα δὲ βεβαιωσαμένου μηκέτι αὐτὰς κακῶς ἐρεῖν.* In breviori Vita autem quam exhibent Havnienis Vindobonensisque (Schw. p. 5. 11) praeterea haec leguntur: *αἱ δὲ γυναῖκες ἐβουλήθησαν αὐτὸν κτεῖναι εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ σπήλαιον ἐν ᾧ γράφων διετέλει.* Quae coniunctim servantur apud Satyrum (fr. 39 col. X vs. 23): *αἱ δὲ γυναῖκες ἐπισυνέστησαν αὐτῷ τοῖς Θεσμοφορίοις καὶ ἀθρόαι παρῆσαν ἐπὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ σχολάζων ἐτύγχανεν. [ἐξ] ὠρ(γ)ισμέναι δὲ ἐφείσαντο τἀνδρὸς ἅμα μὲν [ἀγ]ασθεῖσαι τὰς Μούσας .....ν...ος ...* (puto *ἅμα δὲ τἀνδρὸς βεβαιωσαμένου* vel tale quid). Perspicuum est haec cum Thesmophoriazusarum argumento haud accurate congruere. Fingit quidem Aristophanes in extrema scena, quam, ut saepius in eius fit fabulis, admodum neglegenter compositam esse omnes

videmus, (vs. 1160 sqq.) Euripidem foedus cum matronis inire *ἐφ' ᾧ τ' ἀκοῦσαι μηδὲν αὐτὰς ὑπ' ἐκείνου κακόν*) sed nusquam in superstite *τῶν Θεσμοφοριαζουσῶν* comoedia videmus mulieres ad poetae antrum Salaminium iter facientes, nec vero eo cum advenissent eas temperasse adversario propter reverentiam Musarum legimus. Quod considerantibus nobis, cum oritur suspicio non Thesmophoriazusas nunc cognitas spectari a Satyro, augetur ea opinio et non nihil corroboratur ex iis quae in Colloquio sequuntur. In proxima enim eiusdem fragmenti columna, postquam versus quidam ex Melanippa Vincta (cf. *Berl. Klassikertexte* V.[2] p. 123 sqq.) laudati sunt, quibus demonstretur Euripidem promisso stetisse nec diutius *λοιδορίαις* contra mulieres indulsisse, ab alio eorum qui colloquio intersunt in memoriam revocantur ea quae leguntur in Thesmophoriazusis vs. 374 sqq. 335 sqq. Quibus auditis is qui dialogi dux atque princeps est ita respondet: *σαφῶς ὑπονενόηκας ὃ λέγω καὶ παραλέλυκάς με τῆς ἐξηγήσεως*. Hoc loco igitur si iterum de Thesmophoriazusis fit sermo, verisimile videtur antea non eandem comoediam relatam esse sed bis memoratum esse argumentum sicuti bis, ut novimus, a poeta comico tractatum erat. Nisi igitur credimus, temere a fabellarum quibusdam auctoribus iter Salaminium matronarum fictum esse de nihilo, in promptu est priore loco non respici Theomophoriazusas superstites; sed *ἑτέρας* illas Theomophoriazusas, quae teste Demetrio Troezenio *Θεσμοφοριάσασαι* quoque dicebantur. In qua comoedia, quam novimus extremo festorum die peractam fingi quandoquidem *προλογίζει Καλλιγένεια*, crediderim argumentum quod in prioribus Thesmophoriazusis tantopere placuisset spectatoribus, iteratum vel ampliatum esse a poeta. Bellum enim indictum Euripidi, hosti haud minus quam Persae fuerunt odioso (cf. Thesm. 337 *Εὐριπίδῃ Μήδοις*) in altera fabula victoriam, opinor, Salaminiam habebat qua iam apparuit matronas Atheniensium esse *ἀντιανείρας*! Scenam fabulae in insula ipsa fuisse non adseveraverim; in itinere sane unam alteramve ex matronis conquestam esse credo iis verbis quae leguntur in schol. ad Ranas vs. 3:

Ὡς διά γε τοῦτο τοὔπος οὐ δυνάμαι φέρειν
σκεύη τοσαῦτα, καὶ τὸν ὦμον θλίβομαι.

Incerta divinare de argumento fabulae amissae nolo. Hoc tantum addam, potius ad hanc comoediam referendos esse versus quos

felicissima sagacitate restituit Otto Crusius in libello c. t. Melanges Weil, quam, ut ipse vir doctissimus proposuit, ad Gerytaden. Exscribam fragmentum ita ut — incertissima sane sed lepida arte — a Crusio restauratum est.

> *αὖται λαλοῦσαι τὸν* [⏑–⏓–⏑–
> *τρυχοῦσι πολλοῖς τ*[*όνδε νουθετήμασιν·*
> *κακουμέναις γὰρ ν*[*ηλεῶς ἐν δράμασιν*
> *ὑπὸ μητρυιῶν τε κ*[*αὶ πατέρων, ὥστ᾽ οἰκτίσαι,*
> *οὐκ ἦλθ᾽ ἀρήξων ἀλ*[*λὰ* –⏓–⏑–
> *νῦν οὖν ἄποινα π*[*εντασυρίγγῳ ξύλῳ*
> *κατὰ τὴν Μελανίπ*[*πην ..*

Neglegam versuum fines a Crusio adiectos, sed moneo in eo versu, quem adiutus scholiis *τι πεντα . . . υλον ενω λαζονται* ingeniosissime supplevit Crusius, eiusdemmodi significari supplicium quale Euripidis vice fungens subit *κηδεστής* eius in superstite fabula. Describit igitur is qui loquitur supplicium, quo affectum Euripidem aut videt aut antea viderat, deinde per anapaestos ita sive pergit sive alterum pergentem audit *ἀλλὰ ξεστῶν ετ ..* Haec verba significaverintne similem tabellarum usum, ac *πινάκων ξεστῶν δελτοὺς* ex Thesmophariazusis nostris (vs. 778) notas, haud scio. Hoc vero mihi quidem non dubium videtur, nonnihil obstare opinioni quam protulit Crusius, contendens Gerytaden fabulam, prorsus ut Ranas, ad deridendum Euripidem post mortem poetae esse compositam (Euripide qui de son vivant comme poète a si mal traité les femmes est mort et maintenant il expie cruellement ses péchés d'intention dans l'autre monde). Neque enim scenam Gerytadis — ad quam fabulam infra recurram — in Orco positam fuisse credo, neque mihi persuadeo fieri potuisse ut post Ranas peractas ad eiusmodi quale finxit Crusius inventum Aristophanes rediret. Quod autem ad Thesmophoriazusas alteras attinet, multum abesse quin mihi probabilia videantur ea quae audacissime Zielinskius coniecit, non est quod dicam.

II.

In fragmento 39 col. XV post ambages satis longas eo deducit sermonem colloquii dux ut dicantur quaedam de causis quibus motus Euripides ex urbe sua ad Archelaum regem migraverit. Si universam rem spectas hic quoque Vitarum scripto-

res eadem brevius reddunt quae fusius dedit Satyrus. Superbus poetae animus, invidia aequalium, odium Aristophanis, certaminum eventus parum secundi, infortunia denique domestica, passim ab hominibus eruditis et memorantur et fabellis illustrantur. Quae omnia testimoniis confirmare supersedeo. Satyrus autem doctius hoc loco quam in reliquo sermone rem suam agit. Quae enim brevissime in Vita Codicis Vaticani indicantur „*ἐπέκειντο δὲ καὶ οἱ κωμικοὶ Φθόνῳ αὐτὸν διασύροντες*" multo copiosius Satyrus fr. 39 col. XV. 21 ita enarrat: *ἐκεῖνος γὰρ ἅμα μὲν προσοχθίσας τῷ ἐπιχωρίῳ Φθόνῳ τῶν πολιτῶν, ἅμα δὲ ἀχθόμενος ἐπὶ τῷ συννέμεσθαι πολλ[ά]κις 'Ακέστο[ρι κ]αὶ Δοριλάῳ [καὶ] Μορσίμῳ [καὶ] Μελανθίῳ . . . (Δι) [Πρὸ]ς τοῦ Διὸς [τίν]ων ὀνόμα[τα λ]έγεις; ἢ ποι[ητά]ς; etc.* Doctrina, qua auditorum admirationem suscitat dux colloquii, quorsum spectet et undenam sumta sit, latet nos. Tantummodo novimus hominum indignorum victorias secundum alios quoque scriptores bilem movisse poetae (cf. Varro apud Gell. XVII. 4. Aelian. V. H. II. 8). De Acestore vero, quem saepius explosit Aristophanes, haud absonum est in memoriam revocare ea quae narrat Valerius Maximus III. 7 (ext.), quoniam eandem illustrant animi fiduciam quae in Euripide a Satyro scriptoribusque Vitarum saepius *μεγαλοψυχία* dicitur. „Ne Euripides quidem arrogans visus est, cum postulante populo ut ex tragoedia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam dixit se ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere" (cf. quae de Danae de Palamede, aliisque fabulis circumferuntur) . . . „itaque etiam quod *Alcestidi* tragico poetae respondit probabile, apud quem cum quaereretur quod eo triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur, „Sed hoc, inquit interest quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficiunt.""

Historia litterarum Graecarum referta est hoc genere fabellarum quarum pars ex comoediae argumentis profluxit pars nata est ex scriptorum ingenio, qui animos lectorum nulla re magis quam narratiunculis et facete dictis mulceri scirent, pars autem in ipso popello, id est in theatri subselliis, originem capit. Quae de Euripide atque adversario poeta — *Alcestis* enim ille ignotus iam diu in Aeliani textu cessit *Acestori* — ex Aeliano adduxi,

felicissima sagacitate restituit Otto Crusius in libello c. t. Melanges Weil, quam, ut ipse vir doctissimus proposuit, ad Gerytaden. Exscribam fragmentum ita ut — incertissima sane sed lepida arte — a Crusio restauratum est.

αὗται λαλοῦσαι τὸν [⏑–⏒–⏑–
τρυχοῦσι πολλοῖς τ[όνδε νουθετήμασιν·
κακουμέναις γὰρ ν[ηλεῶς ἐν δράμασιν
ὑπὸ μητρυιῶν τε κ[αὶ πατέρων, ὥστ᾽ οἰκτίσαι,
οὐκ ἦλθ᾽ ἀρήξων ἀλ[λὰ –⏒–⏑–
νῦν οὖν ἄποινα π[εντασυρίγγῳ ξύλῳ
κατὰ τὴν Μελανίπ[πην . .

Neglegam versuum fines a Crusio adiectos, sed moneo in eo versu, quem adiutus scholiis *τι πεντα . . . υλον ενω λαζονται* ingeniosissime supplevit Crusius, eiusdemmodi significari supplicium quale Euripidis vice fungens subit *κηδεστὴς* eius in superstite fabula. Describit igitur is qui loquitur supplicium, quo affectum Euripidem aut videt aut antea viderat, deinde per anapaestos ita sive pergit sive alterum pergentem audit *ἀλλὰ ξεστῶν ετ . .* Haec verba significaverintne similem tabellarum usum, ac *πινάκων ξεστῶν δελτοὺς* ex Thesmophariazusis nostris (vs. 778) notas, haud scio. Hoc vero mihi quidem non dubium videtur, nonnihil obstare opinioni quam protulit Crusius, contendens Gerytaden fabulam, prorsus ut Ranas, ad deridendum Euripidem post mortem poetae esse compositam (Euripide qui de son vivant comme poète a si mal traité les femmes est mort et maintenant il expie cruellement ses péchés d'intention dans l'autre monde). Neque enim scenam Gerytadis — ad quam fabulam infra recurram — in Orco positam fuisse credo, neque mihi persuadeo fieri potuisse ut post Ranas peractas ad eiusmodi quale finxit Crusius inventum Aristophanes rediret. Quod autem ad Thesmophoriazusas alteras attinet, multum abesse quin mihi probabilia videantur ea quae audacissime Zielinskius coniecit, non est quod dicam.

II.

In fragmento 39 col. XV post ambages satis longas eo deducit sermonem colloquii dux ut dicantur quaedam de causis quibus motus Euripides ex urbe sua ad Archelaum regem migraverit. Si universam rem spectas hic quoque Vitarum scripto-

res eadem brevius reddunt quae fusius dedit Satyrus. Superbus poetae animus, invidia aequalium, odium Aristophanis, certaminum eventus parum secundi, infortunia denique domestica, passim ab hominibus eruditis et memorantur et fabellis illustrantur. Quae omnia testimoniis confirmare supersedeo. Satyrus autem doctius hoc loco quam in reliquo sermone rem suam agit. Quae enim brevissime in Vita Codicis Vaticani indicantur „ἐπέκειντο δὲ καὶ οἱ κωμικοὶ Φθόνῳ αὐτὸν διασύροντες" multo copiosius Satyrus fr. 39 col. XV. 21 ita enarrat: ἐκεῖνος γὰρ ἅμα μὲν προσοχθίσας τῷ ἐπιχωρίῳ Φθόνῳ τῶν πολιτῶν, ἅμα δὲ ἀχθόμενος ἐπὶ τῷ συννέμεσθαι πολλ[ά]κις Ἀκέστο[ρι κ]αὶ Δοριλάῳ [καὶ] Μορσίμῳ [καὶ] Μελανθίῳ ... (Δι) [Πρὸ]ς τοῦ Διὸς [τίν]ων ὀνόμα[τα λ]έγεις; ἢ ποι[ητά]ς; *etc.* Doctrina, qua auditorum admirationem suscitat dux colloquii, quorsum spectet et undenam sumta sit, latet nos. Tantummodo novimus hominum indignorum victorias secundum alios quoque scriptores bilem movisse poetae (cf. Varro apud Gell. XVII. 4. Aelian. V. H. II. 8). De Acestore vero, quem saepius explosit Aristophanes, haud absonum est in memoriam revocare ea quae narrat Valerius Maximus III. 7 (ext.), quoniam eandem illustrant animi fiduciam quae in Euripide a Satyro scriptoribusque Vitarum saepius μεγαλοψυχία dicitur. „Ne Euripides quidem arrogans visus est, cum postulante populo ut ex tragoedia quandam sententiam tolleret, progressus in scenam dixit se ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere" (cf. quae de Danae de Palamede, aliisque fabulis circumferuntur) ... „itaque etiam quod *Alcestidi* tragico poetae respondit probabile, apud quem cum quaereretur quod eo triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, atque is se centum perfacile scripsisse gloriaretur, „Sed hoc, inquit interest quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficiunt." "

Historia litterarum Graecarum referta est hoc genere fabellarum quarum pars ex comoediae argumentis profluxit pars nata est ex scriptorum ingenio, qui animos lectorum nulla re magis quam narratiunculis et facete dictis mulceri scirent, pars autem in ipso popello, id est in theatri subselliis, originem capit. Quae de Euripide atque adversario poeta — *Alcestis* enim ille ignotus iam diu in Aeliani textu cessit *Acestori* — ex Aeliano adduxi,

comoediae cuiusdam memoriam servare haud improbabile videtur.

Non enim solum certamine scenico Euripides per ultimos quos Athenis egit annos saepe victus est a „poetis indignissimis" sed etiam cum Melanthio, Morsimo Acestori similibusque hominibus coniunctim a comicis explosus. Huc spectant Satyri verba illa „*ἀχθόμενος ἐπὶ τῷ συννέμεσθαι πολλάκις Ἀκέστορι κ.τ.ἑ.*"; id quod apparet ex sequentibus. In columna enim XV perierunt, sicuti in ceteris huius fragmenti columnis, inferiores versus fere triginta; ex columnae insequentis initio literulae tantummodo quaedam supersunt, sed apparet, in ea parte quae periit egisse auctorem de fabula in qua poetae quidam Euripidi adversarii partes egerint. Ecce quae supersunt:

Fr. 39. col. XVI. 5 *ε . . . ο . . . . . χ . . . δὲ Σοφοκλ . . . λαβὼν παρ[ρ' Αἰ]σχυλου ν . . . ροσον . . . . . εσθολον Εὐριπιδην προς τοισιδεμβαλειν αλας . . νημενοσδοπωσαλασκαιμηλαλασ· εοικασιναvδροσ ειναι των α . . . διδασκοντων αυτω καθαπερ ειπασ.*

Ansam interpretationi praebuit Huntius editor adscribens: A quotation from a comedian, apparently giving a receipt for a dish of poetry: „Take some of Sophocles and Aeschylus, but put in a whole Euripides" i. e. you will want the whole in order to extract a flavour." — Versus ita interpretandos esse nemo negabit. Nec nimium a vero aberraveris, puto, si hunc fere in modum fragmentum restitueris:

ἔπειθ' ὅσον δραχμὴν δὲ Σοφοκλέους λαβών,
παρ' Αἰσχύλου στατῆρ' ὅσον προσθέσθ' ὅλον
Εὐριπίδην, πρὸς τοισίδ' ἐμβαλεῖν ἅλας,
μεμνημένος δ' ὅπως ἅλας καὶ μὴ λάλας.

Ne quis neglegentius a me actum esse in restituendo vocabulo *στατῆρα* censeat, moneo literulam *ν* in papyro ita scriptam esse ut literis *στ* propter proclivam *τοῦ σίγμα* formam simillima sit. Ceterum si quis iudicet, cum gravissimo pondere versuum Aeschyleorum parum convenire quod tribus scrupulis Sophocleis sex addantur Aeschylei, primum versum facili modo is ita suppleverit ut vocabulo *δραχμὰς* adiciatur adiectivum numerale. Quod vero ad extremum versum attinet, frigidum sane et salis expertem, operae pretium est memorare *τὸ λάλον* tam Agathoni quam Euripidi saepius obici, id quod Plutarchus quoque docet *de Aud.* 45 A *μέμψαιτο δέ τις . . . Εὐριπίδου τὴν λαλιάν.*

Coenam igitur quandam ex tragicorum frustulis componi in hac comica scena cum videmus, vix potest quin Aristophanis Gerytadis commonefiamus. Licet enim obscurissimum huius fabulae sit nomen, argumentumque admodum incertum, novimus tamen Aristophanem in hac comoedia magnam turbam tragicorum poetarum varie exagitasse coenamque paratam finxisse poetis famelicis miram, in qua concoquenda non solum adhibita essent:

ἀκροκώλι' ἄρτοι, κάραβοι, βολβοί, φακῆ

(Ath. III. 95 F), sed duriora quoque; nam querulus rogat nescio quis (cf. schol. in Vesp. 1313)

καὶ πῶς ἐγὼ Σθενέλου φάγοιμ' ἂν ῥήματα;

cui respondetur

εἰς ὄξος ἐμβαπτόμενος ἢ ξηροὺς ἅλας.

Quin ipse quoque Euripides rideri videtur; eius enim cantica procul dubio significabantur versu quem ex Gerytade Athenaeus refert III. 99 F

θεράπευε καὶ χόρταζε τῶν μονῳδιῶν,

certe vix quisquam ingeniosius ac lepidius *ἐχόρτασε τοὺς θεωμένους τῶν Εὐριπιδείων μονῳδιῶν* quam Aristophanes in Thesmophoriazusis et tandem in Ranis.

Versus a Satyro servatos in fabula ab adversario Euripidis dictos fingi docent verba *ἐοίκασιν ἀνδρὸς εἶναι τῶν ἀντιδιδασκόντων αὐτῷ καθάπερ εἶπας*, Aristophani autem ipsam fabulam tribuendam esse apparet ex iis quae statim sequuntur: *ἀτὰρ σιναμώρως γε κἀνταῦθα πάλιν ὁ κωμῳδοδιδάσκαλος ἐπέδακνεν τὸν Εὐριπίδην.* Hanc igitur fabulam Gerytaden fuisse credo. Quod si recte suspicatus sum, apparet hanc comoediam — quam in Orco locum habere sine iusta causa et Crusius et multi alii ex notissimo fragmento quod incipit *καί τις νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας ἔτλη κατελθεῖν* effecerunt — anno ante quam Euripides in Macedoniam profectus est, in scenam prodiisse, itaque anno 409/8. Pergit autem Satyrus: *τοῦ δ' ἑπομένου χειμῶνος* et post lacunam quadraginta fere versuum — angustissimae autem sunt columnae et decem vel summum duodecim literis constant — *ὅπου ποτ' οἰκεῖ ὤσματος λαχὼν μέρος, ἐν χερσίν, ἐν σπλάγχνοισιν ἢ παρ' ὄμματα.* Quos versus in theatro scurriliter explosos esse addit.

Notum est id quod hic affertur fragmentum; sunt enim versus *περὶ Φθόνου* quos auctore Stobaeo (XXXVIII. 8) Inoï fabulae

adscribere solebamus, quoniam Lemma Stobaeanum, quod deest in Trincavelliana editione, indicat Εὐριπίδου ἐξ Ἰνοῦς. Verum enim vero, nisi mavult quis Satyrum gravissimi erroris insimulare, qui hosce versus a poeta ad increpandam civium invidiam, extremo vere antequam „διαμαρτυρίαν θέμενος ἀπείπατο τὰς Ἀθήνας", pronuntiatos esse dicat, necesse est, quandoquidem Ino fabula ante Acharnenses Aristophaneas in scenam prodiit, titulum in libris Stobaei corrigere. Lene erit remedium si pro litteris ἐξινους legemus Ἰξίονος; quod temporum rationi convenit, constat enim secundum Philochorum, optimum in hac re testem, Ixionem fabulam doctam esse post Protagorae mortem, itaque post annum 409 (cf. Jacoby Apollodors Chronik p. 268), simul mire congruit quod variae apud antiquos circumferebantur fabellae quibus demonstraretur iniquis animis hanc tragoediam ab Atheniensibus acceptam fuisse. Notum est quod habet Plutarchus *de Aud. poet.* c. 4 p. 19 E, novum autem id quod affert Satyrus, nempe auditis illis de invidia versibus „ὅπου ποτ' οἰκεῖ" *e. q. s.*, surrexisse quendam et exclamasse χλευαστικῶς „ὅπα καθεύδουσ' ἁ κύων τὰν ῥῖν' ἔχει". Hoc, ut mihi quidem videtur σκῶμμα Μεγαρικὸν σφόδρα, non necessario debetur comoediae cuidam in qua Ixion fabula sit explosa. Potius sumam, scurram nescio quem, quae est licentia Atheniensium, interpellasse histrionem versu omnibus civibus fortasse tunc noto, qui ex Epicharmi aliusve poetae Dorici fabula sumtus, propter ipsam nativam scurrilitatem in proverbium abiisset. — Invidia itaque civium secundum Satyrum Euripidem movit ut ex urbe sua ad Archelaum proficisceretur. Quod palam indicasse civibus Atheniensibus videbatur stasimo illo quod incipit χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ (Nauck fr. Tr. 911). Verum si vidit Satyrus, cum cuius verbis ea quoque comparari possunt quae subobscure significat Plutarchus *An seni* c. 5 (οὐ τοῖς Εὐριπίδου χρυσοῖς πτεροῖς), duo sunt quae pro certis sumi licebit, primum canticum illud ex poetae *Archelao* sumtum esse, deinde fabulam eam secundum Satyri auctores non in ipsa Macedonia scriptam fuisse sed Athenis, ante quam iter Macedonicum instituisset Euripides.

Sed haec indicari tantummodo sufficiet. Quae de extremis annis poetae in Archelai aula peractis, partim ex Macedonicis, ut diserte testatur, scriptoribus, refert Satyrus, separatim tractari praestat.

DE ILIADIS FONTIBUS ET COMPOSITIONE.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.

(*Continuantur ex pag.* 63).

d. *De fontibus Iliadis in superioribus non pertractatis.*

Troianorum sociis Lycii, i. e. verae Lyciae incolae, nam de Pandari eiusque copiis supra iam egimus, haud dubie additi sunt a poëtis qui ad augendam fabulam Troianam, eorum adhiberent bella cum Graecis e Dorum gente. Dores enim constat in eorum consedisse vicinia occupatis saeculo a Chr. n. fere XI vel X insulis Rhodo, Coo aliis circumiacentibus et litore Cariae his opposito, eosque Lyciis hostiles fuisse ipsa docere videtur Ilias. Nam Dores respici ubi narratur Tlepolemus (B 653 sq. cf. E 627 sqq.) cum popularibus Rhodo contra Troianos profectum esse perspicuum est, tum quia eos tripertitos habitare poëta tradit (B 655) quod idem de Doribus Peloponnesiis notissimum est, tum quia non aliter ac horum reges Tlepolemus fingitur Herculis progenies, ut etiam Dores spectari apparet ubi Coi proximarumque insularum incolae ducibus Thessali filiis Hercule nati inter Agamemnonis copias commemorantur (B 676 sqq.); Tlepolemum autem discimus (E 627 sqq.) cum Sarpedone Lyciorum rege pugnantem ab hoc occisum esse, quod certamen ne censeamus propterea inventum esse quod antea iam Lycii ferrentur inter Troianorum fuisse socios, propterea retinemur quia èt huius rei nulla caŭsa cernitur, contra bella Lyciorum cum Doribus si forte carminibus celebrata essent, nihil mirum erat deinde in maiorem belli Troiani gloriam usurpari, èt ab altera parte apparet cum Ionibus intercessisse Lyciis vincula amicitiae et affinitatis. Nam in Iliade legimus horum reges Glaucum et Sarpedonem Graeca stirpe oriundos fuisse, narrat enim Glaucus in colloquio cum Diomede (Z 152 sqq.) Bellerophontem avum suum et Sarpedonis, habitantem in urbe Ephyra, inde in Lyciam

profectum, duxisse regis Lyciorum filiam eique in regnum successisse, quod quamvis ex Homero non appareat ubi illa urbs sita fuerit [1]), ad Iones pertinere testatur Herodotus (I 147) cum tradat Ionum Asiaticorum nonnullas regias gentes a Glauco duxisse originem. Tamen illa ratio inter Lycios et Iones vix existere potuit nisi aliquando finitimi fuissent, itaque veri simile est in ora Cariae anteqnam Dores eo advenissent, Iones consedisse qui etiam postea a sinu Iassico eam contingerent. Initio Bellerophontem Graecis inter numina fuisse docent multa quae de eo ediderunt scriptores [2]), quo etiam tendit quod apud Homerum chimaeram vincit, ἡ δ' ἄρ ἔην θεῖον γένοσ οὐδ' ἀνθρώπων [3]), ut etiam Glaucum apparet fuisse deum marinum, qui et aliis locis coleretur et praecipue Anthedone in urbe Boeotiae [4]). Pro Sisyphi prole eum habitum esse facile intelligitur si hunc quoque initio inter deos maritimos fuisse recte censent multi vv. dd.; sed qui factum sit ut Bellerophontem cum Glaucone sanguinis vinculo iunxerint poëtae, utrum hoc iam in Graecia factum sit an in Asiae denique litore, cur illis praecipue heroïbus rationes cum Lyciis intercessisse narrentur, omnino utrum in Graecia iam an in Asia a deis in heroës conversi sint, hic non opus est rogare: hoc dubitari nequit quin a poëtis Ioniis Lyciorum regibus sint additi. Idque ut ante Homeri aetatem usuvenerit

1) Urbs Ephyra in Thesprotia commemoratur B 659, sed nostram Ephyram cum poeta dicat sitam μύχῳ Ἄργεοσ ἱπποβότοιο et subiectam imperio regis Proeti qui quin in Peloponneso habitasset nemo ex antiquis unquam dubitavit, non credibile est hic de urbe Thesprotiae cogitandum esse. Aristarchus intellegebat Corinthum (cf. Schol. ad Z 152), haec vero urbs suo nomine appellatur B 570 N 664. Tamen Corinthum voluisse videtur poëta noster, cum in hac urbe Sisyphum iam collocaverit poëta Eumelus (Pausan. II. 22) qui e nostro loco hoc didicisse non potuit, ex alio igitur fonte antiquo id hausit, quem fontem nostro cognitum fuisse veri simile est. Nam etiam omnes qui post Eumelum de ea re egerunt eandem tradiderunt Sisyphi sedem et Herodotus auctor est (I 147) nonnullos reges Ionum Asiaticorum Glaucum Sisyphi prolem pro generis auctore habuisse — Iones autem Asiaticos cum ex Attica tum e Peloponneso profectos supra monuimus — a nostro Ephyra Proeto regi Peloponnesio subiecta dicitur. Cur ergo Ephyram usurpat? Sisyphus ab eo Aeoli filius dicitur heroïs Thessali. Videtur ergo Sisyphus initio carminibus Thessalorum celebratus esse, cumque Strabo tradat (IX. 442) prope Crannonem Thessaliae urbem habitasse olim populum cui nomen Ephyris, haud absurde conicias a cantoribus Thessalis Sisypho tributam esse urbem Ephyram, idque nomen retentum ab iis poëtis qui eum Corinthum traducerent.

2) Paus. II. 2. 4; 4. 1 sqq.

3) Z 180..

4) Paus. IX. 22. 6. Strab. VIII. 405.

ipsa fert ratio, praeterea rem confirmat hoc quod chimaeram quam a Bellerophontis rebus gestis nemo seiunget Amisodarus quidam natione Lycius eduxisse dicitur Π 528 ne verbo quidem explicandi causa rem addito; quae igitur auditoribus cognita erat.

Iamvero etiam Tlepolemi cladem in Iliade traditam poëtis Ioniis deberi veri simile est. Nam id ipsum quod victoria Sarpedoni tribuitur in certamine cum eo, id quod apud Homerum si excipis Patroclum ab Hectore interfectum inauditum est e principibus Graecorum ducibus aliquem a Troiano duce vinci, indicio est eum qui hoc excogitaverit Lyciis magis favisse quam Doribus eorum hostibus. Sarpedonem non aliter atque Glaucum initio inter Graecorum numina fuisse e diversis efficitur indiciis. Nam alii narrabant Iove, alii Neptuno eum natum esse [1]), Sarpedonia dicebatur insula ubi Gorgones habitarent [2]), Aquilo ferebatur Orithyiam duxisse ad saxum Sarpedonium [3]), in Cilicia fuit delubrum Apollinis Sarpedonii [4]) et Dianae Sarpedoniae [5]), praeterea in Thracia promontorium Sarpedon [6]). In hominem conversum et Lyciorum regem factum non mirum est eum cum Glauco cognationis vinculo coniunctum esse, ut apud Homerum hic dicit (Z 197 sqq.) ex sua amita Iovem eum procreasse. Sed cum alii dicerent eum esse filium Iovis ex Europa et in insula Creta a matre editum [7]), suspicari licet, siquidem veri simile est ex hac insula Lycios in novam patriam advectos esse [8]), deum Sarpedonem Graecos a Lyciis transsumsisse et praecipue Iones adductos peculiari natura quae huic deo tribueretur, quem haud absone censeas ventis imperantem fictum esse, promontoria, insulas, litora, quae in navigationibus suis propter vim procellarum sibi notassent, pro eius domiciliis habuisse. Itaque etiam a Ionum poëtis primis eum in hominem esse conversum in promtu est, deinde Dores, si in superioribus recte disputavimus Iones antequam hos rationes cum Lyciis habuisse, cognovisse Sarpedonem Lyciorum heroëm.

Consideremus utrum in bellum Troianum iam ante Homeri aetatem an ab hoc primo Tlepolemus, Sarpedon, Glaucus denique

1) Apollod. II. 105. 2) Cypr. fr. 21. 3) Pherec. Fr. H. Gr. I 97. 104.
4) Diod. XXXII. 11. 5) Strab. XIV c. 5. 676. 6) Apollod. II 105.
7) Apollod. III. 3.
8) Ed. Meyer Gesch. des Alterth. I². 2 p. 624, Herod. I 173 VII. 99. Paus. VII. 3. 7.

Lycii arcessiti sint. Hector ubi Agamemnonem vulneratum ex acie discessisse cognovit suos adhortatur (Λ 285 sqq.), his verbis eos allocutus Τρῶεσ καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμαχηταί. Ceteros locos omnes ubi Lycii sive cum ducibus suis sive sine eis in Iliade commemorantur, utrumque etiam locum (Δ 197, 207) ubi Pandari comites hoc nomine significari videntur, denegandos censemus — id quod posthac demonstrandum erit — Achilleïdi, is vero locus, nisi interpolatus est, id quod nihil est cur credamus, Irae Cantori videtur tribuendus. Atqui hic manifesto ita Lycios simul cum Troianis et Dardanis appellat ac fieri non potuit nisi tangeret rem omnibus notam. Unde efficiendum est iam ante eius aetatem aliquod carmen esse conditum quo distincte significarentur illi stetisse a Troianorum partibus. Sponte autem se hic nobis offert certamen Sarpedonis et Tlepolemi. Nam proelia a Lyciis cum Doribus finitimis commissa non tantum perquam credibile est ab horum cantoribus ante Homeri aetatem carminibus celebrata esse inque eis Tlepolemum et Sarpedonem primarias egisse partes, sed etiam facili negotio carminis alicuius ex horum numero argumentum, ita reformare potuit poetarum Ioniorum aliquis ut auditoribus nihil dubii relinqueretur quin proelium quod ageretur, pertineret ad bellum Troianum, proelio simul exitu ita mutato ut victoria, id quod poëtae Dorii consilio convenire non potuit, Sarpedoni tribueretur. Utrum Catalogi auctor ea quae de Tleopolemi iuventute deque eius fuga tradit (B 657), quae perspicuum est item primum a Doribus Asiaticis cantata esse recta via ex eorum carminibus hauserit an a Ionio poëta inde deprompta transsumserit, neque patet neque ullius momenti est. Sed cetera quae de Lyciis apud Homerum narrantur, si discedis a Sarpedonis cum Patroclo certamine et a Glauci cum Diomede colloquio, non videntur respicere argumenta carminum antiquorum. Primum de Sarpedone videamus. Hic in Τειχομαχίᾳ quoque primario loco est, sed nihil haec habet cur censeas hanc Graecorum cladem iam proprio carmine celebratam esse antequam Iliadi insereretur [1]). Et locos ubi obiter ap-

1) In Τειχομαχίᾳ tangitur mors Asii (M 110 sqq.) qui in proelio apud naves occiditur ab Idomeneo (N 348). Iam vero ea quae in hoc proelio ad Idomeneum. pertineant, ei inserta esse ab auctore recentioris aetatis supra suspicati sumus (Mnem

pellatur (Ξ 426, Ο 67, Ρ 150 sqq., Ψ 800) vel proponitur Hectorem perstringens (Ε 470 sqq.) vix opus est monere non ex antiquis fontibus haustos esse. Ἐπεισόδιον quo narratur mors ei a Patroclo illata, cum in eo tangatur Τειχομαχία (Π 511 sqq., 558 [1]) non potest esse antiquior hac. Neque revera ullo alio consilio egisse videtur is qui Patrocli victoriam ex eo reportata invenit, nisi ut Πατροκλείαν ornaret novo aliquo facinore. Sed quoniam Sarpedonis mors tangitur in ἐπεισοδίῳ quod est de eius cum Tlepolemi certamine, ibi enim poëta postquam eum quoque graviter vulneratum narravit, addidit (Ε 668) πατὴρ (i. e. Ζεὺσ) ἔτι λοῖγον ἤμυνε, forsitan ipsa mors non ab auctore certaminis cum Patroclo inventa sit. Nam supra suspicati sumus poëtam qui eum saucium quidem sed tamen victorem a Tlepolemo discessisse narraverit, certaminis exitum quem in fonte suo invenisset mutasse. Accedit quod colloquium Iovis cum uxore quod Sarpedonis morti praemittitur (Π 431 sqq.) et Sarpedonis corpus abductum a fratribus geminis Morte et Somno (Π 450 sqq., 666 sqq.) nescio quomodo prodere videntur fontem antiquum. Praeterea a multis ferebatur Sarpedon ab Hercule esse interfectum [2]), quem a deo in heroëm conversum imprimis a Doribus cultum esse scimus. Qua propter fieri potest ut initio Dorum cantores ipsum Herculem maioribus suiis adfuisse in bello contra Lycios et horum principem interfecisse narraverint, deinde Tlepolemum pro patre substituerint. Hoc si sumitur poeta Ionius cum contra Sarpedonem illo interfecto pugnae superstitem narraret censendus est verbis πατὴρ δ' ἔτι λοιγὸν ἤμυνε notavisse qua in re dissentiret ab auctore carminis quod pro fonte haberet. Ceterum facile intelligitur victoria quam de Tlepolemo reportasset Sarpedon, ansam dedisse Τειχομαχίασ auctori ut plura fortia facta ei tri-

---

1912. p. 35). Recentissimam originem Τειχομάχίασ etiam prodit vs. Μ 15, ubi Troia decimo belli anno expugnata dicitur, nisi hunc versum spurium iudicas cuius rei iustam causam non video.

1) Locum Π 558 ὃς πρῶτοσ ἐσήλατο τεῖχοσ Ἀχαιῶν propter levem discrepantiam, revera enim non Sarpedon primus in castra Graecorum irruit, verum Hector, ille primus effregit propugnaculum, spurium putantes vv. dd. Koechly et Leaf, ille delet vss. 556—562 hic vss. 555—568. Hoc autem nostra nihil refert cum tamen restet alter locus Π 511 sq.

2) Cf. Gruppe l.l. (p. 220 ann. 7) qui affert Inscr. Graec et Sicul. (ed. Kaibel) 1293, 81. S.

bueret atque sic factum esse ut auctor eius certaminis cum Patroclo neminem digniorem putaret quem huic opponeret.

Nunc de Glauco videamus. Hic praeterquam coniuncte cum Sarpedone, invenitur H 13 ubi vulnerat Graecorum aliquem Iphinoum, quem locum nemo censebit ex antiquo fonte haustum. Colloquium cum Diomede (Z 119—256) maxime propterea Iliadi insertum videtur ut edatur Glauci *γενεαλογία* ad Sarpedonem quoque pertinens (Z 197), memorentur casus et res gestae Bellerophontis ex antiquioribus Ionum carminibus petita (vide supra p. 244), narretur superbia regis Lycurgi Bacchum eiusque *τιθηνάσ*, per iuga Nisaei proturbantis cuius rei Diomedes fingitur mentionem facere haud dubie depromptae e carminibus Boeotiis in Asiae litore pervulgatis. Sed colloquium ipsum et hospitium quo iuncti finguntur Oeneus et Bellerophon, quin excogitasse credas eundem qui Iliadi inseruerit nihil obstat. Permutationi armorum qua vehementius motus poëta exclamat (Z 234 sqq.) *ἐνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδησ Φρένασ ἐξέλετο Ζεὺσ ὃσ πρὸσ Τυδεΐδην Διομηδέᾳ τεύχε' ἄμειβε χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεα βοιῶν*, verisimile est subesse veram aliquam rem quam poëta undevis cognitam memoria tenuerit. Postremo Lycii sine suis ducibus referuntur Λ 285 sq., de quo loco supra egimus, Θ 173, N 150, O 424 sq., 485 sq. quibus omnibus eadem formula legitur *Τρῶεσ καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμαχηταί*, ex illo loco repetita, tum Z 78 ubi Helenus dicit *Αἰνεία τέ καὶ Ἕκτορ ἐπεὶ πόνοσ ὔμι μάλιστα Τρώων καὶ Λυκίων ἐγκέκλιται* qui locus haud dubie debetur auctori *Ἕκτοροσ καὶ Ἀνδρομάχησ ὁμιλίασ*, e nullo antiquo fonte haustus, postremo K 430 ubi Troianorum socii recensentur quos auctor undique ex Iliade conflatos in antiquo suo fonte, si de eo recte disputavimus (supra p. 44) invenire non poterat.

Tlepolemum e Dorum Asiaticorum carminibus ad poëtas Ionios pervenisse monuimus, quaeque de eius iuventute et fuga e Peloponneso tradat Catalogi auctor (B 657) incertum esse utrum recta via ex illis deprompserit an transsumta ab his cognoverit. Quo eodem modo iudicandum est de Phidippo et Antipho Thessali filiis qui apud Homerum non inveniuntur nisi in Catalogo (B 676 sqq.). Primum hos a Doribus celebratos esse inde effici supra ostendimus èt quod ab Hercule genus suum ducerent et quod Coo insulisque adiacentibus imperarent, a Do-

ribus saeculo fere XI vel X occupatis [1]). Cumque antiquos insulae Coi incolas Meropes audisse constet, nomen quoque Meropis nobilis Troiani qui in Iliade collocatur Percote in urbe Troadis ex eodem fonte atque Thessali filios arreptum esse veri similiter monuit vWilamowitz Moellendorf v. cl. [2]). Sed etiam in eis insula Cos commemoratur quae narrantur de Hercule ipso. Nam in Iliade legimus (E 640 sqq. Ξ 249 sqq.) eum diruisse Troiam cuius urbis rex Laomedon, cui bene fecisset, ei dare nollet equos suos propter quos e longinquo venisset, in reditu autem ab urbe deleta dolo Iunonis cuius admonitu Somnus Iovem sopivisset, delatum esse in illam insulam (Ξ 254 sqq., O 26 sqq.). Itaque in promptu est haec deberi cantoribus habitantibus aut Coum ipsam aut e circumiacentibus insulam aliquam aut litus Cariae adiacens, quocum convenit quod his locis Dores consedisse vidimus, Hercules autem quamvis ab aliis etiam Graecorum gentibus coleretur, tamen eius res gestas in hominem conversi imprimis a Doribus celebratas esse constat [3]). Omissis nominibus insulae quo deferretur et urbis quam diruisset, fieri potest ut iam a Doribus Peloponnesiis eadem materies tractata sit. Sed Laomedontis urbem ab initio non Troiam audisse mox ostendam et verisimile est id nomen tum cum Troia propter Aeolum Ionumque carmina celeberrima facta esset in litore Asiae, ideoque etiam Herculi suo rationes cum ea interfuisse vellent Dores Asiatici, ab his simul ac insulae nomen additum esse. Ad devinciendum Iovem sopore illo importuno, utrum Iuno in Herculis causa, ut ubi Troianis nocitura eundem dolum denuo machinaretur (Ξ 153 sqq.), suas quoque illecebras adhibuerit maritum ad rem Veneream pelliciens, an soli Somno reliquerit eum consopiendum vix sciri potest. Hoc veri similius

1) Cos nostro loco dicitur urbs Eurypyli cum tamen quae ratio huic cum Thessalo intercesserit siletur. Atqui Eurypylum inter Thessalorum heroes fuisse et ceteroquin notissimum est et apparet B 736. Ab altera parte nulla sunt vestigia Herculem in Thessalia cultum esse. Credibile igitur videtur initio Eurypylum et Thessalum cognatos esse habitos, postea Herculem esse insertum idque a Doribus, initio igitur illos celebratos esse a Graecis qui ante Dores e Thessalia in Cretam advenissent. Cf. Ed. Meyer Gesch. des Alterth. I p. 261 sq.

2) Isyllos p. 52. A 20. — Nomina Meropis filiorum Adresti et Amphii arrepta esse e carminibus de bello Thebano monuit Usener (der Stoff des Gr. Epos 1897 p. 37).

3) Cf. Ed. Meyer l.l. p. 259 sqq.

videtur, nam coniugum amoribus Somni ministerium sane supervacuum fiebat, quapropter hoc Διὸσ ἀπάτησ auctor videtur deprompsisse e carminibus quibus res Herculis agerentur, illos rei ornandae causa ipsum addidisse. Neque eos e nihilo confinxit, dubitare enim non licet quin adhibuerit carmen antiquum quo ageretur ὁ ἱερὸσ γάμοσ [1]). Quo etiam referendum videtur cingulum Veneris ἔνθα τέ τοι θελκτήρια πάντα τέτυκται (Ξ 214 sqq.). Auctori enim nostro non ignaro Iunonem Veneremque a diversis partibus in bello Troiano stare (Ξ 190 sqq.) minus consentaneum erat illam fingere a matre cupidinum lenocinia petentem, nisi hoc in fonte suo invenisset. Seriem mulierum quas a se amatas, minus cupide quam tum uxorem se petivisse profitetur Iuppiter, manifesto undique conflavit interpolator. Quod autem poëta noster narrat Iunonem Lemni Somnum convenisse, cur ibi potissimum hunc degisse finxerit latet, neque e Dorum carminibus hoc transsumsisse videtur, quippe cum insula Lemnus longius abesset a locis ubi Dores habitarent. Sed quod Iuppiter quo tempore Hercules in insulam Coum advenit experrectus re perspecta uxorem ex Olympo suspendit manibus vinctis et duabus incudibus affixis pedibus (O 18 sqq.), deos qui ei auxilio venire studerent disiecit (Ξ 257, O 23 sqq.), Herculem reduxit in terram Argolicam (O 29 sqq.), haud dubie Διὸσ ἀπάτησ auctor in fonte suo Dorio invenit. Quo etiam referremus locum A 566 sqq. ubi legimus deorum patrem Vulcanum matri ad auxilium accurrentem pede prehensum e coelo detorsissise ita ut per totum diem lapsus in insulam Lemnum deveniret, nisi ipsa rursus illa insula commemorata obstaret. Ac sane Vulcanum e coelo deiectum, quo perspicuum est fulminis ictum significari, diversis rationibus constat explicatum esse, ut Σ 395 sqq. eadem res tribuitur matris saevitiae. Ceterum quod in Iliadis ἐπεισοδίῳ quo narratur Tlepolemi cum Sarpedone certamen, Herculis expeditio Troiana ita tangitur (E 637 sqq.) ut appareat eam bello

1) Muelder v. cl. l.l. p. 127 „mythologische Unklugheit blieb es vorbehalten in der ursprünglich auf faunisches Lachen berechneten Zeichnung die fromme Beschreibung einer religiösen Zeremonie, einer „heiligen Hochzeit" zu sehen". Aperte confiteor malle me a viro doctissimo stoliditatis postulari quam aut credere e nullo fonte antiquo hausisse nostrum, aut pro fonte fuisse iocum scurrilem („ein Herculesschwank").

Troiano quod Agamemnone duce gereretur temporis ordine antecessisse, aetatum haec definitio Ionibus deberi puto. Eos enim Dorum poëtas qui Lyciorum cum Doribus bella cantarent credibile non est rerum Troianarum rationem habuisse, ex his igitur illa non oriunda est. Ab altera parte illi Dorum cantores qui Troiae excidium Herculi tribuerent, non erat Agamemnonem cur memorarent. Verum Ionum poëtae qui horum carmina cognovissent consentaneum erat cum ambas expeditiones in unam coniungere non possent, ita eas temporis ordine distinguere ut utrique locus daretur.

Laomedontis autem sedem initio non Troiam fuisse, inde sequitur quod in urbe Sicyone a Doribus habitata ante quam in litus Asiae transmitterent regnasse ferebatur Lamedon quidam [1]) quem a Laomedonte non diversum fuisse apparet, quia huic tribuebatur filius Clytius [2]) et uxor Zeuxippe [3]), alteri socer Clytius [4]) et filia Zeuxippe [5]); Clytius vero alio nomine Orcus est [6]), et nomen Zeuxippe spectat ad equos quibus in Iliade Laomedon insignis fuisse narratur (E 268 sqq.). Itaque Laomedon ante quam rex mortalis esset, ipse fuit inferorum tyrannus, quem *κλυτόπωλον* dicere Homerum nemo nescit, quodque Neptunum et Apollinem ei servisse poëta tradit — facit enim (Φ 442 sqq.) maris deum fratris filium alloqui: *οὐδέ νυ τῶν περ μέμνησαι ὅσα δὴ 'πάθομεν Ϝιλίον ἀμφὶ μοῦνοι νῶι θεῶν ὅτ' ἀγήνορι Λαομέδοντι παρ' Διὸσ ἐλθόντεσ 'θητεύσαμεν εἰσ ἐνιαυτὸν μίσθῳ ἐπὶ ῥητῷ* — habemus hic aliam imaginem eiusdem fabulae aliunde notae, qua Apollo regi Admeto servisse tradebatur. Unde porro sequitur ut ubi Hercules narratur Laomedontis urbem evertisse alia forma eadem materies tractata esse videatur atque ubi refertur Orcum sagittis suis vulnerasse *ἐν Πύλῳ ἐν νεκύεσσι* (E 397) et absportasse *κύνα στυγεροῖ' Ἀϝίδαο* (Θ 267 sqq.), aut ubi dicitur regem Neleum devicisse eiusque filios interfecisse (Λ 691 sqq.).

---

1) Paus. II c. 6. 3.
2) Υ 238.
3) Schol. Γ 250.
4) Paus. II 6. 5.
5) Paus. l.l.
6) Caletor Clytii filius ab Aiace Telamonio interficitur O 419 sqq. Clytium vero et Caletorem initio eosdem fuisse atque Clymenum et Calesium vix quisquam negabit. De deis inferis Clymeno et Calesio cf. Usener Göttern. p. 39. Stoff des Gr. Ep. p. 25 sqq.

Iamvero deos Neptunum et Apollinem amandationem e coelo sibi contraxisse propter insidias Iovi structas poëtae sibi proposuisse videntur. Apud Homerum enim legimus (A 400) si mss. fides est, Iunonem Neptunum Minervam, si Zenodoto credimus, Iunonem Neptunum, Apollinem consilium inisse vinciendi deorum regem, Zenodoti autem auctoritas non sufficit ut statuamus eius loci auctorem Apollinem pro Minerva appellasse, sufficit ut credamus antiqua carmina illi nota fuisse quibus res ita proponeretur; horum autem carminum auctores veri simile est coniurationem et exilium coniunxisse. Sed quoquo modo hoc se habet utramque rem initio pertinuisse ad mythos quibus naturae *φαινόμενα*, imbres procellae solis labores terrae motus deberi fingerentur numinum proeliis et inimicitiis satis constare videtur [1]). Quo etiam vis Iunoni a marito illata deorumque acerba vexatio referenda esse videtur. Iunonis poenam forsitan initio non narratum sit propter Herculem sed propter coniurationis societatem ei inflictam esse.

Ceterum Laomedon cum in hominem conversus esset quaestio oriebatur unde rex mortalis equos sibi comparasset, qui essent *ἄριστοι ἵππων ὅσσοι ἔασιν ὑπ' ἠόα τ' ἠέλιόν τε* (E 266 sqq.) In eam expediendam nonnulli adhibuerunt mythum quo ageretur raptus Ganymedis, Laomedontis apud Homerum avunculi, nati patre Troë, cui Iuppiter equos dedisset compensandos cum filii raptu (E 265 sqq.). Apparet autem ex his, aut tum denique Ganymedem cum Laomedontis rebus coniunctum esse cum hic iam rex Troiae crederetur, aut eum cum primum coniungeretur,

1) Coniurationem a Iunone, Miverva, Neptuno factam esse propter Iovis Troianorum studium, de quo non dubitasse poëtas qui numen in Ida cultum pro eodem haberent atque Iovem Olympium, censet vLeeuwen Mnem. 1906 p. 294 sqq. De patre Idaeo in unum coniuncto cum Iove Olympio assentior, coniurationem nolim huc referre. Si patrem Idaeum poëtae a Iove distinxissent nihil vetaret credere illum a deis Graecorum res tuentibus impugnatum esse. Sed mundum regi certo imperio iam diu, credo, ante Homeri tempora poëtae res coelestes ad instar rerum humanarum sibi proponentes, persuasum habebant, Apud Homerum Iuppiter ceteros deos longe superat viribus et potestate, quod ab Homero inventum esse parum credibile est. Olim naturae *φαινόμενα*, tempestates, fulmina, talia homines adduxerant ut putarent de summa imperii certari inter deos; poëtae epici fabulas inde ortas non respuerunt, sed rem remiserunt ad tempora longinquissima. Etiam quod Briareus Iovi auxilium fert A 401 sqq. eo tendere videtur, quod haud dubie antiquo mytho adscribendum est. (A Thetide eum invocatum pro Irae Cantoris habeo invento.).

factum esse non Troïs sed ipsius Laomedontis filium, quorum utrum verius sit sciri non potest; ceterum ab iis poëtis donum equorum raptui additum esse videtur qui coniungerent. Tamen Aeneae stemmatis auctor quamvis non ignorans raptum Ganymedis et Laomedontis avunculum hunc fingens (Υ 230 sqq.), illo non usus esse videtur ad Laomedontis equorum originem explicandam. Nam in raptu commemorando donum equorum tacet, sed Erichthonium, quem Laomedontis proavum fingit, duodecim pullos possedisse dicit ab Aquilone procreatos quorum divinam praestantiam copiose enarrat (Υ 225—229) [1]. Poëtam hunc ante Homeri aetatem eodem carmine èt Aeneae stemma èt eius certamen eum Achille comprehendisse, ex antiquissimis autem de bello Troiano carminibus arcessivisse Erichthonium, Troem, Ilum, Priamum, tum ex iis carminibus quae de Pedaso et Lyrnesso ab Achille captis agerent Dardanum et Aeneam cum matre divina, porro e carmininibus Peloponnesiis in Asiae litore vulgatis Anchisen Aeneae patrem avumque Capyn in superioribus vidimus [2]. Laomedontem eum filio Clytio haud dubie recepit e Dorum carminibus quibus Herculis contra eum expeditio tractaretur atque Ganymede sive ex his deprompto sive ex alio fons quisquis fuit cuncta nomina ita composuit ut Dardanum ceteris praemitteret, Ganymedem post Troëm, Laomedontem post Ilum, interponeret, Capyn faceret Laomedontis fratrem patruelem, huic autem ut patrem daret excogitavit Assaraci nomen ob nullam aliam, ut videtur, causam nisi quod eius temporibus Assyrii imperarent magnae Asiae parti, ita gloriam aucturus regiae domus ab Aenea originem suam derivantis

---

1) Erichthonius videtur initio fuisse numen rusticum armentorum tutela. Quod eius equas amasse dicitur Aquilo, tam ea re videtur significari vis coeli et tempestatum in valetudine armentorum conspicua quam spectari equorum celeritas. Quod autem in mythologiis Atticis idem Aquilo Erechthei filiam rapuisse narratur nonnihil ea re confirmatur quod supra suspicati sumus (Mnem. 1912 p. 23) nomen Troiae Homericae deberi colonis e Troianorum demo Attico qui fuerint inter primos Graecos illius urbis postquam diruta esset sedes occupantes.

2) Mnem. 1912 p. 23, p. 292 sq. p. 316, Satis insulsa est narratiuncula quam offendimus N 465 sqq. Aeneam infantem eductum esse domi Alcathoi sororis mariti An credimus Anchisem iam patrem familiae cui gener esset, a Venere amatum esse? Neque patres sed filii familiarum greges pascebant. Atqui Aeneam Venus peperit ὑπ' Ἀγχίσῃ βουκολέοντι (E 313).

cuius honoris causa demonstravimus ipsum stemma ab eo esse constitutum. Sed Clytio cur fratres addiderit (Υ 237 sq.) Tithonum, quem initio deum fuisse arguit uxor Aurora (Λ 1), Lampum Hicetaonem latet [1]). E stemmate nostro is qui *Διομήδουσ ἀριστείαν* Iliadi inseruit quamquam non hausit — id quod supra vidimus — donum equorum pro Ganymede rapto, tamen hausisse potest cum hunc Troïs filium diceret (Ε 266). Sed narratiunculam qua origo equorum Aeneae a Laomedontis equis duceretur ipsum invenisse credibile est.

Ceterum huic quoque quaestioni respondendum erat, quo iure regis Laomedontis equos petisset Hercules. Quod non totidem verbis ex Homero discitur sed tamen diversis locis comparatis ex eo efficere licet. Uno enim Iliadis loco (Ε 650) legimus regi bene fecisse Herculem, altero loco (Υ 144 sqq.) eum certasse in litore Troiae cum belua immani a qua si premeretur ut in tutum se reciperet, Troianos Minervae auxilio struxisse *τεῖχοσ ἀμφίχυτον*; cumque praeterea Homerus testetur (Φ 450 sqq.) Laomedontem deos qui sibi servissent mercedis loco affecisse ignominia vix dubium est quin poetae narraverint eos beluam misisse ignominiae ulciscendae causa. Videtur ergo extitisse carminum *κύκλοσ* quibus ageretur deorum apud Laomedontem

---

1) Clytii filius Caletor „*Ἕκτοροσ ἀνέψιοσ*“ ab Aiace Telamonio interfici narratur Ο 419 sqq. Videtur huius loci auctorem cum ei Troiani nomen requirenti succurreret Clytius Laomedontis filius, simul Caletoris nomen subisse ex antiqua memoria cum illo coniunctum (vide supra p. 253 in ann. 6). Lampi filium Dolopem, Hicetaonis Melanippum interfici legimus Ο 525 sqq. alterum a Megete alterum ab Antilocho. Lampum et Hicetaonem qui hic memorantur ipsos esse Laomedontis filios inde apparet quod Lampus nominatim ita significatur (Ο 527), Melanippum autem ubi Hector alloquitur haec praemittuntur (Ο 545 sqq.) *Ἕκτωρ δὲ κασιγνήτοισ' ἐκέλευσε* — *κασίγνητοι* autem etiam sunt fratres patrueles — *πᾶσι μάλα πρῶτον δ' Ἱκεταονίδην ἐνένιπε ἴφθιμον Μελάνιππον*. Melanippi nomen depromptum esse e carminibus quibus bella Thebana agerentur supra vidimus (Mnem. 1912 p. 31). Sed *ἐπεισόδιον* quo Dolopis mors narratur, si recte iudicavimus in superioribus (Mnem. 1912 p. 13) Megetis res gestas et arma — quorum *ἱστορία* nostro loco diserte enarratur Ο 530 sqq — propriis carminibus celebrata esse quae in usum suum converterint auctores antiquissimorum de bello Troiano carminum auctores, ex horum fontium altero haustum est, ita vero ut cognationis vinculum quod Dolopi in Iliade cum Lampo et Laomedonte intercedat additum sit ab eo qui *ἐπεισόδιον* nostrum Iliadi insereret quippe cum perspicuum sit in fontibus quos diximus non potuisse de illis sermonem esse. Ceterum totum versum Υ 238 *Λάμπον τε Κλυτιόν τε Ἱκετάονα τ' ὄζον Ἄρηοσ* ex Aeneae stemmate transsumsisse videtur *Τειχοσκοπίασ* auctor (Υ 228 = Ρ 146).

servitium, ignominia ab eo accepta, beluae missio, Herculis adventus, certamen cum belua, repulsa equos pro officii pretio poscentis, urbis expugnatio, errores in reditu propter Iunonis dolos, cetera quae cum his cohaerent. In pertractando servitio poëtas etiam eius causam, coniurationem adversus Iovem dico, si minus enarrasse attamen tetigisse verisimile videtur; neque non equos Laomedontis a Iove datos propter Ganymedis raptum, Erichthonium enim eos non cognovisse [1]). Μίσθον ῥητόν quoque quem dei a Laomedonte poscerent ipsos equos fuisse si quis suspicatur non refragor. Quodsi res ita se habet equi illi comparandi sunt cum Nibelungiorum thesauro exitiali in poësi Germanorum celebrato quem qui possideret nullo pacto adigi poterat ut eo cederet perniciemque evitaret. Quod dei qui Laomedonti serviunt alio loco (H 452 sqq.) ambo dicuntur moenia urbis ei struxisse, alio loco (Φ 446 sqq.) alter id solus perfecisse, Apollo armenta pavisse nullius momenti puto. Sed gravius est quod Hercules dicitur (E 651) e longinquo venisse propter Laomedontis equos. Equi enim si pretium erant beluae devictae quomodo de iis poscendis cogitare poterat antequam animum induxisset cum belua pugnare? Id vero quomodo potuit cum urbi nondum appropinquasset? Vix enim cum etiamnunc longe abesset beluae adventus ei notus esse poterat. Expectaveris igitur casu, non propter equos, eum Troiam venisse quo tempore belua vastaret agros. Sic forsitan res expedienda sit ut sumas ex antiquo mytho, cum Hercules crederetur non urbem Troianam sed inferos petivisse, itineris consilium retentum esse quamvis minus conveniret ad pactam pro belua interfecta mercedem. In mytho autem si beluae mentio est facta, non fuit illa e κητῶν genere, sed canis Stygius. Postremo quod Hercules apud Homerum traditur (E 641) sex navibus Troiam oppugnasse apparet poëtas sibi proponisse eum fraudatum mercede primo abisse deinde comitibus collectis sex redisse cum navibus. Nam in priore itinere eum cum copiis fuisse vix est quod poëtae narraverint.

Herculis expeditio Troiana neque ab Homero neque a recentiorum quoquam refertur in numero laborum quos regis Eurysthei iussu heros susceperit. At tamen iam Homeri aetate hi

1) Vide supra p. 253.

celebrati esse videntur carminum κύκλῳ qui ad illam non pertineret. Nam in Iliade legimus Iovis gloriationem asseverantis omnibus mortalibus qui sui generis essent imperaturum quem primum tum Lucina editura eseet, Iunonis dolum quo maritum refutaret, Alcmenae partum ab ea retardatum, Stheneli uxoris maturatum (T 91 sqq.), tum Herculi servitium per Copreum Eurysthei praeconem nuntiatum (O 639, iter ad inferos Eurysthei iussu susceptum petendi causa κύνα στυγεροῖ' Ἀϝίδαο (Θ 267 sqq), quamque huc sane referre licebit Orci vulnerationem Πύλῳ ἐν νεκύεσσι (E 397). Quid Graecos induxerit ut fortissimum omnium heroum servitute astrictum fingerent, constituere non licet [1]). Videtur res deberi mythis pertinentibus ad antiquissimas opiniones de naturis divinis. Probabiliter demonstravit Gruppe (l.l. 461 1155) initio Eurystheum alio nomine Neptunum fuisse, neque absurde conicias in antiquissimis mythis quibus Herculis labores, narrarentur, numina aëris et maris primario loco fuisse. Etiam Sthenelum eo pertinuisse credibile est. Nam Sthenium rursus esse Neptunum ostendit Gruppe (l.l. p. 176), Sthenium autem et Sthenelum vix neges eiusdem nominis diversas formas esse. Sed Dorum poëtas fuisse qui Eurysthei patrem Perseo natum finxerint ipsumque illum regnantem in regione Argolica parum credibile. Perspicuum enim est non potuisse eos id facere antequam in ea regione consedissent; sed cum ipsi regias suas gentes ab Hercule ducerent, quomodo potuerunt credere hunc servisse regi Peloponnesio? Nam quod recentiores abinde Hellanico tradiderunt, Herculis filium a Doribus receptum cetera quae pertinent

---

1) VWilam. Moellend. v. cl. (Herakles² I p. 55 coll. eis quae praecedunt quaeque sequuntur) nationis Doricae ingenio deberi censet, quippe cui Hercules fuerit quasi ἰδέα viri perfecti, quod eorum poëtae hominem fortiorem deteriori servire finxerint. Sed neque antiquissimis temporibus homines eiusmodi ἰδεῶν conscios fuisse puto, neque si maxime Dores fuerint eam causam sufficere fingendi virum perfectum deteriori vir servientem. Gruppe (l.l. p. 461) „Dass der bessere Mann", ait „dem Schlechtem dient, ist menschlich ergreifend, aber schwerlich hat die poëtische Schönheit der Motive allein den Dichter bestimmt." Sed quod addit v. cl. „vielmehr scheinen in der Dienstbarkeit des Heracles sich die Politische Verhältnisse einer späteren Zeit zu spiegeln" propterea non dandum ei videtur quod Herculis servitium iam apud Homerum commemoratur (vide ann. seq.). Ad antiquissimam Herculis imaginem id referendum esse haesitanter vWilam. Moell. eoncessit. „Ich muss", inquit v. cl. (l.l. p. 51) „nach erneuter Erwägung den Zweifel äussern ob ich recht gethan hab die Dienstbarkeit der Ursage ab zu streiten."

ad Heraclidarum quem dicunt reditum, vix quisquam hodie negat deberi poëmatis genealogicis quibus VII a Chr. saeculo viri docti conati sunt accomodare Herculis originem Peloponnesiam ad Heraclidarum apud Dores regnum; de qua re optime egit E. Meyer v. cl. [1]). Itaque ea quae apud Homerum de Herculis servitio traduntur hausta esse existimanda sunt e fontibus Peloponnesiis ad Dores non pertinentibus. Neque e fontibus Peloponnesiis solis. Nam cum Alcmena (T 99) a Iunone impedita ne iusto tempore pareret Thebis degisse dicatur, apparet poëtam duplicem adhibuisse fontem Peloponnesium et Boeotium. Nisi credimus Amphitryonis parricidium et fugam iam ante Homeri aetatem inventa esse, quae tamen eiusdem generis esse atque ea quae ad Heraclidarum reditum pertinent fere omnes consentiunt vv. dd. [2]). Ceterum Ate in quam (T 76 sqq.) Aga-

1) Forsch. z. Alt. Gesch. I p. 279, Gesch. des Alt. II p. 250 sq., vWil. Moell. Herakles² I p. 59 „es war unvermeidlich das Herakles auf alle Länder Rechtsansprüche haben musste, die seine Nachkommen besetzten. So ward er denn hier an den alten eingebornen Heroëngeschlechter angegliedert, wie nicht anders möglich durch seine Mutter, so dass er noch ein nachkomme des Perseus, und Tiryns seine Heimath ward. Da er gleichwohl nicht zu einem alten Landesherrn werden konnte, seine nachkommen auch Argos den Perseïden erst mühsam abgenommen hatten, so ergab sich dass ihm sein Erbe wider, das Recht vorweggenommen war und das eben hatte Hera verschuldet, so dass er wärend des Lebens dem schlechteren Manne dienen musste. Die Rhodische Ueberlieferung, die wir in der Ilias lesen hat das schon mit lebhaften Farben durchgeführt. Und der jämmerliche Feigling Eurystheus Sthenelos' Sohn, sammt seinem Herolde „Dreckle", κοπρεύσ sind zu ausdrucksvoll burleske Figuren geworden, an denen sich der Dorer Hochmut gütlich that." Vir clarissimus ita ratiocinatus fieri non potest quin Hylli fugam ad regem Aegimium iam ante Homeri aetatem a poëtis inventam censeat. Quod pauci ei dabunt. Quod autem „necesse" („unvermeidlich") fuisse ait omnia Herculi vindicari quae postea Dores occupassent, poëmatum genealogicorum auctoribus sane nemo negabit necesse visum esse ea Herculi vindicare, sed plus saeculo ante Dorum cantoribus idem occurrisse perquam incredibile. Ne poetis quidem saeculi a Chr. VII succurrisset servitium Herculi iniungere nisi in antiquis fontibus obvium fuisset Eo ipso quod heros omnium fortissimus sine sua culpa aliorum dolo malo coactus esset servire, sponte fiebat ut cantores qui hanc materiem tractarent eius domino obtrectarent neque hanc ob causam opus est cogitare de Dorum superbia.

2) VWil. Moell. l.l. p. 52: „T 99 nennt als Geburtsort Theben; aber das kann man nicht umhin für eingeschwärtzt aus des spätern Sage zu halten. Es ist gar nicht zu verstehen, wie Eurystheus über ein Kind Macht haben soll welches in der fernen Stadt geboren wurde, und ausdrücklich handelt es sich um die Herrschaft über die Argeier (123) zu denen Thebe nicht gehört." Quod vir cl. dicit se non intelligere, recte dicit; nemo id intelligit vel intelligere potest. Sed quid prohibet cogitare de

memnon Iovem ait gloriationis suae culpam contulisse vehementer dubitandum est an in fontibus non obvia fuerit. Multo enim veri similius videtur quaecunque de ea Agamemnon disserit ab ipso loci auctore addita esse quo rex similitudīne suae et Iovis causae se excusare possit. Ut Periphetes quoque Coprei filius qui narratur (O 639) interfici ab Hectore haud dubie ab huius loci auctore est excogitatus. Nam dicitur *πατρὸσ πολὺ χείρονοσ υἱὸσ ἀμείνων.* Nihil vero erat cur fontis auctor cum Eurysthei praeconem ignominiose tractaret eius filium memoraret honorifice, omnino nihil erat cur ei filium tribueret.

Iamvero ea quae de Herculis servitio in Iliade edita persecuti sumus quamvis negandum videretur e Dorum carminibus hausta esse, tamen deberi apparuit poëtis qui eius studerent laudibus. Sed alius generis est locus Iliadis (E 392 sqq.) ubi Iuno ab eo vulnerata narratur. Ibi enim vocatur (E 392 sqq.) *σχέτλιοσ ὀβριμοεργὸσ ὃσ οὐκ ἔθετ' αἴσυλα ῥέζειν, ὃσ τόξοισιν ἔκηδε θεοὺσ οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι.* Ubi nunc hi versus leguntur ad praecedentia non quadrant, quapropter a nonnullis viris doctis eiciuntur. Verum sic tamen remanet haec inconcinnitas quod vs. 392 Hercules appellatur *πάισ Ἀμφιτρύωνοσ* et vs. 396 *υἱὸσ Διὸσ αἰγιόχοιο.* Itaque praestat vss. 395—402 insiticios existimare. His sublatis vs. 403 recte se applicat praecedentibus dummodo verba *τότε καί μιν ἀνήκεστον ᾿λάβεν ἄλγοσ* in parenthesi stare intellegas. Offendimus igitur hic fontem Herculi inimicum quemadmodum in Odyssea (Φ 25) ubi narratur hospitem Eurytum interfecisse eiusque equas abduxisse quapropter ibi quoque appellatur *σχέτλιοσ* atque sic pergit poëta *οὐδὲ θεῶν ὄπιν ἠδέσατ' οὐδὲ τράπεζαν τὴν δή οἱ παρέθηκεν.* Patet haec deberi poetis oriundis e gente inimica Doribus, propterea Herculi obtrectantibus quod ab his praecipue coleretur. Qua in re de nullis aliis cogitandum erit potius quam de Ionibus Asiaticis. Fieri potest ut huc quoque pertineant quae leguntur Σ 117 *οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆοσ ᾿φύγε κῆρα ὅσπερ φίλτατοσ ἔσκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι ἀλλά ἑ μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀργαλέοσ χόλοσ Ἥρησ.* Vi-

---

duobus fontibus inter se repugnantibus, quos loci nostri auctor repugnantiam non curans coniunxerit? Ab altera parte ne mentionem urbis Thebarum interpolatori tribuas obstat ipse sententiarum contextus.

detur saltem minus veri simile aut in eis carminibus quibus expeditio Troiana ageretur aut in iis quibus labores Eurysthei iussu exhausti, rem ita esse propositam ut Hercules Iunonis irae succubuerit.

Duo loci Iliadis qui ad Herculis res pertineant supersunt. Alter est B 721 ubi Graeci narrantur Lemni reliquisse Philoctetem *ἕλκεϊ μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονοσ ὕδρου*. Quae res cum ita tangatur ut appareat auditoribus eam cognitam fuisse haud dubie carmine aliquo tractata erat. Ipsius autem huius carminis auctor necesse est compluribus diversis fontibus usus sit. Videtur inter fontes Iliadis, sive hic mavis cogitare de antiquissimis quibus bellum Troianum tractaretur carminibus, sive de iis carminibus quibus agerentur expeditiones Achille duce in litus Asiae profectae, fuisse carmen quo Graecorum exercitus narraretur in itinere substitisse in illa insula. Nam praeterquam nostro loco haec res tangitur Θ 230, ubi Iuno milites in acie Troianis cedentes alloquitur: quo abierunt verba gloriose iacta *ὁππότ᾽ ἐνὶ Λήμνῳ κενεαυχέεσ ἠγοράεσθε*? et H 467 sqq., ubi significatur amicitia fuisse Atridis cum Eueno Lemni rege. Illud igitur carmen adhibuit noster, rem referens quemadmodum fecerunt auctores locorum H 467 sqq., Θ 230, ad expeditionem ab Agamemnone contra Troianos ductam. Philoctetem autem supra vidimus [1]) simul cum Achille in bellum Troianum receptum esse e carminibus Thessalicis quibus Alexandrum etiamnunc heroëm Thessalum qui Achillem occidisset, suis sagittis ultus esse traderetur; sponte enim rem ad bellum Troianum referri Alexandro in ducem Troianum Priami filium converso. Carmen quo id ageretur nostro poëtae cognitum fuisse perspicuum est; sed Philoctetae vulnus ex hoc fonte petitum non esse potest, satis enim constat nullum extitisse carminum *κύκλον* quo Herculis et Achillis res gestae celebrarentur coniuncte, atqui Philoctetes cruciatus veneno hydrae Lernaeae manifesto pertinet ad res Herculis. Itaque Philoctetes, id quod etiam in superioribus monuimus [2]), quemadmodum Diomedes, Ulixes alii heroes, in partem venit diversorum carminum *κύκλων* qui initio inter se

1) Mnem. 1912 p. 302, 307 sq.
2) Mnem. 1912 p. 308.

nullo vinculo coniuncti essent. Cognovisse potuerunt et Herculem et Philoctetem Dores qui in vicinia montis Oetae habitarent, eorumque poëtae, cum ibi Herculem in coelum ascendisse cantarent eidem narrare potuerunt armorum suorum heredem fecisse eum Philoctetem. Sed vix credibile etiam vulnus eos tractasse his sagittis a Philocteta sibi inflictum nedum cognovisse eas illitas viro hydrae. Sequitur quartum fontem sumendum esse, vulnerationem enim tractatam esse proprio carmine cuius auctori èt carmina Oetaea praesto fuerint èt carmen vel carminum κύκλοσ quo celebraretur cum ceteris Herculis facinoribus Eurysthei iussu peractis etiam hydra Lernaea ab eo devicta. His fontibus usus auctor carminis unde locus B 721 derivatus est novum hoc addidit, Philocteten vulneratum a Graecis Lemni relictum esse. Nec non idem narrasse videtur eius sagittis opus fuisse Graecis ad Troiam capiendam; pergit enim Catalogi auctor (B 724 sq.) τάχα δὲ μνήσεσθαι ἔμελλον Ἀργεῖοι παρὰ νηυσὶ Φιλοκτήταο Fάνακτοσ. Poëtam Ionium fuisse eum puto in Asiae litore viventem.

Postremo hic commemorandus est locus Λ 690 sqq. ubi Hercules traditur urbem Pylum expugnasse omnesque Nelei filios interfecisse uno Nestore excepto. Hoc supra suspicati sumus deberi Pyliorum cantoribus res Nestoris celebrantibus qui antiquum carmen, quo ageretur Hercules inferorum portam irrumpens et Orcum ipsum vulnerans ita adhibuissent ut pro illa substituerent urbem Pylum et Orcum alio nomine Neleum vocatum converterent in huius urbis regem.

Ut Hercules sic Idomeneus a Doribus cultus videtur. Graecos enim qui insula Creta poterentur maximam partem natione Dores fuisse docent inscriptiones in ea insula repertae unde apparet in opulentissimis eius civitatibus Cydonia, Gnoso, Gortyne, Latone, Hierapytna extitisse Dorum tribus Dymanes, Hyllaeos, Pamphylos; Idomeneus autem est heros Cretensis nusquam a Graecis quantum sciri potest ante quam in insula Creta cultus. Quem si forte censeas propter ipsum nomen quo significari videtur initio fuisse daemon aliquis in monte Ida habitans, et propter originem a Minoë cuius opes et res gestae videntur referre memoriam temporum quibus nondum Graeci in insula consedissent, ante Graecorum adventum coluisse priscos insulae

incolas, Ἐτεόκρητες qui dicuntur in Odyssea (τ 176), tamen Dores eum inter suos recepisse apparet tum quoniam omnes abinde Homero (N 449 sqq. τ 171) eum finxerunt natum Deucalione cuius cultum illi prope montem Parnassum olim degentes inde in novam patriam Cretam transportavisse videntur, tum quoniam Phaestus ille quem in Iliade legimus ab eo necatum (E 43 sqq.), quamvis Homerus eius urbem patriam Tarnen appellet in Maeonia sitam, unde profectus pugnet inter Troianorum socios, manifesto est heros eponymus Phaesti urbis nobilissimae Cretensis, arcessitus ex antiquo aliquo carmine quo agerentur res gestae Graecorum i. e. Dorum cum indigenis certantium [1]). Ipsum quoque quod Idomeneum identidem commemorat Ulixes in Odyssea alia apud alios de se mentiens ad Cretam pertinentia [2]), documento esse videtur antiquis carminibus Cretensibus eum celebratum esse. Unde forsitan deprompta sit eius imago qualis describitur N 239—245, quippe quae quo loco legitur minus conveniat; proponitur enim rex arma induens, sed proelio quod iam a mane tenebat, usque ad meridiem interfuerat (Λ 510), et quamquam deïnde ex acie egressus visit militem e suis vulneratum (N 210 sqq.) nèque narratur propterea arma reposuisse nèque cur id facturus fuerit intelligitur. Ceterum sodalem Merionem [3]), qui in Iliade ab eius latere vix discedit iisdem carminibus atque ipsum deberi consentaneum est; cumque in Ἄθλοις ἐπὶ Πατρόκλῳ arte sagittandi ceteros omnes superet (Ψ 870 sqq.), in acie aliquando hastam ensemque mutet arcu et sagittis (N 650 sqq.), Ulixem speculatoris munere functurum his armis instruat (K 260 sqq.), veri simile est hoc in antiquo fonte eius armorum genus fuisse. Pileum apri dentibus ornatum eius patri Molo, id quod legimus in Νυκτεγερσίᾳ (K 269 sqq.) Amphidamas hospes Cythereus dono dedit. Ne hoc quidem vetamur e carmine Cretensi haustum credere. Sed ceteram quae ibi refertur pilei ἱστορίαν partim ex aliis fontibus derivatam censeo, partim a Νυκτεγερσίας auctore confictam. Hic narrat Amyntori Ormeni filio domo eius effracta Autolycum Ulixis avum subri-

1) Primus hoc vidit E. Bethe v. cl.; Hom. u. d. Heldens. p. 13.

2) ν 259 sqq., ξ 237, 382, τ 181.

3) Recentiores Molum Merionis patrem Idomenei fratrem fuisse tradunt cf. Apollod. III. 3. 1, V. 7. 9.

puisse illum. Amyntor nostro loco habitare dicitur Eleone in urbe Boetiae, sed alio loco (I 457 sqq.) ubi Phoenix se eius filium esse dicit [1]), domicilim habuisse refertur in ea parte Thessaliae cui nomen Hellas, et nomen patris *ἐπωνύμου* urbis Ormenii in Thessalia sitae, eodem tendit. Autolycus in Odyssea habitare traditur in vicinia montis Parnassi (τ 394 sqq.), facile autem credimus praeterea èt in Thessalia èt in Boeotia eius famam viguisse *ὃσ ἀνθρώποισ ἐκέκαστο κλεπτοσύνῃ*, atque inde factum ut is quoque quem ab illo insigni iniuria affectum esse in omnium ore esset, iisdem locis atque ipse collocaretur. Sed haec de Autolyco et Amyntore narrata esse carminibus Cretensibus quibus agerentur res Moli et Merionis, parum credibile puto. Veri similius est initio de alio pileo narratum esse quo Ulixes ab avo Autolyco donatus esset, de alio quo Molus ab hospite Amphidamante, *Νυκτεγερσίασ* autem auctorem haec coniunxisse cum eundem pileum ab Autolyco Amphidamanti muneri datum, a Merione Ulixi commodatum fingeret [2]). E reliquis quae in Iliade de Idomeneo et Merione narrantur nihil ex antiquis fontibus haustum videtur, nisi forte recensio urbium ei subiectarum (B 645 sqq.) [3]).

Non e Dorum carminibus, sed inde quod Ionum Asiaticorum navigationibus nonnihil materiei praeberetur ipsorum poëtis ornandi sua carmina, inter alia de quibus supra egimus [4]) Ulixi tributus esse videtur commilito Leucus nomine qui commemoratur Δ 491 sqq. Insula Leucas ab Homero non appellatur neque potuit eius temporibus appellari quippe quam multo post coloni Corinthii ducibus Cypselo et Gargaso perfossa peninsula

---

1) Phoenix, id quod (Mnem. 1912 p. 306) suspicati sumus, ab Irae cantore excogitatus esse videtur, sive potius, nam nomen undelibet arripi potuit, eius delictum fuga ad Peleum cura Achillis infantis (I 447 sqq.) ab illo videntur inventa esse.

2) Mirum sane casum! quo accidit ut Ulixes eundem pileum quo avus furto potitus esset a Merione mutuum acciperet.

3) Cetera fere haec sunt: Phereclus a Merione interfectus (E 59 sqq.), colloquium Idomenei cum Neptuno (N 210 sqq.), cum Merione (N 246 sqq.), utriusque *ἀριστεία* (N 528 sqq.) Acamas necatus a Merione, Erymas ab Idomeneo (Π 340 sqq.), Idomenei periculum vitae P 608 sqq. rixa cum Aiace Oilei filio Ψ 448 sqq. Merionis ars sagittandi Ψ 877 sqq. Praeterea obiter commemorantur A 145, B 405, Γ 229 sqq., Δ 251 sqq., Z 436, H 165, Θ 78, 261 sqq., K 53, 58, 112, Λ 510, M 117, Ξ 514, O 301, P 258, T 311, Ψ 113.

4) p. 44.

ab Acarnaniae continente disiunxerint [1]). Verum nomen Leucates quo èt insulae promuntorium appellabatur albo saxo insigne èt deus Apollo cuius sedes id esse putabatur, nihil vetat credere iam ante Homeri aetatem usurpatum esse a Ionibus Asiaticis in eam regionem navigantibus. Quos eosdem supra vidimus [2]) Ulixem cuius nomen ab eadem stirpe *luc* derivatam esse demonstravit Vuertheim v. d. [3]) alios Ithacae alios Cephalleniae collocasse, cumque Leucates et Ulixes exigno freti spatio diremti finitimi essent, facile fieri potuit ut in homines conversi pro hospitibus haberentur eaque res ansam daret fingendi Ulixis comitem nomine Leucum i. e. Leucaten.

Nunc consideranda sunt nobis ea quae de Meleagro narrat Phoenix in Πρεσβείᾳ ((I 527—599) quibuscum conferantur quae de eodem leguntur in Catalogo (B 642). Meleagri res gestas et casus Aetolorum carminibus acta esse nemo negabit, praeterea perspicuum est ex illis apud Homerum ea commemorari quae poëta sciat auditorihus cognita esse. Ut hoc solum afferam: Meleagrus narratur avunculum interfecisse, sed cur aut quo iure interfecerit siletur, quamvis auditores nisi id cognitum habeant diiudicare nequeant, id quod summi momenti erat ad diudicandum quatenus eius causa eadem esset atque Achillis, quo iure irasceretur matri propter eam rem filium exsecranti. Ceterum voluisse videtur poëta matrem nullo egisse iure, suo iure ei suscensuisse filium. Nam ex eis quae poëta refert fere cogimur sumere hunc fuisse in fonte rerum contextum: Aprum a Diana Calydonio agro inmissum (I 543) interfecit Meleagrus *πολλέων ἐκ πολίων θηρήτορασ ἄνδρασ ἀγείρασ*. Inter hos fuerunt etiam iuvenes e Curetum gente etenim magna rixa extitit *ἀμφὶ συὸσ κεφάλῃ, καὶ δέρματι λαχνήεντι Κουρήτων τε μεσηγὺ καὶ Αἰτωλῶν μεγαθύμων* (548). In bello inde exorto Aetoli superiores fuerunt dum Meleagros eos ducit (550 sqq.), sed postquam hic

---

1) Strabo X. 2 p. 452. Oppidum Leucadem in hac insula situm idem esse, quod Homerus Nericum in Acarnania sitam et a Laerte expugnatam dicat (ω 378), probabiliter demonstravit vWilam.-Moellend. (Hom. Unters. 573) monens Alcmaeonidis auctor qui nomen Leucadem a Leucadio Penelopae fratre derivatum esse perhibeat (Strabo l.l.) fieri non posse, quin post Cypseli aetatem vixerit.

2) p. 43.

3) Mnem. 1904 p. 285 sqq.

avunculo occiso (567) a matre omni contumelia affectus (566, 568 sqq.) iratus e proelio discessit (553 sq. 565), fortuna belli commutata est. Quid autem aliud inde efficies nisi hoc: in defendenda sua patria Meleagrus necavit avunculum suum, itaque hic et soror natione Curetes fuerunt? Aliter apud recentiores abinde Phrynicho rem propositam esse nemo nescit [1]. Sed hoc nihil ad nos, et credibile saltem carmina quae essent de Atalante venatrice initio sua stetisse pila et post Homeri demum aetatem cum eorum materie Meleagri res coniunctas esse. Etiam titionis ardentis ἱστορία in fonte nostro desiderabatur, nam non tantum apud Homerum eius mentio non fit, sed etiam inde quod Meleagrus matris execrationi superstes fingitur, apparet eam in eius fonte non extitisse. Spectare eam tamen videtur Catalogi auctor (B 642) nam cum ἔμφασι aliqua dicit 'θάνε δὲ ξάνθοσ Μελέαγροσ. Nisi praestat credere hunc versum insiticium esse. Nam male cohaeret cum superioribus. Versu enim iam 641 legimns Oeneo filios non superfuisse tempore belli Troiani [2]. Quid autem ante Homeri aetatem de Oenei fratribus Agrio atque Melane deque eorum patre Portheo in Iliade commemoratis (Ξ 115 sqq.) poëtae narraverint aeque latet. Quae a Phoenice in Meleagri rebus enarrandis inseruntur de uxoris Cleopatrae cognomine Alcyone (I 556 sqq.), propter matris Marpessae patrem Euenum (I 537) ipso nomine Aetoliae flumen referentem originem Aetolicam produnt, et Marpessae maritus Idas quia simul cum fratre Lynceo diversis Graeciae locis celebrabatur, fieri potest ut ab Aetolis quoque cultus sit. Marpessae raptus Idaeque cum Apolline certamen eodem carmine olim tractata esse atque Meleagri res gestas vix credibile, potius credas Cleopatram et Alcyonen initio diversas fuisse, eandem esse dictas ut inter diversa carminum argumenta in eadem regione vulgata vinculum quoddam constitueretur. Ob eandem causam Tydeum Meleagri fratrem esse dictum (quod in Iliade quoque traditur E 813, Z 216, 219, K 497, Ξ 117), initio enim vix ullam rationem inter eos intercessisse [3].

---

1) Cf. Paus. X. 31. 2.

2) Ipse etiam versus 641 suspicionem movet quia ϝ nominis ϝοινῆοσ ibi neglectus est.

3) Diomedes qui factam sit ut in Oenei genus reciperetu supra p. 36 conati sumus ostendere.

Ut Meleagri ira sic Niobae clades in Iliade ita tangitur (Ω 602 sqq.) ut vix auditores singula tenuerint nisi fabulam cognitam haberent. Obscurum enim hoc: λαοὺσ δὲ λίθουσ ποίησε Κρονίων (vs. 611) neque minus obscurum τοὺσ δ' ἄρα τῇ δεκάτῃ θάψαν θεοὶ οὐρανίωνεσ. Pro fonte fuisse carmina in ipso solo Asiatico condita statuendum esset propter versus Ω 614—617 ubi Nioben in lapidem conversam esse legimus ἐν Σιπύλῳ ὅθι φασὶ θεάων ἔμμεναι εὐνὰσ νυμφάων αἵτ' ἀμφ' Ἀχελώιον ἐρρώσαντο nisi procul dubio esset iure hos versus abinde Aristophane Byzantino omnium vv. dd. consensu damnatos esse · quippe qui prorsus alieni et absurdi sint. Nam Niobe vs. 613 dicta est animo e dolore erecto cibum cepisse, unde Priamus ut exemplum sibi capiat Achilles rei mentionem facit. Itaque de fonte nihil constat.

Atque eodem modo iudicandum est de loco (E 381 sqq.) ubi Mars narratur in dolio vinctum esse ab Oto et Ephialte Aloei filiis. In diversis enim Graecorum sedibus Aloïdes celebratos esse, ut in Thessalia, in Boeotia in insulis Naxo et Creta auctores sunt Pindarus [1]), Apollodorus [2]), Pausanias [3]), Plinius [4]) alii.

Habes quam diligentissime potuimus conquisita quaecunque Iliadis sive personae sive res ad antiquos fontes referri posse viderentur [5]). Sed supervacuum est dicere fieri posse ut eiusdem

---

1) Pyth. 4. 88. 2) I. 7. 4.
3) IX. 29. 1. 2. X. 28. 4. 4) VII. 78.
5) In commemorandis fabulis Peloponnesiis quae essent de Helenae raptu (supra p. 29); addendum fuit auctorem Τειχοσκοπίασ cum inter Helenae ancillas appellaret Aethram regis Troezeniorum filiam, haud dubie eam fabulam spectasse qua Helenam a Theseo raptam reduxisse fingerentur Dioscuri, eumque quantum scimus primum fuisse qui bis eam raptam sibi proponeret. Priorem raptum ignoravit aut negavit qui finxit Aethram ab Hectore raptam esse cf. Mnem. 1912 p. 300. — Tum in pertractando antiquo carmine quod Ἀγαμέμνονοσ ἀριστεία pro fonte fuisse sumsimus, monendum fuit veri simile esse ut ex hoc depromptae sint pleraeque personae quae in ea in scenam producantur, inter quas Graecos praecipue Boeotos quos Hector occidat fieri potest ut auctor fontis ipse arcessiverit ex antiquissimis de bello Troiano carminibus (cf. Mnem. 1912 p. 7) quemadmodum inde petivit Aiacem; idemque statuendum sit de Cebrione Hectoris fratre et auriga ἐπωνύμῳ urbis Cebrenis in Troiae viciniae sitae. — Porro ubi demonstravimus (supra p. 28 sqq.) Agamemnonis sedes ante Lacedaemoni vel Amyclis quam Mycenis a poëtas collocatas esse, animadvertendum fuit, sive iam carminibus Peloponnesiis sive a Ionum Asiaticorum

generis complures nos latuerint quas omisimus cum veri similius putaremus Homeri ingenio eas deberi. Ut incerti haeremus de

---

cantoribus demum qui raptum Helenae cum bello Troiano coniungerent hoc factum est — quod diudicari nequit —, inde oriri quaestionem utrum pro Atrei filiis habiti sint Agamemnon et Menelaus iam ante quam Mycenis collocarentur, an propter id ipsum. Hoc veri similius. Nam néque in Laconia ulla Atrei vestigia sunt èt Διαπείρασ auctor Pelopis stemma edit (B 105 sqq.) quod eiusmodi est ut satis appareat initio ad Agamemnonem id non pertinuisse. Etenim Atreo non filius Agamemnon sed frater Thyestes successisse traditur. Antiqua autem huius stemmatis origo eo ostenditur quod ne Eurysthei et Nicippae quidem in eo ratio habetur sed Pelops proponitur ab ipso Iove regnum accepisse Argivorum, quod non potuit inveniri postquam fuga Atrei ad Eurystheum divulgata est, quae etiam ipsa per se spectata recentiorem originem prodit, manifesto enim inventa est ut inter se concilientur fabulae diversae quarum altera Persidis, altera Pelopidis idem regnum tribuit. Obiter animadverto, id quod huius propositi non est pluribus demonstrare, Pelopidas iam pro Argivorum regibus esse habitos ante quam iis praeponerentur Persidae, Pelopem enim — id quod iam diu viderunt vv. dd. cf. Ed. Meyer Gesch. des Alterth. II p. 68 sqq. — eponymum esse gentis alicuius quae Pelopes audiret cuius ceteroquin nullum vestigium nisi ipsum nomen Peloponnesus remansit, Pelopisque originem Asiaticam patre Tantalo recentius esse inventum. Sed auctor loci O 639 sibi proposuit Mycenis ante Agamemnonem regnasse Eurystheum, fingit enim Periphatem Mycenaeum filium Coprei Eurysthei praeconis. Ceterum hoc quoque notandum, quamvis inter urbes quibus Agamemnon imperet Catalogi auctor (B 572) etiam recenseat Sicyonem, tamen auctores carminum quibus celebraretur Adrastus Sicyonis rex, oppugnator Thebarum, inter Argivorum reges non cognovisse neque Atreum neque Agamemnonem. Nam Δ 377 legimus Tydeum et Polynicem legatos Mycenas venisse ut huius urbis regem socium in bello contra Thebanos sibi adsciscerent, id vero deorum ostentis prohibitum, quod manifesto nullo alio consilio ibi narratur nisi explicandi causa cur rex ille in eis carminibus sileatur. Atque ipse Catalogi auctor cum (l.l.) Sicyonem inter Agamemnonis urbes numerans addit ὅθ' ἄρ Ἄδρηστοσ πρῶτ' ἐμβασίλευε, nihil amplius, satis significat sibi ignotum esse quomodo factum sit ut urbs Agamemnoni cesserit, aliis verbis eius temporibus nullosdum mythologos diversas fabulas quae de utroque heroë essent conatos esse coniungere. Ut Diomedem quem inter Argivorum heroës celebratum esse priusquam ex Aetolia oriundus esse crederetur supra demonstravimus (p. 35 sq.), Catalogi auctor Tirynthi imperasse tradit ubi recentiores poëtae abinde Hesiodo Proetum regnasse voluerunt (vide supra p. 244 in ann. 1), alii Herculem habitasse perhibebant. Diomedis regnum Tirynthium ex antiquo fonte haustum esse veri simile est, neque tamen quicquam vetat credere èt Proeti èt Herculis res quoque iam ante Homeri aetatem ad urbem Tirynthem relatas esse. Sed haec ad diversos carminum κύκλουσ pertinuisse videntur diversis temporibus a diversarum Graecarum gentium poëtis conditos nullodum vinculo inter se coniuncta. Cuius generis etiam hoc est quod in urbe Ephyra quo nomine Corinthum designari videri supra ostendimus (cf. ann. ad p. 244) Sisyphum regnasse legimus (Z 153), sed eius nepotis Bellerophontis temporibus eam urbem subiectam fuisse Proeto (Z 159), nullo verbo addito ad explicandum qui factum esset ut Bellerophon cessisset Proeto. — Postremo ubi egimus de carminibus quibus celebrarentur bella Thebana (supra p. 35 sqq.) addendum fuit ex hoc fonte depromptum videri Euryalum Mecisthei filium Talai nepotem qui in catalogo (B 566)

Heleno Priami filio quem nemo existimabit casu accidisse ut poëtae fratris uxori *ὁμώνυμον* fecerint, quae res fortasse inde extitit quod in antiquissimis de dea Helenae mythis Helenus alio nomine idem fuerit atque Paris, unde fieri potuerit ut in hominem conversus crederetur frater esse, neque tamen sciri potest factumne id iam sit ante Homeri tempora; de Hecuba quam credibile est iam commemoratam esse in antiquissimis de bello Troiano carminibus quae pro fonte fuerint *Ἕκτορος ἀναιρέσει* (cf. Mnem. 1912 p. 15, p. 19) [1]), sed patrem Dymanem et fratrem Asium potius credas ei additos esse ab auctore loci Π 718; porro de Calchante augure, Talthybio Agamemnonis, Eurybato Ulixis praeconibus, quos neque vetat quidquam neque cogit credere iam commemoratos esse in carminibus Homeri aetatem superantibus [2]); de Polyido, vate Corinthio de quo varia miracula narrant Pindarus, tragici, mythographi haud dubie mythos perantiquos in usum suum convertentes, unde tamen non sequitur ut partes quas illi tribuant iam ante Homeri aetatem a poëtis inventae sint, non minus enim credibile est

---

commemoratur inter Diomedis comites ei cognatus propter Adrastum Mecisthei fratrem, et alio Iliadis loco (Z 12, 20, de quo loco vide etiam Mnem. 1912 p. 291) in huius vicinia pugnat. Hic in *Ἄθλοις ἐπὶ Πατρόκλῳ* (Ψ 677 sqq.) a Diomede incitatur ut caestibus contendat cum Epeio. Eodem loco pater Mecistheus narratur Thebas venisse *δεδουπότος Οἰδιπόδαο εἰς τάφον* deinde vicisse *πάντας Καδμείωνας* (Ψ 679 sqq.). Vulgo vv. dd. vocem *Οἰδιπόδης* pro alia forma habent nominis *Οἰδίπους*, et haud dubie qui primus illa voce usus est, quisquis fuit, nihil aliud voluit. Sed nescio an nostri loci auctor voce *Οἰδιπόδης* pro nomine patronymico abusus sit, cum vox *Οἰδιποδίδης* repugnaret metro. Nam neque si ab hoc loco discedis usquam legitur Oedipum in bello cecidisse quod ne quadrat quidem ad cetera quaelibet quae de eo narrantur, cum tamen haud obscure id significetur voce *δεδουπώς*, neque intellegit quisquam cur homo peregrinus admissus sit ad eius ludos funebres. Ab altera parte fuerunt qui perhiberent post prius bellum Thebanum pacem fecisse Thebanos cum Adrasto, quippe quem apud Pindarum legamus (Ol. VI. 15) ante rogos septem principum qui in acie contra Thebanos cecidissent, Thebis contionatum esse, quod fieri non potuit nisi pace facta. Credibile ergo tum Adrasti fratrem invitatum esse ad ludos funebres regis Eteoclis in eodem bello necati. Neve mireris sileri Polynicem, afferre licet locum Apollodori (III. 6. 3) testantis eos qui Mecistheum bello Thebani consortem dicerent illum ab hoc bello excludere (*„τινὲς δὲ Τυδέα μὲν καὶ Πολυνείκην οὐ καταριθμοῦσι, συγκαταλέγουσι δὲ τοῖς ἕπτα Ἐτεοκλῆ Ἴφιον καὶ Μηκιστέα*").

1) Hecuba appellatur Z 293, 451, Π 718, X 234, 430, Ω 193, 283, 747.

2) Idaeus Priami praeco quin in antiquo carmine, quod esset de Menelai et Ulixis legatione Helenae reposcendae causa, memoratus fuerit vix dubium esse potest cf. supra p. 51.

ipsum et filium Euchenorem quorum neuter nisi uno loco (N 660 sq.) apud Homerum obvius est, ab hoc e nihilo confictos esse, patris autem nomen peculiariter aptum ad vatem signficandum a poëtis sequentibus arreptum esse cum antiquas fabulas vaticiniorum commentis ornare studerent[1]); de Darete Vulcani sacerdote eiusque filiis Phegeo Idaeoque quos necavit Diomedes (E 9 sqq.); de Strophio Scamandri filio venatore insigni quem artem sagittandi ipsa Diana docuit, interfecit autem Menelaus (E 119); de Imbrio Mentoris Medesicastae Priamo natae sponso quem interfecit Teucer (N 169 sqq.), deque Othryoneo qui aliam Priami filiam Cassandram in matrimonium petens Graecos si sibi sponderetur expellendos susceperat, cui Idomeneus hasta perfosso ob inanem iactantiam insultat (N 361 sqq.), de Ilioneo Phorbantis filio a Peneleo trucidato, cuius etiam commemoratur avus maternus Alegenor (Ξ 489 sqq.); de Lycophrone Mastoris filio quem ex insula Cytheris ob homicidium profugum receperat Aias Telamonius (O 430 sqq.); de paucis quibusdam aliis, quibus nonnisi in navium Catalogo obviis tamen proprii aliquid tribuitur quod videatur poëta sumere cognitum esse auditoribus cf. B 513 sqq., 671 sqq., 872 sqq.

e. *Qui dei, qua re a Graecorum partibus, qui cur a partibus stent Troianorum.*

In unam Iovis qualis in Iliade depingatur imaginem duos confluxisse deos Iovem Olympium et deum Idaeum summo iure contendit vLeeuwen. Agamemnon Iovem invocans in foedere feriendo cum Troianis (Γ 276) eum appellat Ἴδηθεν μεδέοντα, itemque Aiaci commilitones victoriam precantes adversus Hectorem certaturo (H 202); in monte Ida Iuppiter habet τέμενός τε βωμός τε (Θ 41) ibique ei Hector πολλὰ βοῶν ἐπὶ μηρί' ἔκηε (X 170); Dardanus primus regionis Ideae rex eo natus traditur (Υ 215); in illa regione eius ope Aeneas Achillem subterfugit

1) Pindarus cognovit Polyidi patrem Coeranum (Ol. XIII. 75) quod nomen Gruppe l.l. 122 in insula Creta inventum esse censet cum etiam Merionis aurigae idem sit nomen, Polyidus vero in hac insula Glaucum Minoïs filium in vitam revocavisse narretur (cf. Hyg f. 136, Apollod. III. 3, 1, 2, Tzetz Lyc. 811. Recentiores avum Abautem proavum Melampodem fuisse tradunt aliunde notissimum (cf. Paus. I 43. 5).

(Υ 92); Priamus in castra Graeca profecturus ab uxore monetur ut ad Iovem Idaeum manus erigat (Ω 291); perspicuum autem est poëtas qui primi Idam quoque sibi proponerent Iovis sedem, cognovisse numen aliquod quod ibi habitaret ab indigenis cultum, idque pro eodem habuisse atque Iovem suum Olympium. Simul apparet poëtas aut primos qui ita agerent aut alios eos sequentes inter indigenas qui Iovem Idaeum colerent etiam Troianos numerasse, unde intelligitur cur non dubitaverint eum habere pro Troianorum deo patrio. Quippe Hector enim solitus erat ei sacrificare in arce Troiana (Χ 171 sq.), neque dubitat Hecuba quin filius cum ex acie urbem intrasset ei ex arce sit supplicaturus (Ζ 251), hic autem eum precatur ut proli suae faveat (Ζ 476) et sperat daturum ut hostes e patria proturbentur (Ζ 526); atque ipse Iuppiter dicit (Δ 44 sqq.) ex omnibus urbibus in orbe terrarum sitis nullam sibi cariorem esse urbe Troiana, *οὐ γάρ*, inquit, *μοί ποτε βωμὸσ ἐδεύετο δαιτὸσ ἐΐσησ, λοίβησ τε κνίσησ τε*, tum ipse dedit Troi equos divinos *υἷοσ ποινὴν Γανυμήδεοσ*.

Antiquissimi iam belli Troiani cantores cognovisse videntur Iovis cultum Idaeum. Nam èt in certamine singulari Hectoris et Aiacis èt in eo quo Hector ab Achille occiditur, cui utrique supra vidimus [1]) diversis modis informato eundum fuisse *πρωτότυπον* illis debitum, ea res tangitur (Η 202, Χ 170 sqq.), neque vetat quidquam ad carmina principalia eam referre [2]). Itaque insigne quoque Iovis auxilium Troianus latum cuius mentio fit in Catalogo navium (Β 768), in pugna ad naves (Ο 461 sq., 488 sqq., Π 119), in proelio de Patrocli corpore (Ρ 596) quibus Iliadis partibus eundem illum carminum *κύκλον* pro fundamento fuisse vidimus [3]), in hoc fonte commemoratum esse in promptu est. Tum in eis carminibus quibus agerentur Achillis expeditiones et in alias Asiae regiones et in regionem Idaeam a Dardanis

1) Mnem. 1912. p. 15. p. 19.

2) Minus recte iu superioribus dixi (Mnem. 1912 p. 292) montem Idam longius ab urbe Troiana semotum esse quam cuius credamus in antiquissimis iam de belli Troiani carminibus deum Idaeum tutelam esse habitum. Cui sententiae etiam hoc repugnat, quod in iis carmiuibus, id quod ipsi studuimus evincere (l.l. p. 294) veri simile est Dardanorum mentionem esse factam. Tamen quod contendebamus (p. 294 sq.) ad Aeneam ea carmina non pertinere immotum manet.

3) Cf. Mnem. 1912 pp. 4 sq., 6 sq., 9 sq., 16 in ann. 1.

Aenea rege habitatam, Iovis Idaei mentionem esse factam probant auxilium ab eo Aeneae latum (Υ 92) et Dardanus eius proles (Υ 215) [1]), necnon in iis carminibus quibus ante Homerum celebrarentur Achillis cum Troianis proelia, Troianorum deum patrium fuisse Iovem prodit Hector ei supplicans pro salute filii (Ζ 476) nisi credis, quod vix credibile, pulcherrimum hunc locum deberi ei qui antiquum carmen quo ageretur Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλία Iliadi inseruerit [2]). Atque ad idem carmen vel carminum κύκλον supra vidimus [3]) fieri posse ut Hectoris dictum ad fratrem (Ζ 526): sperare se Iovis ope hostes pulsum iri, referendum sit. Porro de Iove Idaeo cogitavit antiqui carminis auctor quod esset de Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίας, a quo Iuppiter ab Agamemnone invocatus dicitur Ἴδηθεν μεδέων (Γ 276) [4]). Postremo is qui ante Homeri aetatem Agamemnonis ἀριστείαν et vulnerationem celebrans [5]) narravit Hectorem a Iove a telis defendi (Λ 163 sq.) et victorem reddi (Λ 185 sqq., 299 sqq., 406, 544), non casu accidit ut Iovem haec moliturum ab Olympo in Idam se conferre fingeret (Λ 181 sqq.), ubi in nostra Iliade per totam pugnam descriptam libris Λ—Σ rex deorum degit (cf. Λ 337, Μ 253, Ξ 157, Ο 169, 237, Π 671). Itaque satis apparet in diversis iam Iliadis fontibus èt Iovis cultum Idaeum et Troianum èt opem ab eo latam Troianis commemorata esse èt hanc ubi Irae cantor proponat debitam Iovis consilio Thetidi morem gerentis, in usum suum convertisse poëtam ea quae in fontibus suis invenisset. Atque cum ex iis locis ubi tangitur Iovis sedes Idaea vel Troiana, quorum ceteris supra (p. 268 sq.) allatis ii loci addendi sunt quibus in Κόλῳ μάχῃ, ut in Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ ex Olympo in Idam se confert deus (Θ 41 sqq.) et aliquamdiu ibi moratur (Θ 75, 170, 397 sqq., 438), èt hi èt nonnulli alii (Δ 44, Ζ 251, Θ 48, Ω 291) debeantur poëtis qui Irae Cantoris poëma auxerint et dilataverint, apparet hos de illa re egisse convenienter eis, quae in fontibus invenirentur.

---

1) Mnem. 1912 p. 292.
2) De hoc carmine vide Mnem. 1912 p. 317 sqq.
3) Mnem. 1912 p. 322 sqq.
4) De hoc carmine vide supra p. 60 sqq.
5) Vide supra p. 57. sqq.

Ab altera parte ratio ferebat ut poëtae Graeci sibi proponerent Iovi res Graecorum curae esse. Quamvis ad tempus in Ida consistat, Olympus tamen praecipua eius sedes et velut domicilium est, bis Idaeus (Π 605, Ω 291) saepissime Olympius in Iliade appellatur. Ut omnino reges sunt διογενέες, διοτρεφέες, διίφιλοι, eosque in summo honore Iuppiter habet (Α 175, 279, Β 197) quippe cui debeant regiam suam dignitatem (Β 205), sic praecipue Agamemnonis sceptrum a Iove eius maioribus est datum (Β 101 sqq.). Praeterea procul dubio iam abinde antiquissimis de bello Troiano carminibus constabat [1]) postremo Troianos debellatos, Troiam devastatam esse, qui exitus tangitur praesagis Agamemnonis et rursus Hectoris verbis (Δ 164, Ζ 448) ἔστ' ἦμαρ ὅτε κέν ποτ' ὀλώλῃ Ϝίλιος ἱρή, tum ubi augurio Iuppiter eum praenuntiasse narratur (Β 299 sqq.), nec non ubi uxori concedit (Δ 68) obtestanti (vs. 26 sqq.) ne irritum faciat laborem suum Troianis exitium parantis, vel ubi Minervam confirmat (Θ 38 sqq.) significans immota manere Troiae fata. Convenit quod etiam in rebus dubiis vel adversis ita Iovem precantur Graeci ut qui minime metuant ne aures sibi claudat, id quod passim in Iliade animadvertere licet. Inprimis Achilli Iovem deum patrium fuisse inde apparet quod Olympus Thessaliae mons est, quem vidimus [2]) ab universa Graecia mox pro Iovis sede praecipua habitum esse ob nullam aliam causam magis quam propter auctoritatem poëtarum natione Thessalorum quorum carmina Homero pro fontibus essent. Dodonaeum eum appellat Achilles (Π 223), sed hoc nihil ad rem, nemo enim censebit non eundem voluisse poëtam atque Olympium. Achilli autem favisse Iovem etiam ex his sequitur. Supra enim ostendimus multa quae apud Homerum ad Patrocli exitum referantur olim ad Pelidae pertinuisse mortem [3]). In quorum numero etiam hoc esse videtur quod post Patrocli mortem Achillis equos divinos consolatur et confirmat (Ρ 440 sqq.), praeterea miraculum caliginis quo involvit certantes de Patrocli corpore quia οὐδὲ Μενοιτιάδην ἤχθαιρε, 'μίσησεν δ' ἄρα μιν δηίων κυσὶ κύρμα γε-

1) Vide Mnem. 1912 p. 15.
2) Mnem. 1912 p. 312.
3) Mnem. 1912 p. 332 sqq.

νέσθαι (P 270 sqq.), quae verba si pro Patroclo Achillem substituis, ostendunt mentem erga hunc benignam [1]). Sed quoquomodo hoc se habet, id satis apparet fieri vix potuisse quin Graeci crederent Iovem a se atque ab adversariis suis aequo honore habitum tamen de summa rerum potius suis commodis quam hostium prospicere, etiamsi horum sive sacrificiis sive precibus permotus ad tempus iis magis faveret. Qua de re apte conferas locum ubi Aiax loquens inducitur (H 194) *ὕμεσ εὔχεσθε Διὶ Κρονίωνι ϝάνακτι σιγῇ ἐφ' ὑμείων, ἵνα μὴ Τρῶέσ γε πύθωνται, ἠὲ καὶ ἀμϕαδίην, ἐπεὶ οὔ τινα δέδϝιμεν ἔμπησ*; quippe enim metus invadit heroëm ne hostes cum cernant commilitones suos Iovi supplicare, efficacioribus precibus deum in suam partem trahant, sed mox confirmatus hunc metum dimittit. Sed mirum non est poetas sentientes non prorsus acquiesci posse in Iovis voluntate eum appellasse *μητιέτην* et *ἀγκυλόμητιν* cuius mens *ἀεὶ κρείσσων ἠέ περ ἀνδρῶν* (Π 688, P 176), quo etiam referre licebit Achilles dictum (Ω 527 sq.) *δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸσ οὔδῷ δώρων οἷα δίδωσι κακῶν, ἕτεροσ δὲ ἑάων*, facile autem intelligitur Irae Cantorem propter auxilium a summo deo Troianis latum quod in fontibus suis inveniret, in cogitationem incidisse eius mentem Thetidis precibus esse perductam ad Agamemnonis superbiam castigandam. Praeterea alium quoque iam in Iliade dispicimus conatum explicandi fortunae varietatem, sive iam ante Homeri aetatem poëtis talia succurrerunt sive auctoribus demum Iliadis, cum scilicet fingerent Iovem non tam libero suo arbitrio agere quam ministrantem ea quae cuique *μοίρα κραταίη γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ* (Ω 219). Quam rationem sponte suadebat conspicua ea lex „qua immobilis rerum humanarum ordo seritur" ut optime apud Livium ait miles Cannensis [2]). Hinc autem factum est ut Iovem fingerent libra fatali belligerantium sortes ponderantem (Θ 69, Π 658 [3]), T 223,

---

1) Quod Hectori Iuppiter trepidationem inicit (Π 656 sq.), ei recusat ne Achillis equos currui suo iungat (P 499 sqq.), vitio vertit quod Achillis arma induit (P 201) fonti deprompta esse non possunt, quippe in quo de Hectore sermo non esset sed a *Πατροκλείασ* auctore convenienter fonti efficta sunt.

2) Liv. XXV. 6. 6.

3) Ex eis quae hoc loco leguntur sequitur ut ea quae praecedant (Π 646 sqq.) non ita accipienda sint quasi libere secum consideret Iuppiter quid optimum sit factu, sed ut meditetur quomodo fati decretis optime morem gerat.

X 209 sqq.) quippe qui hominibus ταμίησ — i. e. dispensator, non arbiter — πολέμοιο τέτυκται (Δ 84, T 224), ne potestate quidem data servandi si quis esset πάλαι πεπρωμένοσ αἴσῃ (Π 441 sq., X 179 sqq.). Etiam quod legitur Υ 306 ἤδη γὰρ Πριάμου γενέην ἤχθηρε Κρονίων huic sententiae non repugnat, ira enim, causa non addita, haud dubie hic colligitur ex eventu belli; nihil igitur vetat sumere Iovem hic appellari fati loco cuius iussa peragat. Ubi vero poetae significandum esse censent Iovem invitum fato obsequi aliter loquuntur ut ne alios afferam is qui Patroclo occiso οὐδὲ Μενοιτιάδην inquit ἤχθαιρε (Κρονίων) πάροσ περ. De Patrocli autem exitu decrevisse fatum indicat poëta eum allocutus σε θεοὶ θανατόνδ' ἐκάλεσσαν (Π 692) non ignarus credo una mente non agere deos nisi necessitate fati. Patrocli autem mortem fato tribui nil mirum, siquidem in eum translata sunt, quae initio pertinerent ad mortem Achillis cui αἶσα μίνυνθά περ οὔ τι μάλα δήν (A 416)[1]). Postremo autem rursus aliter iudicavit atque ceteri de Iovis ratione in bello Troiano obvia, is qui victoriam Graecis impertitam deberi finxit pacto conventu inter deorum regem uxoremque (Δ 68 sqq.). Neque quisquam tam acerbe proposuit deorum licentiam et superbiam adversus homines, ne is quidem qui excogitavit somnium fallax Agamemnoni missum, vel qui Minervae fraudem in succurendo Achilli adversus Hectorem. Nam ad flagitium Iovis iussu Minervam facit pellicere Pandarum. Cuius rei acerbitas etiam magis oculos ferit si confers Agamemnonis verba ad fratrem vulneratum (Δ 164 sqq.): aliquando Iovem Troianos deleturum, iratum ob impia facta. Scilicet regi ut virum pium decet Iovem talia odisse persuasum erat. Haec vero poëta idem — nemo enim dubitat quin idem sit — qui illa de Mi-

Minervae nobilitatem adaequat Apollo. Hunc in Illiade Troianis cupere ab iisque ei in urbis arce delubrum esse positum nihil mirnm erat si in superioribus recte demonstravimus [2]), Locrenses qui inter conditores essent vici superpositi Troiae Homericae, cum Minerva Iliade coluisse Apollinem Ileum, deinde autem cantores qui inter eos existerent, ut illius sic huius èt nomen èt cultum transtulisse in urbem pristinam quae stetisset eodem loco. Unde etiam factum esse èt ut Euphorbus qui in antiquissimis de bello Troiano carminibus Patroclum occidisse narraretur [3]), in ea re Apollinis auxilio usus esset, èt ut Troianorum in acie dux praecipuus, urbis et arcis defensor cui patrem poëtae adderent Priamum i. e. arcis dominum, Hector appellaretur, quo nomine Apollo sive a Boeotis, sive ab alia gente quae particeps fuisset expeditionis quae antiquissimis de bello Troiano carminibus celebraretur, in patria Graeca cultus esset [4]). Itaque apte Irae Cantor Chrysen illum qui redimendi causa filiam in castra Graecorum advenisset, Apollinis antistitem finxit. Nam quamquam Chryses neque Troianus fuit neque Troianorum socius — etenim si fuit qui potuit alloqui Atridas „*ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν*" (A 19)? [5]) — tamen deus arcitenens magis idoneus erat, qui propter iniuriam seni illatam

---

1) Nihil quod huc pertineat ex antiquo fonte haustum esse, suo loco patebit.

2) Mnem. 1912 5. 27 sq.

3) Mnem. 1912. p. 10. Fuitne Euphorbus initio daemon aliquis qui pascuis et pecudibus praesideret, consimilis Erichthonio *τοῦ τρισχίλιαι ἵπποι ἕλοσ κάτα 'βουκολέοντο* (Υ 221)?

4) Mnem. 1912 p. 32.

5) Cf. Mnem. 1912 p. 288 Liceat hic animadvertere in eius paginae linea 21 s. f. excidisse post „urbe" vocem „patria".

Graecis suscenseret quolibet ex eis deis qui flagrarent odio in Troianos. Atque forsitan propter ipsam Troiae tutelam poetae eum assimulaverint nescio cui deo qui revera in indigenarum urbibus coleretur; facit enim noster Chrysen eum alloquentem (A 37) ὃσ Χρύσην ἀμφιβέβηκασ, Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ϝῖφι ϝανάσσεισ, Σμίνθιε, et Διομήδουσ ἀριστείασ auctor eum fingit praesidentem Zeleae Pandari urbi patriae [1]). Nihilominus Iliadis auctores non immemores fuerunt Apollinem a Graecis quoque coli. Nam quamquam in bello Troianis et, ut par est, imprimis Hectori auxiliatur [2]), inque θεομαχίᾳ quae describitur in libris Υ et Φ consistit adversus deos qui Troianos impugnent, tamen magis urbem suam defendit quam contra Graecos saevit; odium acre quale exercent Iuno et Minerva procul habet [3]). Postquam Graecos oppressit ut sacerdotis sui iniurias vindicet placatur simul ac huic satisfecerunt [4]). Fato vetitus suos ultra adiuvare, ultro recedit [5]). Sic eius ratio magis quam eorum numinum quae Graecis favent, Iovis menti convenit, neque mirum est ei potissimum deorum regem mandata committere [6]).

Dixeris Veneri, nam de hac dea nunc agendum, prius locum non fuisse in fabula Troiana quam Paris crederetur ipsius illecebris et donis adduxisse hospitis uxorem ut marito fidem frangeret. Quid enim deae dulce ridenti cum raptu feminae invitae reluctantis asportatae a praedone inter ὁρμήματά τε στοναχάσ τε? Iamvero Venus cum non tantum sit mater cupidinum, sed Aeneae quoque parens, dandum est fieri potuisse ut simul cum hoc in partem belli Troianum vocaretur etiam antequam crederetur Paridi adfuisse in pellicienda Helena. Sed notatu dignum est Aeneae neque incluso in urbe Pedaso expugnata ab Achille, neque certamine singulari cum eodem pugnanti periculum vitae a matre esse aversum, sed e Pedaso fugisse Iovis Idaei ope (Υ 92 sq.) e certamine cum Achille eum abripuisse Neptunum, (Υ 319 sq.) unde iure efficias poëtis qui Achillis res celebrarent

---

1) Vide supra p. 45.

2) Cf. i. a. Η 81, 272, Λ 353, Ο 236, 306, 327, Π 725, Υ 375, 443, Χ 208, Ψ 188, Ω 18, 32. E ceteris Troianis Apollo tuetur Aeneam Ε 344 Panthoum Ο 521 Antenorem Φ 596, exaudit Glauci precies Π 508 sq.

3) Η 23 sqq.

4) Α 474, 479.

5) Χ 213.

6) Ο 236 sq. Π 663 sqq.

quamvis non ignari essent, id quod supra vidimus [1]) Aeneam Venere natum esse, tamen in mentem non venisse fingere matrem coelestem curantem bella terrestria quibus filius interesset. Fuerintne autem inter Iliadis fontes Helenae raptum agentes qui tradiderint Helenam volentem esse secutam Paridem, latere supra vidimus [2]), ne Irae cantor quidem quid de ea re senserit sciri posse [3]). Sed *Διομήδευσ ἀριστείαν* is qui Iliadi inseruit, quem eundem inseruisse paene totos libros Γ Δ Ε Ζ alio loco demonstrandum erit non dubitavit de Helenae adulterio, id quod evinci locis Γ 54, 139, 164, 173, Ε 530, Ζ 363, 377 in superioribus ostendimus [4]). Hic Venerem Troianos egregio amore amplecti pronuntiat (Ε 423); quod vero filium cum suo damno Diomedis manibus subtraxisse narrat nihil prohibet eius fontibus tribuere dummodo teneatur hos neque ad Helenae raptum neque omnino ad bellum Troianum pertinuisse [5]). Praeterquam in libris quos supra dixi, nonnisi quater Venus in Iliade prodit: in *Διὸσ ἀπάτῃ* ubi eam Iuno eius cingulum petitura, metuere se dicit ne recuset *οὕνεκα* inquit (Ξ 142) *ἐγὼ Δανάοισι, σὺ δὲ Τρώεσσιν ἀρήγεισ*, facile tamen persuadet ut donum largiatur; tum in *θεομαχίᾳ* quae narratur Υ 1 sqq., Φ 383 sqq.; porro Ψ 185, ubi canes arcet Hectoris corpore; postremo Ω 29 sqq. ubi Paridiis iudicium tangitur *ὃσ 'νείκεσσε θεὰσ ὅτι οἱ μέσσαυλον ἵκοντο, τὴν δ' ᾔνεσσ' ἥ οἱ 'πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν*. Sed cuncti hi loci deberi videntur poëtis aetate recentioribus eo qui *Διομήδουσ ἀρίστειαν* Iliadi inseruerit, unus locus Ω 29 sqq. vix dubium est quin derivatus sit ab antiquo mytho in quo tamen iudicium de deabus latum manifesto ad principem Troianum nondum referretur neque coniungeretur cum Helenae raptu. Tum cum rogari inciperetur cur Venus Paridem adiuvasset in Helena seducenda, poëtae non satis sibi conscii eiusmodi ministerium ex ipsa deae natura explicandum esse, huc traxerunt fabulam laudandi eam causa olim inventam.

Martem adversus Graecos cum Troianis stetisse vulgatissimum est. At si rem accurate consideras mox vides in Iliade rem ita se habere nonnisi in libris Δ Ε et in *θεομαχίᾳ* quam habent libri

1) Mnem. 1912 p. 293.
2) Nihil obstare quin credamus nullos fuisse demonstravimus supra p. 50, 56, 58, 61.
3) Supra p. 60. 4) Supra p. 48 sq. 5) Supra p. 37 sqq.

Υ Φ. Contra inter Graecorum principes numerantur eius filii Ialmenus et Ascalaphus (B 512, I 82), quorum hunc interfectum a Deiphobo (N 518 sqq.) ne pater ulciscatur, vix continetur a Minerva O 113 sqq.); Ascalaphi autem mortem in superioribus ostendimus [1]) veri similiter referri ad antiquissima de bello Troiano carmina. Praeter quam locis allatis, Mars in Iliade nullas partes agit, nisi quatenus est deus belli a quo occisi dicuntur quicunque in acie cadunt tam Troiani (Ω 260, 498) quam Graeci et cuius ministri et amici appellantur omnes bellatores sive Graeci (B 110, H 382, Z 67, Θ 79, K 288, O 733, T 78) sive Troiani. Itaque in promptu est conicere primum eum poëtam qui Διομήδουσ ἀριστεἰαν Iliadi inseruerit adscripsisse Martem Troianorum parti, idque propterea fecisse quod in fontibus qui de proeliis inter deos agerent et ipsi et sorori Veneri infestissimos invenisset Diomedem et Minervam. Neque ignarus fuisse videtur in aliis carminibus antiquis Martem cum Graecis facere eaque re inductus Minervam finxisse eum accusantem (E 832 sq.) quod antea professus se Troianis impugnaturum, fidem rupisset contra Graecos saeviens [2]).

Quae supersunt paucis conficere licet. Nam Neptuni auxilium Graecis latum, quod in Iliade ne obvium quidem est nisi in pugna apud naves librorum N Ξ et in θεομαχίᾳ librorum Υ Φ, utrum derivatum sit necne ex Iliadis fontibus quibus proelium apud naves ageretur — θεομαχίᾳ autem librorum Υ Φ nullum antiquum fontem subesse iam saepius monuimus — mittendum videtur. Sed quoquomodo haec res se habet, Neptunum cum omnes fere Graeci inter summos deos haberent, eorum poëtas facile intelligitur non dubitasse quin in bellum Troianum se interposuisset atque potius suorum causae cupisset quam hostium.

1) Mnem. 1912 p. 7.

2) Idem poëta alio loco (E 563 sqq.) Martem narrat Menelao audaciam iniecisse et incitasse ut Aeneae obviam iret. Deum belli incitare bellatores in promptu erat, sed Menelaum incitasse, addit noster, ut eum perderet. Quippe enim Martem modo in proelium reversum (vs. 508 sqq.) unde Minerva eum paulo ante removerat (vs. 35) et πάντῃ ἐποιχόμενον, facile in cogitationem incidit poëta proponendi id facientem peculiari consilio adiuvandi Troianos quod propter ipsius naturam in eum caderet. Neque igitur opus videtur sumere nostrum locum derivatum esse e fonte in quo sine mala fraude Mars Menelaum incitasset. Nam quod nostro loco Menelaus appellatur Ἄρηι φίλοσ facile credimus fugisse nostrum propriam vim tritae huius formulae Martis consilio repugnare.

In hanc sententiam vix ullius momenti fuisse quae narrarentur de iniuriis a Laomedonte illatis perspicuum est, quamquam θεομαχίας auctor eum facit perstringere Apollinem (Φ 441 sqq.) quod huius rei immemor sit. E Troianorum numero Aeneae favet (Υ 318 sqq.) quam rem suspicati sumus [1]) derivatam esse e mythologiis Arcadum quibus utrique cultus patrius esset. Porro Vulcanus Achilli arma fabricatur quod ex antiquis Thessalorum carminibus depromptum videtur [2]), et a matre Iunone advocatus Achillem iuvat oppressum a Scamandro (Φ 330 sqq.) quod auxilium ex antiquo fonte haustum an a libri Φ auctore excogitatum sit, latet; sufficiebant autem haec ut in θεομαχίᾳ quae in libris Υ Φ describitur consisteret inter deos Graecorum res tuentes. Superest unus locus, ubi a Troianis cultum legimus nam E 9 sqq. antistitis sui Daretis filium Idaeum Diomedis manibus subtrahit, quod rursus utrum ex antiquo fonte haustum sit necne non dispicitur. Postremo Scamandrum nonnisi quia Troianorum agrum perfluit, deas Latonam et Dianam tantummodo propter Apollinis consanguineitatem una quocum delubrum eis in arce Troiana positum est (E 447), adnumerari deis quae in θεομαχίᾳ libro Υ Φ Troianorum causam defendant, manifestum est. Ne hi quidem praeter quam locis allatis vix ad antiquos referendis fontes, in bello Troiano apud Homerum prodeunt; cetera numina quae in Iliade appellantur bellum Troianum non curant.

f. *Epilogus.*

Patet e quibuscunque fontibus haustae sunt sive res sive personae quae in Iliade aut depictae aut modo tactae in partem non venerunt fabulae quae erat de bello Troiano, cuius generis sunt Hercules Meleagrus Iason Eurytus Bellerophon alii nonnulli cum suis quisque casibus et rebus gestis, distinguendos illos fontes esse ab his quae fecerunt ad fabulam Troianam procreandam et augendam. Illos cum mittere iam liceat, alteros quo clarius ostendatur eius fabulae γένεσις quatenus ante Homeri aetatem processerit, ex iis quae in superioribus exposuimus

---

1) Supra p. 40.
2) Mnem. 1912 p. 299.

breviter repetere et recensere placet. Computanti autem apparet ad hos fontes referendum esse primo loco carminum κύκλον sive fasciculum quo celebraretur diversarum gentium Graecarum expeditio duce Aiace, quem alii poëtae Telamonium alii Oilei filium dicerent, ex Aulide profecta in regionem postea Troadem dictam, qua expeditione post varios casus et labores, Patroclo ab Euphorbo, Hectore ab Aiace interfecto, Troia capta esse si minus narraretur, attamen significaretur; tum carminum κύκλον quo Achillis aliorumque heroum Thessalorum èt sociorum ut Philoctetis Machaonis èt hostium ut Alexandri, in patria Thessalia ederentur res gestae et casus i. a. urbs Thebae ab Achille capta, ipse interemtus ab Alexandro, hic a Philoctete; tertium quo proponerentur expeditiones ab Achille ductae in insulas Lesbum Tenedum inque continentem proximum, bella adversus Dardanos rege Aenea, Leleges Alta rege, urbes Pedasus et Lyrnessus expugnatae; quartum quo narrarentur Achillis proelia contra Troianos, cum Aenea iam Troiano facto, cum Scamandro flumine Troiano; porro duos carminum κύκλουσ in Peloponneso conditorum quorum altero tractaretur Helena a Paride, nondum Troiano, rapta, a Menelao et Agamemnone reducta, altero belligerantes Minerva et Diomedes contra Apollinem Pandarum, Venerem Aeneam; tum duos quibus celebrarentur res gestae Dorum Asiaticorum, altero bella cum incolis Lyciae et insularum adiacentium, Tlepolemi cum Sarpedone certamen, altero Idomenei et Merionis fortia facta in insula Creta edita; postremo Ionum Asiaticorum carmina èt illud quo ageretur clades regis Rhesi in patria sua oppressi ab Ulixe et Diomede, èt aliqua quibus dilataretur fabula Troiana his aucta argumentis: expeditione principis Troiani Paridis sive Alexandri qua raperetur Helena, legatione a Menelao et Ulixe suscepta ad eam reposcendam, certamine singulari Menelai et Alexandri, Agamemnonis ἀριστείᾳ et vulneratione, eiusdem consilio praepostero belli omittendi, Sarpedonis victoria reportata de Tleptolemo.

Magni autem momenti est fontium rationem habere in considerandа Iliadis compositione. Sic enim animadvertemus multa quae in illa legantur e carminibus antiquioribus hausta, non satis apte coniuncta esse cum contextu poëmatis in quod adhiberentur; discrepantias igitur et repugnantias inde ortas omit-

temus in inquirendo sintne conspicuae in illa eiusmodi dissentiones quae nisi diversitate auctorum intellegi nequeant. Non sufficere fontium naturam ad omnia inconcinna explicanda, et remanere quae evincant Homerum non unum esse in sequentibus ostendere conabimur; sed agendo ita ut dixi evitabimus cautem in quam nonnulli vv. dd. naufragium fecisse videntur. Qui tantummodo spectantes quid cohaereret quid minus, tum ex iis quae non quadrarent quid antiquius quid recentius videretur, eas poëmatis partes quae antiquiora referrent propter id ipsum adscripserunt auctoribus antiquioribus quae recentiora recentioribus, non satis conscii antiquiores Iliadis auctores haurire potuisse e fontibus recentioribus, recentiores ex antiquioribus, eosdem ex utrisque, ita ut ne repugnantia quidem semper diversos proderet auctores.

Lachmann vir clarissimus sibi proposuit Iliadis argumentum nec non totam eius materiem, omnia quae in ea enarrarentur aut tangerentur, pedestri sermone in omnium ore divulgata fuisse antequam carminum multitudo quorum coniunctione poëma nobilissimum prodisse censeret, condi coepta esset [1]). Atque J. Grimm v. cl. Lachmanniana carmina respuens, conspiratione et consensu omnium Graecae nationis hominum non tantum ut Lachmann materiem Iliadis et Odysseae creatam esse censuit, sed ipsa illa poëmata qualia nunc ea habemus numeris composita esse cum quisque cui liberet aliquos versus cantaret alius alium exciperet, argumenti unitas sponte oreretur quippe quam omnes sponte apud animum sibi propositam haberent [2]). Neutri rationi neque

---

1) „Solche epische Einheiten zu wählen (wie der Zorn des Achilleus und die Heimkehr des Odysseus), wenn es ein einzelner thut zeigt einen Kunstverstand der völlig ausgebildeten Poësie ..... In einfacherer epischen Zeit macht solche Einheiten nicht der einzelne Poët, sondern die Sage, das gemeinsame Dichten (ohne Form und ohne Lied) des Geistes aller welchen die Einzelnheiten überliefert sind, die sich dann, und oft auch ganz fremdartige unter die unwillkürig entstandene Einheit fügen" (e Lachmannii epistola ad K. Lehrsium v. cl. apud Friedländerum v. d. „die Hom. Kritik von Wolf bis Grote" p. VIII).

2) „Jedes Epos muss sich selbst dichten, von keinem Dichter geschrieben werden" (Kl. Schr. IV p. 10 Ann. 4) et alio loco „wie alles gute in der Natur geht auch das Epos aus der stillen Kraft des Ganzen leise hervor; was dabei leiden oder thun heissen kann, wer wolite es ihm absehn?" (Besprechung von Karl Lachmanns Schrift über die ürsprüngliche Gestalt des Gedichtes von der Nibelungen Noth, Kl. Schr. IV p. 92).

Lachmannianae neque Grimmianae defuerunt assectatores [1]); verum tamen dies diem docens utramque evertit. Utramque praeposteram esse iam dudum viderunt vv. dd., mera enim somnia esse illos nationum quasi genios magis quam ingenia, quorum beneficio antiquissimis temporibus non tantum unusquisque terrae filius arte poëtica imbutus fuerit, sed etiam omnes ita consenserint ut eadem carminum argumenta omnium animis occurrerent, omnes mutuo se adiuvarent in labore ea pangendi. Verum quidem esse Graecis etiam hodie eam esse poeticam indolem ut homines e plebe quaecunque videant audiant experiantur, quae quidem vehementius eos moveant, referant conclusa διστίχοισ, sed inde nulla fieri carmina nedum quae argumento ampliore contineantur [2]). Ab altera parte haud dubie nulla Musae ope narratiunculas excogitandi et divulgandi antiquis praesertim temporibus ansam dedisse ritus sacros quorum vim vetustas obscurasset, sepulchra vel alia monumenta quae quibus extructa essent memoria excidisset, ipsa nomina quae superessent hominum mortuorum olim celebrium sed iam dudum iacentium in oblivione, denique res gestas longa die non prorsus oblitteratas. At has non latius percrebescere sed adhaerere solo quod eas tulisset, nisi forte eiusmodi narratiuncula abiret in fabellam demtis nominibus propriis ita ut universe ageretur de rege qui olim regnasset, de virgine quae olim floruisset, de urbe alicubi sita. Dandum esse apologos et fabellas sive e narratiunculis ortas, sive alias quaslibet, praecipue iocosas, sine forma poëtica ab

---

1) Sic H. Steinthal v. d. (Zeitschr. für Völkerpsychologie V p. 7) „Der Stoff gehört allen. Stil, Redewendungen, Metrum, Compositionsweise, alles was ein Gedicht ausmacht ist Gemeingut" et (l.l. p. 9) „In der Volksdichtung singt jeder da weiter, wo der Andre aufgehört hat, wie der Andre es gethan hätte, weil er auch begonnen hätte wie dieser", et (l l. p. 21) „Der Gesammtgeist legt in den Stoff mit neuschaffender That den fruchttragenden Keim" et (l.l. p. 27) „Er (der Gesammtgeist) schafft die Idee für die grosse organische Epik" et (l.l. p. 33) „So darf es nur nöthig erscheinen das jedesmal ein Einzelner, dem es weiter keine besondere Mühe macht, nur den Mund zur Mittheilungen dessen aufthut was die Uebrigen alle ebenso vortragen können" et (l.l. VII p. 74) „Die Sage schafft nicht die Einheit, wohl aber die *gesungene* Sage. Die Einheit der Odyssee wie die der Ilias sind die Schöpfung des singenden Volksgeistes". Eodem modo L. Erhardt „Die Entstehung der Homerischen Gedichte" p. XXIV.

2) Cf. Commentationem utilissimam nostratis D. C. Hesselink v. cl. in Bibliotheca „de Gids" 1913 IV p. 59 sqq. cui titulus „Heldendicht en Volkspoëzie".

hominibus e plebe inveniri et totius nationis quodammodo proprium fieri; attamen propter ἀνωνυμίαν suam ne haec quidem posse pro fundamento esse poësis epicae quippe quae nominibus propriis carere non possit. Accedere quod inauditum sit per fabulatores pedestri utentes oratione, fabellas narratiunculas apologos ita coniungi ut inde maioris ambitus sive mythorum sive fabularum argumenta concrescant [1]). Quod si ita est ne Drerupio v. cl. adstipulandum videtur, qui quamvis non neget poëmatis magnis qualia sunt Ilias et Odyssea pro fontibus fuisse carmina antiquiora quorum auctores arte poëtica eruditi essent, minus recte praemittit exordia poësis epicae facta esse „a natione tota", quippe cum „tota natio" ἐπεισοδίοισ numerosis ἐκ τοῦ παραχρῆμα conditis tractaret materiem poëticam quae contineretur rebus gestis proxime praeteritis [2]). Contra contendendum erit carmina etiam antiquissima et simplicissima quae singulorum deorum vel hominum singulas res gestas pro argumento haberent non condi potuisse nisi a paucis hominibus si nationem totam spectas, singularibus praeditis ingenii dotibus, neque materiem quam tractarent pro magna parte nedum solam fuisse res gestas praeteritas, sed cantores illos suas edidisse φαντασίασ excitatas eisdem rebus atque narratiunculas fabulatorum qui pedestri uterentur sermone, nominibus numinum et hominum, monumentis artis, sacris ritibus vetustis, tum etiam rebus gestis praeteritis, neque non ipsis narratiunculis et fabellis. Minime huic sententiae repugnant ea quae Drerup ut causam suam tueatur e diversarum affert nationum carminibus. Dandum autem haud dubie antiquissima carmina pepigisse ἐκ τοῦ παραχρῆμα cantores αὐτοδιδάκτουσ qui imprimis e principum numero existerent quemadmodum Achilles ab Homero narratur (I 189) cecinisse κλέα ἀνδρῶν; mox vero extitisse δημιούργουσ qui arte sua poëtica victum sibi quaererent et toti in ea magis magisque eam excolerent, carminum iam extantium ope uberiora argumenta invenirent, metra artificiosiora adhiberent unde existeret hexameter qui dicitur dactylicus; denique cum longi temporis decursu

---

1) De tota re egregie egit Kroll v. cl. Neue Jährb. für das klass. Alterthum 1912 XXIX p. 163 sqq.

2) „Homer" Erste Abth., dritter Abschn.

diversarum regionum cantores singuli ceterorum opera cognovissent componi coepta esse poëmata maioris ambitus quales sunt nuclei Iliadis et Odysseae. Fert igitur ratio ut quibuscunque locis Iliadis auctores apparet hausisse e fontibus antiquioribus, cogitemus de carminibus, idque eo magis quo clarius sit pleraque quae ex fontibus hausta inveniantur eiusmodi esse ut a natura narratiuncularum fabellarum apologorum abhorreant, poësin epicam quasi sapiant.

At vero quamvis haec ita sint nihil vetat credere non tantum antiquiores poëtas etiam ea quae pedestri oratione narrata extarent in usum suum convertisse, sed ipsos quoque Iliadis auctores eadem materia nonnumquam sine carminum interventu abusos esse. Unde sequi videtur ut inter Iliadis fontes non carmina solum sed etiam narratiunculae, talia, referenda et indaganda sint. Quod tamen non dubitavimus negligere. Nam quamquam minime nos fugit vix aliter posse quin nonnulla quae antiquis carminibus assignavimus melius illo modo explicentur et forsitan veri similiter non nulla eiusmodi indicare liceat, ut ne multa afferam ubi memoratur *σῆμα Μυρίνησ* (B 813), vel *τύμβοσ Ϝίλου Δαρδανίδαο παλαιοῦ δημογέροντοσ* (Λ 571 sqq.), vel ubi *νύμφη Ἀβαρβαρέη* dicitur peperisse Aesopum et Pedasum (Z 22), *νύμφη Γυγαίη* in lucem edidisse Iphitionem (Υ 384 sqq.) vel ubi Amisodarus narratur eduxisse Chimaeram (Π 328), tamen certa indicia nulla prodeunt quibus dignoscas quid et quantum ab Homero ex fonte aliquo haustum antiquis carminibus sit denegandum; et quoniam hoc quidquid id est si rem universe spectas, neque multum esse potest, neque ullius momenti ad *γένεσιν* fabulae Troianae adumbrandam, maluimus agere quasi nihil esset, et cuncta quae ad Iliadis fontes pertinerent, ad sola referre carmina.

Superest ut rogetur utrum materiem tantum et argumenta antiquorum carminum an integros quoque versus vel maiora etiam quasi fragmenta carminum usurpaverint Iliadis auctores. Utrumque autem usu venisse videtur. Ut ex carminibus antiquissimis quae essent de bello Troiano, quae proelio apud naves, Aiacis cum Hectore certaminibus, Patrocli morte in Iliade enarratis pro fundamento fuerunt, vix unum versum integrum transsumtum esse puto. Atque sic quoque quaecumque

Achillis res gestae in Iliade leguntur ex antiquis fontibus haustae, in his commemorandis illius poëmatis auctores nonnisi aut tetigisse aut, ubi fusius agerent, prorsus tamen reformasse videntur antiquorum carminum materiem. Quod consentaneum erat, quo antiquiores adhiberentur fontes eo magis obstare èt metrum — neque enim Iliadis numeros elaboratos eosdem fuisse abinde exordiis poësis epicae supra monuimus — èt sermonem — Ionum enim dialectum a Boeotorum et Thessalorum diversam fuisse nemo nescit — ne qua de verbo exprimerentur. Tamen in Aeneae et Achillis certamine, in Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίᾳ, in Thetidis querelis (quas initio ad filii mortem pertinuisse ostendimus) [1]) nescio quomodo nobis videmur — nam quis sustineat talem rem arithmeticorum, ut dicunt, ratione demonstrare? — hic illic verba et sententias ex archetypis transsumtis deprehendere. Sed etiam quae e Dorum carminibus de Hercule de Tlepolemo de Idomeneo conditis in Iliadem recepta sunt, de his non aliter iudicandum videtur quam de illis quae e carminibus Boeotorum et Thessalorum tantummodo rursus paucis aliquibus locis exceptis, ut ubi fratres gemini Mors et Somnus narrantur Sarpedonis corpus in patriam referre, vix potes quin totum locum eo pertinentem abinde Iovis colloquio cum uxore (Π 432 sqq.) imitatum censeas e carmine principali quo Sarpedonis mors ageretur [2]), et ubi pingitur Idomeneus arma induens et progrediens in aciem (N 240 sqq.) ipsa imaginis gravitas ad contextum narrationis minus quadrans retenta esse videtur ex antiquo carmine. Tum quae de Herculis servitio Iliadi inserta sunt, cum obiter maximam partem iis tangantur argumenta carminum unde sunt hausta, tamen fieri potest ut Iovis iusiurandum quo filio nondum nato primarium locum inter suos praestare sibi videtur, et Iunonis responsum (T 161 sqq.) e fonte expressa sint. Porro is qui Δολωνείαν nec non qui Διομήδους ἀριστείαν Iliadi inseruit, res non verba exempli sui reddidit easque non leviter mutatas. Etiam e bellis Thebanis, e Nestoris in patria rebus gestis, ex eventis pertinentibus ad Meleagrum, quae in Iliade commemo-

---

1) Mnem. 1912 p. 323 sq.

2) Initio hanc pertinuisse ad certamen cum Tlepolemo demonstravimus supra p. 247. Quod si recte vidimus vss. Π 448 sqq. fonti denegandi sunt.

rantur strictim e fontibus concepta esse patet. Helenae Troiam asportatio tangitur tantum, item Menelai et Ulixis legatio ad eam resposcendam, Troianorum concilium cum hac coniunctum paucis adumbratur quod non potest quin in fontibus copiosius pertractatum sit. Verum de Menelai et Paridis certamine, de Agamemnonis consilio domum redeundi, de eiusdem ἀριστείᾳ et vulneratione paulo aliter iudicandum videtur. Quae in certamine, si recte censuimus pro fonte fuisse carmen quo Helena sine sua culpa rapta fingeretur, ad Veneris dona auxiliumque deae Paridi latum pertinent, inventa esse necesse est ab eo qui Iliadi inseruit. Atque in Διαπείρᾳ omnia ea quibus in Iliade res ita proponitur ut Agamemnon ficte loqui credatur, manifesto fonti deneganda sunt. Ἀριστείας introitum qualem eum nunc habemus, exordium volo libri Iliadis Λ satis recenti origine esse posthac demonstrabo. Sed ceteras partes trium illorum ἐπεισοδίων animum attendentem vix fugere poterit manus reddere eorum qui primi ea animo conceperint, utque aedificii exemplo utar, e lapidibus redivivis compositas esse. Neque re vera quidquam prohibebat carmen aliquod quod iam sua laude floreret si forte quadraret ad maioris poëmatis contextum totum vel paene totum in eum adhibere, neque aliter poterant auditores nisi delectari cum cernerent eius modi carminis dignitatem augeri eo quod inserviret novo et ampliori proposito.

(*Continuabuntur*).

AD TACITI ANNALES (XVI, 22).

In Thraseam reum sic declamat accusator:

habet *sectatores* vel potius *satellites*, qui nondum contumaciam sententiarum, sed habitum vultumque eius *sectantur*, rigidi et tristes, quo tibi (Nero) lasciviam exprobrent.

Ecquid elucet substantiva quae sunt *sectatores* et *satellites* locum inter se mutare debere? Qui a Thraseae stant partibus eius *sectatores* dicuntur, philosophi Stoici discipuli.

J. J. H.

LECTIONES VALERIANAE.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(*Continuantur e pag.* 144).

III 1, 1 p. 109, 5 *adventantis equitatus fragor et concurrentium exercituum impetus iuvenibus quoque aliquantum terroris incutit, inter quae gentis Aemiliae pueritia coronam mereri, spolia rapere valuit.*

Legendum credo *maluit.*

ibid. 9 *a Q. Poppedio Latii principe, Drusi autem hospite, rogatus ut socios apud avunculum adiuvaret, constanti vultu non facturum se respondit.*

Nomen *Latii* in codd. mss. corruptum est: variant in *latii* — *latini* — *latino* — *latinorum.* Veram lectionem esse puto *legationis principe.* Cf. V 1, 1 p. 215, 20: o etiam nostram legationem supra vota felicem!

III 1 Ext. 1 p. 110, 25 (Alcibiades) *cum adhuc puer ad Periclen avunculum suum venisset eumque secreto tristem sedentem vidisset, interrogavit quid ita tantam in vultu confusionem gereret. at illo dicente* e. q. s.

Suspicio me tenet, Valerium pro *tantam* scripsisse: *tacitam*; pro *at illo* omnino reponendum erit: *atque illo.*

ibid. p. 111, 3 (Pericles) *id egit, ut Athenienses finitimo inplicati bello rationibus exigendis non vacarent.*

Sermonem esse moneo de bello Peloponnesiaco, qua de causa dubitandum non est quin pro *finitimo* restituendum sit: *funestissimo.*

ibid. 25 *cuius* (i. e. Horatii Coclitis) *fortitudinem dii immortales admirati incolumitatem sinceram ei praestiterunt:*

Pro *sinceram* non *sincere*, quod Gertzius proposuit, sed *singularem* maluerim consideratis hisce quae continuo sequuntur: nam neque altitudine deiectus quassatus nec pondere armorum pressus nec ullo verticis circuitu actus, ne telis quidem, quae undique congerebantur, laesus tutum natandi eventum habuit.

III 2, 6 p. 113, 21 *neque erat in eo exercitu quisquam aut nobilitate aut animi indole aut futuris actis, cuius magis saluti parci et consuli deberet* (sc. quam Scipionis Aemiliani).

Locum corruptum alii ita emendare conati sunt, ut Novak *indole ad futuros actus*, Gertzius *indole aut futuri* ⟨*praes*⟩*agiis* coniceret, ipse editor rogaret an forte excidisset *ei par.*

Post *actis* inserendum credo: *clarus*, quod scribam propter similitudinem litterarum vocabuli sequentis *cuius* omisisse suspicor. Cf. V 1, 3 p 218, 30: Quintius insigni pugna clarus evasit.

III 2, 10 p. 116, 8 *qui vehementi ictu remorum concitatam fuga Punicam classem nantes lubricis pelagi quasi camporum firmitate pedites in litus retraxerunt.*

Ad *nantes* Kempfius annotavit, Gertzium recte censuisse participium aliquod velut *innixi* addendum esse. Videant an non participium *gavisi* post *pelagi* sit rescribendum, cuius litterarum ductus ad formam voc. *quasi* tam prope accedunt ut librarius minus accuratus id praetermittere facile potuerit.

III 2, 16 p. 118, 13 *Cato, a quo Porciae familiae principia manarunt. qui cum ab hoste in acie vehementer † parvulo peteretur, vagina gladius eius elapsus decidit.*

Alii alia temptarunt ut hunc locum in integrum restituerent, quorum proposita a Kempfio commemorata nunc non referam. Meam potius sententiam aperire liceat. Frustra enim omnes illos laborare arbitror, qui aut pro *parvulo* unum vel plura alia vo-

cabula substituere aut nova ei addere voluerint, nam voc. *parvulo* e versu superiore per errorem in inferiorem migrasse credo itaque Valerio sua reddere mihi videor: Cato, a quo Porciae familiae principia e p a r v u l o manarunt. qui cum ab hoste in acie vehementer peteretur, vagina gladius eius elapsus decidit.

III 2, 19 p. 120, 9 *idem — aquiliferum ineundae fugae gratia iam conversum faucibus conprehensum in contrariam partem † d e t r a x i t.*

Viri docti protulerunt: *retorsit — retraxit — derexit — detorsit,* quibus de meo addo: *d e t r u s i t.*

III 2, 20 p. 121, 1 *ego certe aut speciosam o p t a n s mortem aut felicem audaciae exitum vel solus p r o c u r r e r e paratus sum.*

Haec recensio, quae Kempfio debetur, omnino reicienda est. Qui cum pro corrupta librorum mss. scriptura *optaui* coniecturam suam *optans* recepisset, ulterius progressus lectionem traditam *praecurrere* temere in *procurrere* immutavit. Neque magis placent aliorum inventa, quae sunt *oppetam* Lipsii, *opto mihi* Foertschii, *optarim* Novakii, *speciosum optans vitae aut* (del. *mortem*) W. Boehmii.

Quicumque adhortationem tribuni attente perlegerit, eam quasi ultro lectionem genuinam nobis suggerere videbit, imprimis verba quae proxime antecedunt: „absit istud dedecus a sanguine nostro, ut Romani gloria cedere Latinis velimus". Mihi quidem pro certo constat, auctorem scripsisse:

> ego certe aut speciosam o p p i d a n i mortem aut felicem audaciae exitum vel solus praecurrere paratus sum.

Praeterea cf. III 1, 1 p. 108, 20: praecucurrit igitur Lepidus aetatis stabilimentum, V 1, 1 p. 215, 8: eius tamen commen datio praecurrere videtur.

III 2, 23 p. 124, 1 *ac duabus loricis onustus inter undas, quas hostili cruore infeceras, e n a s t i.*

Immo *e v a s i s t i* neque aliter Iulius Paris legit, quippe qui praebeat: profundo se commisit et e v e c t u s a d l i t u s petiit a Caesare e. q. s.

III 2 Ext. 5 p. 127, 10 *'non finis' inquit, 'commilitones, vitae meae, sed melius e t † a t h i u s initium advenit: nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur.*

Iam olim hic locus legentibus molestias exhibuit, nam in libris mss. varie iam exaratum est: *athius* — *aptius* — *altius* — *auctius*, quam lectionum copiam critici auxerunt; Novak enim *amplius*, Gertzius *lautius*, Kempfius *beatius* suppeditavit, quibus omnibus ego, si vocabulum obscurum emendandum esse iudicarem, utique praeferrem: *utilius*. Nec tamen verba *et athius* a Valerii manu profecta credo, sed pium monachum, cum Epaminondam asseverantem legeret mortem non finem vitae sed melius initium sibi advenire, in margine aut cum admiratione ascripsisse: *et atheus*! (h. e. vel atheus homo qualis Epaminondas fuit hanc veritatem perspexit) aut cum benignitate: *et atheis* (h. e. non nobis tantum, qui Christiani sumus, sed et atheis mors melius vitae initium est). Verba igitur *et athius* in marginem relegentur, unde immerito in contextam orationem irrepserunt!

III 3, 1 p. 130, 9 *ipsum quoque Porsennam oblitum periculi s u i u l tionem suam vertere in admirationem coegit.*

Ita Kempfius recensuit cum codd. dett. — in optimorum altero post *sui* rasura sex septemve litterarum est, in altero voc. *fere* post *sui* exaratum est in rasura totidem litterarum; inde coniecturae debentur *summi* Foertschio — *subiti* vel *suscepti* Halmio.

Mihi quidem persuasum est, vocabulum deperditum esse *s i m u l*. Cf. huius paginae vs. 20: eaque patientia regi s i m u l et desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi incussit et expetendae populi Romani amicitiae magnam cupiditatem ingeneravit.

III 3 Ext. 1 p. 131, 9 *brachium inmobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso turibulo impediret aut edito gemitu r e l i g i o n e aspergeret.*

Sub laceris vocabuli vestigiis, quae in codd. mss. supersunt, sc. *regio*, non *religione* latere opinor, quod Kempfius e Foertschii coniectura recepit, sed *s a c r i l e g i o*; vocabulum de quavis reli-

gionum rerumque sacrarum violatione usurpatum esse opus non est ut moneam.

III 3 Ext. 4 p. 133, 14. Valerius postquam narravit, Anaxarchum, cum a Nicocreonte tyranno torqueretur, linguam suam dentibus abscisam commanducatamque in os eius exspuisse, de ea lingua et alia multa disserit et haec:

Anaxarchique † non vitam modo deseruit, sed mortem reddidit clariorem.

Quamquam viri docti multi hunc locum coniecturis temptarunt, quas Kempfius in apparatu critico enumeravit, dubito tamen an pro sano sit habendus. Supra Valerius tradidit, tyrannum post irrita tormenta Anaxarcho amputationem linguae minatum esse, qui deinde respondisset: 'Non erit, effeminate adulescens, haec quoque pars corporis mei tuae dicionis', et linguam in os eius exspuisset. Si qua igitur emendatione locus noster indigeat, eius responsi ratione habita proponere velim:

Anaxarchique non vitam modo ⟨d i s e r t a⟩ deseruit, sed m. r. c.

At vero lectio tradita interpretationem haud prorsus spernendam admittere mihi videtur, si sic locum intellegimus: lingua non modo Anaxarchum viventem deseruit, sed etiam mortem eius reddidit clariorem. Nonne factum ipsum, quod lingua hominem etiam vivum deserit, mirandum atque memoratu dignum est?

III 3 Ext. 7 p. 134, 12 *non ergo fastidioso aditu virtus: excitata v i v i d a ingenia ad se penetrare patitur* e. q. s.

Prae ceterorum coniecturis, quas Kempfius memorat, praetulerim *v i r i l i a* h. e. vegeta et strenua ingenia, ut legitur III 5, 1 p. 140, 25.

III 4, 1 p. 135, 6 (Tulli Hostili) *senectus e x c e l l e n t i s s i m i s ** decorata in altissimo maiestatis fastigio fulsit.*

Haec in libris mss. melioribus sine ullo lacunae vestigio exarata sunt, in margine unius ex illis *ornamentis* additum est, quod libri quoque deteriores pauci exhibent. Non credo locum sanandum esse vocabulo aliquo adiciendo, id quod critici nonnulli voluerunt, sed vocabula duo in unum coaluisse, quae sic mecum dividas velim: *senectus e x c e l l e n t i i s s u m m i s decorata.*

Cf. Cic. Lael. 69: Sed maximum est in amicitia parem esse inferiori; saepe enim excellentiae quaedam sunt, qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege.

III 4, 5 p. 137, 6 *ita M. Perpennae nomen adumbratum, falsus consulatus, caliginis simile imperium, caducus triumphus,* † *aliena in urbe inprobe peregrinatus est.*

Locum, quem Gertzius se non intellegere affirmat et Kempfius emendare conatur scribendo *peregrinantis* (omisso *est*), sic restituendum censeo: *triumphus: ⟨alienus⟩ aliena in urbe improbe peregrinatus est.*

Cf. VI 9 Ext. 1 p. 317, 20: peregrinatus est huius animus in nequitia, non habitavit.

III 6, 1 p. 140, 19 *P. Scipio, cum in Sicilia augendo traiciendoque exercitu in Africam opportunum quaerendo gradum Karthaginis ruinam animo volveret,* e. q. s.

Editor voc. *exercitu,* cum in margine cod. A e Iulio Paride *exercitum* ante *augendo* suppletum sit, cum libris dett. post *traiciendoque* inserere maluit. Ego vero Paridem non locum, quem vocabulum apud Valerium obtinebat, sed ipsum vocabulum mutasse credo, Valerium autem more suo scripsisse: *P. Scipio, cum in Sicilia ⟨agmen⟩ augendo traiciendoque in Africam opportunum quaerendo gradum Karthaginis ruinam animo volveret.* Similitudo nimirum litterarum, quae inter *agmen* et priorem partem verbi *augendo* intercedit, causa fuit, propter quam illud vocabulum in describendo omissum est.

III 7, 1d p. 144, 5 *neque enim huc puto* [*eo*] *malignitatis ventum, ut de mea innocentia quaerendum sit.*

Litterulae *eo,* quas Halmius e compendio *eē* (i. e. *esse*) ortas suspicatur, opinionem mihi confirmant, initium sequentis vocabuli in archetypo minus distincte exaratum fuisse, cum praesertim pro *malignitatis* utique requiram: *indignitatis.* Cf. III 8, 3 p. 155, 15: respondit non existimare se tantis tenebris offusam esse rem publicam, ut huc indignitatis veniretur.

III 7, 8 p. 147, 16 (M. Scaurus) *causam suam ita egit: 'est*

enim inicum, Quirites, cum inter alios vixerim, apud alios me rationem vitae reddere, sed tamen audebo e. q. s.

Particula *enim*, pro qua Pighius *quidem* — Gertzius *enimvero* substituere voluit, editori delenda videtur, mihi vero emendanda in *nimirum*, quod inter litteras *ē* et *inicum* facile in *enim* depravari potuit.

Cf. IV 1, 12 p. 169, 8: omnia nimirum ista praecipua veneratione prosequenda delevit moderatio, IV 3, 4 p. 186, 30: quibus verbis illa nimirum inhaesit sententia.

ibid. 23 *cuius admiratione populus conmotus Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit.*

Ceteris propositis a Kempfio commemoratis omnino reiectis scribendum puto: *cuius ⟨vocis⟩ admiratione populus commotus,* cl. p. 146, 2: qua voce audita omnes — maiorem auctoritatis eius quam suorum alimentorum respectum egerunt.

III 7 Ext. 3 p. 150, 6 *Zeuxis autem, cum Helenam pinxisset, quid de eo opere homines sensuri essent expectandum non putavit, sed protinus [se ad] hos versus adiecit: οὐ νέμεσις Τρῶας κ.τ.λ.*

Temere et incuriose in hoc corrupto loco tractando critici egisse videntur, quoniam apud editorem nostrum haec annotata invenio: „se ad *L et dett. mei omnes,* **|** *A, inclusi inepta verba, quae ex repetita voce* sed *orta putat in Mus. Rhen. XII* 594 *Vahlen,* pinxisse se ad *Wensky p.* 6."

Neutra sententia ullo fundamento nititur: si quis librarius voc. *sed* per errorem repetisset, sequens quoque vocabulum *protinus* nimirum iterasset; Wenskii vero commentum a re critica iam prorsus alienum est.

Dissimulari nequit, cum causa nulla sit propter quam quis litteras *se ad* eo inseruerit, in libris mss. post *protinus* aut duo vocabula binum litterarum aut unum vocabulum litterarum quattuor exaratum fuisse, quae litterae in cod. L in vocc. *se ad* corruptae sunt: restat igitur ut statuamus quale vocabulum fuerit. Iam locum attente percenseamus.

Opere absoluto Zeuxis iudicia spectatorum exspectare dedignatus protinus versus Homericos ei adiecit, protinus — ergo non calamum graphiumve poscere vel quaerere ante voluit, sed eo

ipso videlicet instrumento, quo in pingendo utebatur, ad versus appingendos usus est. Iamque igitur nobis est inquirendum, quibus nominibus Romani id instrumentum significare soliti sint. Appellabant penicillum, quod vocabulum in *se ad* abiisse minime veri simile cuiquam videbitur, sed etiam s a e t a m (Vitruv. VII 9, 3, Plin. N. H. XXXIII 122) atque hoc nomen pingendi artis proprium ideoque minus cognitum scribae in libris mss. aut tamquam monstrum aliquod omittendum aut in 'inepta verba' sed ipsa melius sibi nota *se ad* immutandum censuerunt, praesertim cum in archetypo scilicet *seta* scriptum esset.

Quae cum ita sint, Valerium scripsisse iudico:

sed protinus s a e t a hos versus adiecit.

III 7 Ext. 8 p. 152, 19 *eiusdem vir urbis* (i. e. Spartae) *atque animi hospiti s u o patriae muros excelsos latosque ostendenti dixit, 'si mulieribus istos conparastis, recte, si viris, turpiter'.*

Immo *s u a e patriae,* nam hospitis illius patria Spartae opponitur, cui moenia essent nulla.

III 8 Ext. 2 p. 159, 15 *itaque constantia, quae natura rigidior videtur, l e n i s e mansueto pectore fluxit.*

Sana ratio flagitat: *é l e n i e t m. p. f.*, cuius scripturae codex optimus vestigium servavit, nam in cod. A legitur *et mansueto.*

Obiter moneo, sequentem paragraphum post verbum *fluxit* initium capere itaque numerum 3 ante nomen *Socratis* esse collocandum — non ante voc. *universa* vs. 18, ubi nunc est.

ibid. 24 *forte tunc eius potestatis Socrates, cuius arbitrio plebei scita ordinarentur, indignum iudicans tot et tam bene meritos* [*e t*] *i n d i g n a causa impetu invidiae abripi, temeritati multitudinis constantiam suam obiecit.*

Pro *indigna causa* emenda: *i n d i c t a causa.*

Particulam *et*, a Kempfio inclusam, e versu superiore, ubi ante *indignum* locum suum obtineret, huc migrasse suspicor: nempe ad *forte tunc eius potestatis Socrates* intelligendum videtur: *erat.*

IV 1, 3 p. 163, 22 *uterque recte, e t C e n s o r i n u s e t p o p u-*

lus: alter enim ut moderate honores crederent praecepit, alter moderato credidit.

Dele verba *et Censorinus et populus* et Valerianam scribendi rationem restitueris.

IV 1, 12 p. 169, 6 *ubi illa tot in curia iurgia? ubi tot* [*multae*] *pro rostris altercationes?*

Lege: *ubi tot mutuae pro rostris altercationes?*

IV 1 Ext. 4 p. 172, 6 *Thrasybulus — populum Atheniensem XXX tyrannorum saevitia sedes suas relinquere coactum dispersamque et vagam vitam miserabiliter exigentem — in patriam reduxit.*

Maluerim: *dispersumque.* Cf. V 3 Ext. 3 p. 239, 19: si quidem ille vicatim dispersos cives suos in unam urbem contraxit.

IV 3, 1 p. 177, 10 *referendum est quantopere libidinis et avaritiae furori similis impetus ab inlustrium virorum pectoribus consilio ac ratione summoti sint.*

Conicio: *furiosissimi impetus.*

IV 3, 2 p. 178, 19 *cuius* (h. e. Munatii Rufi) *testimonium* (sc. de Catonis abstinentia) *non amplector: proprio enim argumento laus ista nititur, quoniam ex eodem naturae utero et continentia nata est et Cato.*

Emendandum est: *propiore enim argumento.*

IV 3, 13 p. 184, 1 *Scipio Aemilianus post duos inclytos consulatus totidemque suae praecipuae gloriae triumphos — officio legationis functus est.*

Perizonius aut *suae praecipue* legendum aut *suae* delendum — Madvig *suae et praecipuae* scribendum censuit, sed lectionem traditam frustra sollicitarunt, quam satis tuetur Nepos Themist. 6, 2: idem muros Atheniensium restituit praecipuo suo periculo.

IV 3, 4 p. 187, 3 *Idem* (Diogenes sc.) *Syracusis, cum holera*

ei l a v a n t i Aristippus dixisset, 'si Dionysium adulari velles, ista non esses', 'immo' inquit, 'si tu ista esse velles, non adularere Dionysium'.

Vehementer miror, neminem ante me perspexisse veram ac genuinam lectonem esse: *epulanti,* cum praesertim apud Iul. Paridem (p. 516) locus ita redditus sit: Diogenes cynicus Syracusis cum holere v e s c e r e t u r, Aristippus dixit e. q. s. At verbis pluribus opus non est.

IV 4, 8 p. 191, 3 (Aelii) *quibus una domuncula erat — inque circo maximo et Flaminio s p e c t a c u l i l o c u s. quae quidem loca ob virtutem publice donata possidebant.*

Sana esse ista non possunt atque corrigendum videtur: *inque circo maximo et Flaminio s p e c t a c u l a. quae quidem loca* e. q. s.

Spectaculi notionem, quae est 'locus unde spectatur', qui ignorabat locum de suo illustravit littera ultima *a* in *i* mutata additoque vocabulo *locus.* Cf. Cic. Mur. 72: at spectacula sunt tributim data, Sest. 124: tantus est ex omnibus spectaculis plausus excitatus, Liv. 1, 35: loca divisa patribus equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent.

IV 4, 11 p. 193, 2 *quid ergo modicam fortunam quasi praecipuum generis humani malum diurnis ⟨atque nocturnis⟩ conviciis laceramus?*

Wenskii coniectura *diutius* merito spreta Kempfius Madvigii supplementum *atque nocturnis* immerito recepit. At, credo, non recepisset, si loci memor fuisset qui est III 2, 23 p. 123, 20: quinque militum d i u r n o p r o e l i o suffectura pila una dextera hostium corporibus adegisti. Ut enim ibi diurnum proelium est quod per totum diem sine ulla temporis intermissione committitur, sic h. l. diurna convicia dicuntur quae per totum diem fiunt neque ullo temporis momento non audiuntur.

ibid. 7 *exurgamus potius animis pecuniaeque a s p e c t u debilitatos spiritus pristini temporis memoria recreemus.*

Repone: *r e spectu,* cl. III 2 Ext. 2 p. 126, 2: 'tu vero' inquit 'nihil est quod r e s p e c t u m e i timidius gladio utaris, IV 5, 4 p. 195, 10: maiorem verecundiam dignitatis eius quam c a n d i-

LECTIONES VALERIANAE.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

(*Continuantur e pag.* 144).

III 1, 1 p. 109, 5 *adventantis equitatus fragor et concurrentium exercituum impetus iuvenibus quoque aliquantum terroris incutit, inter quae gentis Aemiliae pueritia coronam mereri, spolia rapere valuit.*

Legendum credo *maluit.*

ibid. 9 *a Q. Poppedio Latii principe, Drusi autem hospite, rogatus ut socios apud avunculum adiuvaret, constanti vultu non facturum se respondit.*

Nomen *Latii* in codd. mss. corruptum est: variant in *latii* — *latini* — *latino* — *latinorum.* Veram lectionem esse puto *legationis principe.* Cf. V 1, 1 p. 215, 20: o etiam nostram legationem supra vota felicem!

III 1 Ext. 1 p. 110, 25 (Alcibiades) *cum adhuc puer ad Periclen avunculum suum venisset eumque secreto tristem sedentem vidisset, interrogavit quid ita tantam in vultu confusionem gereret. at illo dicente* e. q. s.

Suspicio me tenet, Valerium pro *tantam* scripsisse: *tacitam*; pro *at illo* omnino reponendum erit: *atque illo.*

ibid. p. 111, 3 (Pericles) *id egit, ut Athenienses finitimo implicati bello rationibus exigendis non vacarent.*

Sermonem esse moneo de bello Peloponnesiaco, qua de causa dubitandum non est quin pro *finitimo* restituendum sit: *funestissimo*.

ibid. 25 *cuius* (i. e. Horatii Coclitis) *fortitudinem dii immortales admirati incolumitatem sinceram ei praestiterunt:*

Pro *sinceram* non *sincere*, quod Gertzius proposuit, sed *singularem* maluerim consideratis hisce quae continuo sequuntur: nam neque altitudine deiectus quassatus nec pondere armorum pressus nec ullo verticis circuitu actus, ne telis quidem, quae undique congerebantur, laesus tutum natandi eventum habuit.

III 2, 6 p. 113, 21 *neque erat in eo exercitu quisquam aut nobilitate aut animi indole aut futuris actis, cuius magis saluti parci et consuli deberet* (sc. quam Scipionis Aemiliani).

Locum corruptum alii ita emendare conati sunt, ut Novak *indole ad futuros actus,* Gertzius *indole aut futuri* ⟨*praes*⟩*agiis* coniceret, ipse editor rogaret an forte excidisset *ei par*.

Post *actis* inserendum credo: *clarus*, quod scribam propter similitudinem litterarum vocabuli sequentis *cuius* omisisse suspicor. Cf. V 1, 3 p 218, 30: Quintius insigni pugna clarus evasit.

III 2, 10 p. 116, 8 *qui vehementi ictu remorum concitatam fuga Punicam classem nantes lubricis pelagi quasi camporum firmitate pedites in litus retraxerunt.*

Ad *nantes* Kempfius annotavit, Gertzium recte censuisse participium aliquod velut *innixi* addendum esse. Videant an non participium *gavisi* post *pelagi* sit rescribendum, cuius litterarum ductus ad formam voc. *quasi* tam prope accedunt ut librarius minus accuratus id praetermittere facile potuerit.

III 2, 16 p. 118, 13 *Cato, a quo Porciae familiae principia manarunt. qui cum ab hoste in acie vehementer* † *parvulo peteretur, vagina gladius eius elapsus decidit.*

Alii alia temptarunt ut hunc locum in integrum restituerent, quorum proposita a Kempfio commemorata nunc non referam. Meam potius sententiam aperire liceat. Frustra enim omnes illos laborare arbitror, qui aut pro *parvulo* unum vel plura alia vo-

cabula substituere aut nova ei addere voluerint, nam voc. *parvulo* e versu superiore per errorem in inferiorem migrasse credo itaque Valerio sua reddere mihi videor: Cato, a quo Porciae familiae principia e p a r v u l o manarunt. qui cum ab hoste in acie vehementer peteretur, vagina gladius eius elapsus decidit.

III 2, 19 p. 120, 9 *idem — aquiliferum ineundae fugae gratia iam conversum faucibus conprehensum in contrariam partem* † *d e t r a x i t.*

Viri docti protulerunt: *retorsit — retraxit — derexit — detorsit,* quibus de meo addo: *d e t r u s i t.*

III 2, 20 p. 121, 1 *ego certe aut speciosam o p t a n s mortem aut felicem audaciae exitum vel solus p r o c u r r e r e paratus sum.*

Haec recensio, quae Kempfio debetur, omnino reicienda est. Qui cum pro corrupta librorum mss. scriptura *optaui* coniecturam suam *optans* recepisset, ulterius progressus lectionem traditam *praecurrere* temere in *procurrere* immutavit. Neque magis placent aliorum inventa, quae sunt *oppetam* Lipsii, *opto mihi* Foertschii, *optarim* Novakii, *speciosum optans vitae aut* (del. *mortem*) W. Boehmii.

Quicumque adhortationem tribuni attente perlegerit, eam quasi ultro lectionem genuinam nobis suggerere videbit, imprimis verba quae proxime antecedunt: „absit istud dedecus a sanguine nostro, ut Romani gloria cedere Latinis velimus". Mihi quidem pro certo constat, auctorem scripsisse:

> ego certe aut speciosam o p p i d a n i mortem aut felicem audaciae exitum vel solus praecurrere paratus sum.

Praeterea cf. III 1, 1 p. 108, 20: praecucurrit igitur Lepidus aetatis stabilimentum, V 1, 1 p. 215, 8: eius tamen commendatio praecurrere videtur.

III 2, 23 p. 124, 1 *ac duabus loricis onustus inter undas, quas hostili cruore infeceras, e n a s t i.*

Immo *e v a s i s t i* neque aliter Iulius Paris legit, quippe qui praebeat: profundo se commisit et e v e c t u s a d l i t u s petiit a Caesare e. q. s.

III 2 Ext. 5 p. 127, 10 *'non finis' inquit, 'conmilitones, vitae meae, sed melius et † athius initium advenit: nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur.*

Iam olim hic locus legentibus molestias exhibuit, nam in libris mss. varie iam exaratum est: *athius* — *aptius* — *altius* — *auctius*, quam lectionum copiam critici auxerunt; Novak enim *amplius*, Gertzius *lautius*, Kempfius *beatius* suppeditavit, quibus omnibus ego, si vocabulum obscurum emendandum esse iudicarem, utique praeferrem: *utilius*. Nec tamen verba *et athius* a Valerii manu profecta credo, sed pium monachum, cum Epaminondam asseverantem legeret mortem non finem vitae sed melius initium sibi advenire, in margine aut cum admiratione ascripsisse: *et atheus*! (h. e. vel atheus homo qualis Epaminondas fuit hanc veritatem perspexit) aut cum benignitate: *et atheis* (h. e. non nobis tantum, qui Christiani sumus, sed et atheis mors melius vitae initium est). Verba igitur *et athius* in marginem relegentur, unde immerito in contextam orationem irrepserunt!

III 3, 1 p. 130, 9 *ipsum quoque Porsennam oblitum periculi sui ultionem suam vertere in admirationem coegit.*

Ita Kempfius recensuit cum codd. dett. — in optimorum altero post *sui* rasura sex septemve litterarum est, in altero voc. *fere* post *sui* exaratum est in rasura totidem litterarum; inde coniecturae debentur *summi* Foertschio — *subiti* vel *suscepti* Halmio.

Mihi quidem persuasum est, vocabulum deperditum esse *simul*. Cf. huius paginae vs. 20: eaque patientia regi simul et desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi incussit et expetendae populi Romani amicitiae magnam cupiditatem ingeneravit.

III 3 Ext. 1 p. 131, 9 *brachium inmobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso turibulo impediret aut edito gemitu religione aspergeret.*

Sub laceris vocabuli vestigiis, quae in codd. mss. supersunt, sc. *regio*, non *religione* latere opinor, quod Kempfius e Foertschii coniectura recepit, sed *sacrilegio*; vocabulum de quavis reli-

gionum rerumque sacrarum violatione usurpatum esse opus non est ut moneam.

III 3 Ext. 4 p. 133, 14. Valerius postquam narravit, Anaxarchum, cum a Nicocreonte tyranno torqueretur, linguam suam dentibus abscisam commanducatamque in os eius exspuisse, de ea lingua et alia multa disserit et haec:

Anaxarchique † non vitam modo deseruit, sed mortem reddidit clariorem.

Quamquam viri docti multi hunc locum coniecturis temptarunt, quas Kempfius in apparatu critico enumeravit, dubito tamen an pro sano sit habendus. Supra Valerius tradidit, tyrannum post irrita tormenta Anaxarcho amputationem linguae minatum esse, qui deinde respondisset: 'Non erit, effeminate adulescens, haec quoque pars corporis mei tuae dicionis', et linguam in os eius exspuisset. Si qua igitur emendatione locus noster indigeat, eius responsi ratione habita proponere velim:

Anaxarchique non vitam modo ⟨*d i s e r t a*⟩ *deseruit, sed m. r. c.*

At vero lectio tradita interpretationem haud prorsus spernendam admittere mihi videtur, si sic locum intellegimus: lingua non modo Anaxarchum viventem deseruit, sed etiam mortem eius reddidit clariorem. Nonne factum ipsum, quod lingua hominem etiam vivum deserit, mirandum atque memoratu dignum est?

III 3 Ext. 7 p. 134, 12 *non ergo fastidioso aditu virtus: excitata v i v i d a ingenia ad se penetrare patitur* e. q. s.

Prae ceterorum coniecturis, quas Kempfius memorat, praetulerim *v i r i l i a* h. e. vegeta et strenua ingenia, ut legitur III 5, 1 p. 140, 25.

III 4, 1 p. 135, 6 (Tulli Hostili) *senectus e x c e l l e n t i s s i m i s* ** *decorata in altissimo maiestatis fastigio fulsit.*

Haec in libris mss. melioribus sine ullo lacunae vestigio exarata sunt, in margine unius ex illis *ornamentis* additum est, quod libri quoque deteriores pauci exhibent. Non credo locum sanandum esse vocabulo aliquo adiciendo, id quod critici nonnulli voluerunt, sed vocabula duo in unum coaluisse, quae sic mecum dividas velim: *senectus e x c e l l e n t i i s s u m m i s decorata.*

Cf. Cic. Lael. 69: Sed maximum est in amicitia parem esse inferiori; saepe enim excellentiae quaedam sunt, qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege.

III 4, 5 p. 137, 6 *ita M. Perpennae nomen adumbratum, falsus consulatus, caliginis simile imperium, caducus triumphus, † aliena in urbe inprobe peregrinatus est.*

Locum, quem Gertzius se non intellegere affirmat et Kempfius emendare conatur scribendo *peregrinantis* (omisso *est*), sic restituendum censeo: *triumphus: ⟨alienus⟩ aliena in urbe improbe peregrinatus est.*

Cf. VI 9 Ext. 1 p. 317, 20: peregrinatus est huius animus in nequitia, non habitavit.

III 6, 1 p. 140, 19 *P. Scipio, cum in Sicilia augendo traiciendoque exercitu in Africam opportunum quaerendo gradum Karthaginis ruinam animo volveret,* e. q. s.

Editor voc. *exercitu,* cum in margine cod. A e Iulio Paride *exercitum* ante *augendo* suppletum sit, cum libris dett. post *traiciendoque* inserere maluit. Ego vero Paridem non locum, quem vocabulum apud Valerium obtinebat, sed ipsum vocabulum mutasse credo, Valerium autem more suo scripsisse: *P. Scipio, cum in Sicilia ⟨agmen⟩ augendo traiciendoque in Africam opportunum quaerendo gradum Karthaginis ruinam animo volveret.* Similitudo nimirum litterarum, quae inter *agmen* et priorem partem verbi *augendo* intercedit, causa fuit, propter quam illud vocabulum in describendo omissum est.

III 7, 1[d] p. 144, 5 *neque enim huc puto* [*eo*] *malignitatis ventum, ut de mea innocentia quaerendum sit.*

Litterulae *eo,* quas Halmius e compendio *eē* (i. e. *esse*) ortas suspicatur, opinionem mihi confirmant, initium sequentis vocabuli in archetypo minus distincte exaratum fuisse, cum praesertim pro *malignitatis* utique requiram: *indignitatis.* Cf. III 8, 3 p. 155, 15: respondit non existimare se tantis tenebris offusam esse rem publicam, ut huc indignitatis veniretur.

III 7, 8 p. 147, 16 (M. Scaurus) *causam suam ita egit: 'est*

enim inicum, Quirites, cum inter alios vixerim, apud alios me rationem vitae reddere, sed tamen audebo e. q. s.

Particula *enim,* pro qua Pighius *quidem* — Gertzius *enimvero* substituere voluit, editori delenda videtur, mihi vero emendanda in *nimirum*, quod inter litteras *ē* et *inicum* facile in *enim* depravari potuit.

Cf. IV 1, 12 p. 169, 8: omnia nimirum ista praecipua veneratione prosequenda delevit moderatio, IV 3, 4 p. 186, 30: quibus verbis illa nimirum inhaesit sententia.

ibid. 23 *cuius admiratione populus conmotus Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit.*

Ceteris propositis a Kempfio commemoratis omnino reiectis scribendum puto: *cuius* ⟨*vocis*⟩ *admiratione populus commotus,* cl. p. 146, 2: qua voce audita omnes — maiorem auctoritatis eius quam suorum alimentorum respectum egerunt.

III 7 Ext. 3 p. 150, 6 *Zeuxis autem, cum Helenam pinxisset, quid de eo opere homines sensuri essent expectandum non putavit, sed protinus* [*se ad*] *hos versus adiecit: οὐ νέμεσις Τρῶας κ.τ.λ.*

Temere et incuriose in hoc corrupto loco tractando critici egisse videntur, quoniam apud editorem nostrum haec annotata invenio: „se ad *L et dett. mei omnes,* **|** *A, inclusi inepta verba, quae ex repetita voce* sed *orta putat in Mus. Rhen. XII* 594 *Vahlen,* pinxisse se ad *Wensky p.* 6."

Neutra sententia ullo fundamento nititur: si quis librarius voc. *sed* per errorem repetisset, sequens quoque vocabulum *protinus* nimirum iterasset; Wenskii vero commentum a re critica iam prorsus alienum est.

Dissimulari nequit, cum causa nulla sit propter quam quis litteras *se ad* eo inseruerit, in libris mss. post *protinus* aut duo vocabula binum litterarum aut unum vocabulum litterarum quattuor exaratum fuisse, quae litterae in cod. L in vocc. *se ad* corruptae sunt: restat igitur ut statuamus quale vocabulum fuerit. Iam locum attente percenseamus.

Opere absoluto Zeuxis iudicia spectatorum exspectare dedignatus protinus versus Homericos ei adiecit, protinus — ergo non calamum graphiumve poscere vel quaerere ante voluit, sed eo

ipso videlicet instrumento, quo in pingendo utebatur, ad versus appingendos usus est. Iamque igitur nobis est inquirendum, quibus nominibus Romani id instrumentum significare soliti sint. Appellabant penicillum, quod vocabulum in *se ad* abiisse minime veri simile cuiquam videbitur, sed etiam saetam (Vitruv. VII 9, 3, Plin. N. H. XXXIII 122) atque hoc nomen pingendi artis proprium ideoque minus cognitum scribae in libris mss. aut tamquam monstrum aliquod omittendum aut in 'inepta verba' sed ipsa melius sibi nota *se ad* immutandum censuerunt, praesertim cum in archetypo scilicet *seta* scriptum esset.

Quae cum ita sint, Valerium scripsisse iudico:

sed protinus saeta hos versus adiecit.

III 7 Ext. 8 p. 152, 19 *eiusdem vir urbis* (i. e. Spartae) *atque animi hospiti suo patriae muros excelsos latosque ostendenti dixit, 'si mulieribus istos conparastis, recte, si viris, turpiter'.*

Immo *suae patriae,* nam hospitis illius patria Spartae opponitur, cui moenia essent nulla.

III 8 Ext. 2 p. 159, 15 *itaque constantia, quae natura rigidior videtur, lenis e mansueto pectore fluxit.*

Sana ratio flagitat: *é leni et m. p. f.*, cuius scripturae codex optimus vestigium servavit, nam in cod. A legitur *et mansueto.*

Obiter moneo, sequentem paragraphum post verbum *fluxit* initium capere itaque numerum 3 ante nomen *Socratis* esse collocandum — non ante voc. *universa* vs. 18, ubi nunc est.

ibid. 24 *forte tunc eius potestatis Socrates, cuius arbitrio plebei scita ordinarentur, indignum iudicans tot et tam bene meritos [et] indigna causa impetu invidiae abripi, temeritati multitudinis constantiam suam obiecit.*

Pro *indigna causa* emenda: *indicta causa.*

Particulam *et,* a Kempfio inclusam, e versu superiore, ubi ante *indignum* locum suum obtineret, huc migrasse suspicor: nempe ad *forte tunc eius potestatis Socrates* intelligendum videtur: *erat.*

IV 1, 3 p. 163, 22 *uterque recte, et Censorinus et popu-*

lus: alter enim ut moderate honores crederent praecepit, alter moderato credidit.

Dele verba *et Censorinus et populus* et Valerianam scribendi rationem restitueris.

IV 1, 12 p. 169, 6 *ubi illa tot in curia iurgia? ubi tot [multae] pro rostris altercationes?*

Lege: *ubi tot mutuae pro rostris altercationes?*

IV 1 Ext. 4 p. 172, 6 *Thrasybulus — populum Atheniensem XXX tyrannorum saevitia sedes suas relinquere coactum dispersamque et vagam vitam miserabiliter exigentem — in patriam reduxit.*

Maluerim: *dispersumque.* Cf. V 3 Ext. 3 p. 239, 19: si quidem ille vicatim dispersos cives suos in unam urbem contraxit.

IV 3, 1 p. 177, 10 *referendum est quantopere libidinis et avaritiae furori similis impetus ab inlustrium virorum pectoribus consilio ac ratione summoti sint.*

Conicio: *furiosissimi impetus.*

IV 3, 2 p. 178, 19 *cuius* (h. e. Munatii Rufi) *testimonium* (sc. de Catonis abstinentia) *non amplector: proprio enim argumento laus ista nititur, quoniam ex eodem naturae utero et continentia nata est et Cato.*

Emendandum est: *propiore enim argumento.*

IV 3, 13 p. 184, 1 *Scipio Aemilianus post duos inclytos consulatus totidemque suae praecipuae gloriae triumphos — officio legationis functus est.*

Perizonius aut *suae praecipue* legendum aut *suae* delendum — Madvig *suae et praecipuae* scribendum censuit, sed lectionem traditam frustra sollicitarunt, quam satis tuetur Nepos Themist. 6, 2: idem muros Atheniensium restituit praecipuo suo periculo.

IV 3, 4 p. 187, 3 *Idem* (Diogenes sc.) *Syracusis, cum holera*

e i l a v a n t i Aristippus dixisset, 'si Dionysium adulari velles, ista non esses', 'immo' inquit, 'si tu ista esse velles, non adularere Dionysium'.

Vehementer miror, neminem ante me perspexisse veram ac genuinam lectonem esse: *epulanti*, cum praesertim apud Iul. Paridem (p. 516) locus ita redditus sit: Diogenes cynicus Syracusis cum holere v e s c e r e t u r, Aristippus dixit e. q. s. At verbis pluribus opus non est.

IV 4, 8 p. 191, 3 (Aelii) *quibus una domuncula erat — inque circo maximo et Flaminio s p e c t a c u l i l o c u s. quae quidem loca ob virtutem publice donata possidebant.*

Sana esse ista non possunt atque corrigendum videtur: *inque circo maximo et Flaminio s p e c t a c u l a. quae quidem loca* e. q. s. Spectaculi notionem, quae est 'locus unde spectatur', qui ignorabat locum de suo illustravit littera ultima *a* in *i* mutata additoque vocabulo *locus*. Cf. Cic. Mur. 72: at spectacula sunt tributim data, Sest. 124: tantus est ex omnibus spectaculis plausus excitatus, Liv. 1, 35: loca divisa patribus equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent.

IV 4, 11 p. 193, 2 *quid ergo modicam fortunam quasi praecipuum generis humani malum diurnis ⟨atque nocturnis⟩ conviciis laceramus?*

Wenskii coniectura *diutius* merito spreta Kempfius Madvigii supplementum *atque nocturnis* immerito recepit. At, credo, non recepisset, si loci memor fuisset qui est III 2, 23 p. 123, 20: quinque militum d i u r n o p r o e l i o suffectura pila una dextera hostium corporibus adegisti. Ut enim ibi diurnum proelium est quod per totum diem sine ulla temporis intermissione committitur, sic h. l. diurna convicia dicuntur quae per totum diem fiunt neque ullo temporis momento non audiuntur.

ibid. 7 *exurgamus potius animis pecuniaeque a s p e c t u debilitatos spiritus pristini temporis memoria recreemus.*

Repone: *r e spectu*, cl. III 2 Ext. 2 p. 126, 2: 'tu vero' inquit 'nihil est quod r e s p e c t u m e i timidius gladio utaris, IV 5, 4 p. 195, 10: maiorem verecundiam dignitatis eius quam c a n d i-

dae togae suae respectum agens, IV 6 Ext. 3 p. 200, 18: quos Spartana civitas respectu Tyndaridarum — legibus commodisque suis inmiscuit, V 1 Ext. 3 p. 224, 25 ut officii respectum in iis deponeret, V 2 Ext. 4 p. 233, 11: praesentique periculo respectum pristini beneficii anteposuit, e. a.

IV 5 p. 193, 14 *haec enim* (verecundia sc.) ***iustissimis** viris praecepit ut privatas facultates neglegerent, publicas quam amplissimas esse cuperent.*

Haud dubie mendosum est illud *iustissimis*, pro quo Kempfius coniecit *istis* vel *illis summis*, ego vero maluerim: ***illustrissimis.***

IV 5, 6 p. 195, 21 (Caesar) *conpluribus enim parricidarum **violatus** mucronibus inter ipsum illud tempus, quo divinus spiritus mortali discernebatur a corpore, ne tribus quidem et XX vulneribus quin verecundiae obsequeretur absterreri potuit.*

Lectionem *violatus* vexandam non esse monere non est supervacaneum: corpus hominis nescio cuius mucronibus vulneratur, Caesaris vero corpus violatur. Ipsum verbum reverentiae, qua Valerius Caesaris memoriam colebat (cf. verba 'divinus spiritus'), consentaneum est.

IV 6, 3 p. 198, 9 *funerata ea et in rogum inposita inter officium **unguendi** et osculandi stricto ferro incubuit.*

Natura rei clamat scribendum esse: ***lugendi*** neque aliud quicquam Iul. Paris legit, qui haec habet (p. 518, 19): amissa uxore Orestilla inter officium ploratus se occidit.

IV 6 Ext. 1 p. 199, 14 *Sunt et alienigeni **amores iusti** obscuritate ignorantiae non obruti.*

Ad hunc locum, qui vitio laboratur nullo (nam *iusti amores* eidem sunt qui veri vel legitimi, ut Kempfius suspicatus est), editores serio nunc annotant, manum secundam cod. A ad *amores* addidisse *cineres* atque primam litteram voc. *iusti* puncto ascripto tamquam inducendam significasse, ut scilicet pro *amores iusti* esset: *cineres usti.* Scurra ille, qui in app. crit. signo m^2 nunc denotatur, albis dentibus, credo, viros doctos hodiernos derideret,

si iocum suum frigidissimum tamquam monumentum quoddam ab iis asservari cognosceret. Quid enim? Verba supra a me descripta narrationem inducunt, qua Artemisia, cum ipsa Mausoli mortui vivum ac spirans sepulcrum fieri concupierit, viri exstincti ossa potioni aspersa bibisse traditur, atque homo nescio quis scurrilis librorum scripturam *amores iusti* per ludibrium in *cineres usti* immutavit. Videant igitur editores futuri num eiusmodi facetiae dignae sint quae posteritati tradantur.

IV 7 p. 201, 11 *Contemplemur nunc amicitiae vinculum potens et praevalidum neque ulla ex parte sanguinis viribus inferius, hoc etiam certius et exploratius, quod illud nascendi sors, fortuitum opus, hoc unius cuiusque solido iudicio inchoata voluntas contrahit.*

Eliminandum est vitiose abundans *viribus*, quod aliquem, qui ad genitivum *sanguinis* e superioribus verbis voc. *vinculum* mente supplendum esse non intellegeret, Valerio obtrusisse suspicor.

IV 7, 2 p. 204, 3 *quam bonos Gracchi, si aut patris aut materni avi sectam vitae ingredi voluissent, habere milites potuerant!*

Immo vero *semitam vitae*, ut opinor. Cf. Horat. Ep. I 18, 103:

An secretum iter et fallentis semita vitae.

IV 7, 5 p. 206, 9 *quem is ab incepto consilio frustra conatus abstrahere in isdem perseverantem precibus interemit.*

Deleatur importuna praecedentis vocabuli glossa quae est *consilio*. Cf. vs. 16 infra: incepto namque egregio, non inrito eventu aestimari debet, V 1 Ext. 2 p. 224, 5 ab incepto revocavit.

IV 7 Ext. 2 p. 210, 2 *a quo omnium commodorum incrementa ultro oblata cepi.*

Corrigendum: *accepi.*

(*Continuabuntur*).

DE CONTROVERSIA QUADAM CATULLIANA.

SCRIPSIT

J. W. BECK.

Utrum Catullus iuvenis parvum libellum nugarum separatim ederet, an carmen illud 'cui dono' ad totam pertineret syllogen, ut virilis aetatis poetae esse possit fructus, sive editioni carminum a poeta factae praemissum sive syllogae post mortem poetae editae additum erat, hoc primus Ed. Brunerus diligenter perscrutatus est [1]), qui dedicationem non ad totum librum Catulli spectare censebat. Multi quidem hanc sententiam amplectebantur, alii tamen opinionem vulgarem relinquere non audebant. Inter quos Ioh. Vahlenus erat, cuius sententia, quam Schanzius sequitur, multum valet (R. L. G. I 2^3 p. 71). Vereor autem ne ii, qui rem non ipsi inquirant, sive quod iis, quae Schanzius docet, contenti sunt, sive quod auctoritate Vahleni confidere malunt, falsa haud pauca certis admisceant. Et, quamquam hanc quaestionem facile persolvendam esse contendere non ausim, tamen argumentorum fontem exhaustum esse remque in perpetuum esse fixam non crediderim.

Cum illo carmine ad Nepotem scripto arte cohaeret quaestio illa de divisione vel numero librorum Catullianorum. Sunt qui putent primum librum esse carminum I—LX et hunc libellum fuisse eum, quem Catullus Nepoti dedicaret. Alii vero sibi per-

1) E. von Bruner, De ordine et temporibus carminum Valerii Catulli (Acta Societatis scient. Fennicae VII (1861) p. 599): cf. Schmidt, Catulli carmina p. LXXXIX sqq.

suadere nullo modo possunt hanc syllogen satis magnam fere 2200 versuum in unum volumen collectam sic totam a Catullo ipso esse editam. Omnes efficere conantur divisionem aliquam trium vel plurium (vel quinque!) librorum sive partium. Difficile profecto est rem ita solvere ut commentatione absoluta permulti saltem contenti discedant. Desunt enim quaedam argumentationis adminicula, quibus non sine aliquo periculo carere possimus. Quamquam aliquid extra rerum ordinem esse factum nemo auctor fuit: de libro (volumine) Catulli ingenti amplitudine nemo veterum loquitur, neque libros numeratos invenimus; quae vix casui cuidam tribuere audeamus.

At vero fortasse aliis viis adhuc minus tritis ad regionem paulo lucidiorem accedere licet.

A Cornelio Nepote et dedicatione incipiamus de amicitia et consuetudine illius viri et Catulli hac ipsa admoniti. Nepos et Catullus in Italia septentrionali erant nati; populares erant nec tamen eiusdem aetatis. Etsi de annis, quibus hi viri nati sunt aut mortui, in dubio versamur, ut hinc quoque omnis error non prorsus absit, intra paucos annos dubitatio reprimitur. Nepos ab anno fere 110 a. C. — ad annum c. 25 a. C., Catullus ab anno c. 87 — ad annum fere 54 florebat. Et fac Nepotem duobus vel pluribus annis post esse natum, satis multum differebant aetate hi viri, quod homines in priore vitae parte validius sentiunt quam qui annis sunt maturis.

Nepos, Catulli ille amicus grandior natu, non solum libros scribebat, sed etiam aliorum opera recensebat vel edebat. Nam apud Frontonem p. 20 N. una cum iis viris nominatur, quorum fama in eo opere non obscura erat. Accedit quod idem Cornelius, neque est res nova, adulescens Musas venerabatur, ut levioris generis carmina pangere ei placeret. Testis est Plinius Ep. V 3, 6, qui quod interdum nugas facere amet, se excusat, illustrium virorum nomina exhibens, in quorum numero etiam Nepos est. Non igitur mirum est Catullum, qui iuvenis fere viginti duorum annorum Verona urbe patria relicta temporibus turbulentis Romam migravit, ut capite orbis illecebrarum pleno novam coloniam Romanorum commutaret, Nepotis popularis sui domum frequentare; apud quem annis vitae multum antecedentem fama iam cognitum — nam libros doctos „Chronica" (ante a. 60)

edebat Nepos et hominum opiniones atque iudicia varia non ignorabat quippe qui amicitia optimorum virorum uteretur, — saepius carmina sua recitabat poeta. Iam admodum iuvenis Catullus carmina faciebat; c. LXVIII 15:

> tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
> iucundum cum aetas florida ver ageret,
> multa satis lusi ... [1]).

Quid porro in hac re magis usitatum est quam poetam idoneo tempore artis suae primitias patrono suo et amico dedicare. Quod et tunc factum est (anno fere 59 [2]). Poetae auxilio et commendatione viri alicuius magnae auctoritatis tunc cum maxime carere non poterant, nedum posset is qui et in rebus poeticis et in rebus politicis locum tenebat non vulgarem. Donavit igitur amico parvam syllogen hisce praemissis:

> Cui dono lepidum novum libellum
> arido modo pumice expolitum?

intra annos fere 65—60:

> Corneli, tibi: namque tu *solebas*
> meas esse aliquid putare nugas,

iam multo ante a. 60, fortasse a. 63:

> *iam tum cum* ausus es unus Italorum
> omne aevum tribus explicare chartis
> doctis, Iuppiter, et laboriosis.
> quare habe tibi quidquid hoc libelli
> qualecunque; quod, o patrona virgo,
> plus uno maneat perenne saeclo.

Quis unquam talem scribat dedicationem, si iam per longam seriem annorum (a decimo septimo aetatis anno usque ad annum fere tricesimum) carmina — et quam bona! — fecit, quae tandem ad editionem colligeret? [3]). In his versibus potius est adulescentis laetitia magna et bona spes, animus gratus,

---

1) Cf. vs. 19 sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors abstulit.

2) Catullus ± 25 annos erat natus. Tempora hoc modo dinumero: a. c. 65 Catullus Romam venit, a. c. 63 Nepos Chronica edit, a. 61 initium amorum, a. 59 Catullus edit parvum libellum, a. 58 vincula rumpuntur.

3) Mart. Epigr. I, 1 sic non statim prima editione, sed secunda editione VII librorum scripsit (cf. cum I 1, ib. ep. 3).

reverentiae plenus. Poeta exemplar amico destinatum quasí ante oculos habere videtur [1]). Qui adolescens aliquid huius generis scripsit et edidit, scire potest, quid hic poeta tunc senserit. Libellus nitide scriptus et ornatus, ex multis bonis exemplaribus optimum, ad Nepotem mittitur, qui iam tum, cum chronica scribere ausus est (ante a. 60), nugas (vel hendecasyllabos) poetae laudare solebat. De vocabulo 'libellus' nulla est dubitatio: est liber poetarum non nimis magnus fere versuum 500 (vel infra) usque ad mille fere et centum. Plinius Ep. IV 14, 8 suum libellum 'hendecasyllabos' appellat (cf. VII 4), praeterea 'nugas' vel 'ineptias' dicit sua poemata; una cum Martiale Catullum colebat, quem tunc in deliciis fuisse apparet (Ep. I 16, 5; IV 27). Catullus igitur in edendis primitiis faciebat quod fieri solet: qui poetae fama frui vult, carmina sua non occultat in arca, sed occasione data quam primum curat ut legantur et in urbe sua et extra. Exempla habemus et alios et Tibullum, Propertium, Horatium, Lucanum. Sunt vero qui, ut Plinius [2]) et Martialis, non in ipso limine iuventutis carmina ederent, at Catullum nihil impediverat neque impediebat. Carmina habebat satis multa: Lesbia Catulli venam poeticam amore pulsabat agitabatque, arti favebat imprimis Nepotis amici iudicium et exhortatio. Neque famam poetae moenia Romae coercebant. Immo nomen Lesbiae per poetam mox in provinciam penetrabat:

c. XLIII 6: tene provincia narrat esse bellam?
tecum Lesbia nostra comparatur?

Quos versus sine dubio ante annum 58 scripsit; tunc enim vincula erant rupta. Erat Lesbia formosa (c. LXXXVI 5 et VIII 16) et hoc iam sciebat provincia.

Eodem modo gloriatur fama divulgata qui Cynthiae libellum ediderat:

Prop. II 24, 1 sq.
..... cum sit iam noto fabula libro
et tua sit toto Cynthia lecta foro?

Iure dubitari potest an hoc carmen Catulli, quod supra laudavi, in libello illo, quem Nepoti dedicabat, non inventum sit; nam

1) De more libros dedicandi, ed. Graefenhain 1892, p. 52.

2) Ep. VII 4 postremo placuit *exemplo multorum* unum separatim *hendecasyllaborum volumen* absolvere.

ut in Propertii carmine 13 vs. 25 libri II, ita hoc loco, quid adhuc effecerit poeta, significatur.

Nolo tamen hoc argumentum nimis premi: me plane ignorare, si pauca omitto, quae carmina in hoc primo libello fuerint, libenter profiteor. Fortasse prudentius agit, qui dicit se facilius posse indicare quaedam, quae non in illo volumine iuvenili fuerint, si temporis et rationis argumenta collegerit. Excipiamus imprimis ea carmina, quae amoris foedus rupturus aut foedere rupto conscripsit neve cogitemus de epigrammatis quibusdam nimis odiosis vel obscenis posterioris aetatis. Quis autem docta carmina Alexandrina aut unum dumtaxat huius generis, inter primitias (nugas) fuisse credat? Denuo delegare velim ad Plinii exemplum. Is Hendecasyllabos edidit (Ep. VII 4) seque et alia carmina variis metris editurum promisit (VIII 21, 4). De illis Hendecasyllabis (IV 14, 8): „unum illud praedicandum videtur cogitare me has *nugas* inscribere 'hendecasyllabos' (V 10) qui titulus sola metri lege constringitur". Catullus ipse c. XLII 1 et XII 10 vocabulo 'hendecasyllabi' utitur; XIV[b]: si qui forte mearum ineptiarum | lectores eritis (haec fuit fortasse praefatio altera primae illius sylloges). Seneca, Controv. 7, 4, 7: (Calvus) erat parvula statura, propter quod etiam Catullus *in hendecasyllabis* (c. LIII 5) vocat illum 'salaputtium disertum'. Eodem nomine utitur Charisius 97, 12 K., qui e fonte vetustiore hausit. Ecce poeta adulescens, qui libellum suum hendecasyllaborum — nec tamen in verbo haerere debemus, qui sciamus Horatium in iambis i. e. in libro Epodon et carmina non eiusdem generis collocasse — edidit. Quam collectionem homines posteri vocabulo 'passeris' indicabant (Süss, Catulliana (1878) p. 22) [1]).

1) Haec collectio sive est eadem quam Catullus ipse iuvenis edidit sive est ea quam post mortem poetae amici in edendis opusculis construxerunt, aetate Martialis lectores alliciebat (IV 14, 13; XI 6, 14; XIV 195). Ex loco postremo nihil aliud colligi potest nisi Catullum saepe dono dari. At si locos priores duos adiungimus et Epigr. XIV 189 comparamus (monobiblos Propertii): Cynthia facundi carmen iuvenile Properti | accepit famam, nec minus ipsa dedit, tum imprimis de parvo quodam opusculo Catulli, lectorum ocello, cogitamus. Accedit epigr. 193: hic de libro Nemesi (II) Tibulli loquitur. Sic etiam nostra aetate poetarum multorum selecta carmina parvis editionibus ornatis eduntur. Gell. N. A. 6 (7) 20, 6 (de Catullo) loquitur de iis qui in libros de corruptis exemplaribus factos inciderunt. Ceterum ex hoc loco nihil oritur lucis.

Huc quadrat illud 'nugae' et excusatio poetae modesti 'quidquid hoc libelli' (cf. Mart. III 1). Qui sub Musarum monte versatur, apud amicum maiorem natu vires adhuc debiles excusat, sin autem famam adeptus est, modestia fit mera ostentatio ingenii. Nec Catullus is erat qui, vir maturae aetatis, talia scriberet. Neminem respiciebat ne Caesarem quidem.

Nepotem in Chronicis laudavisse Catullum neque negem neque affirmem. Poeta ipse ne alludit quidem ad hanc rem. Tum cum scribebat versiculos illos, Chronica iam erant edita. In verbis 'doctis et laboriosis' nulla est adulatio. Veri simile est his verbis illius temporis opinionem communem reddi. Legebant enim et adhibebant libros aequales Nepotis.

Nullo modo mihi persuadere possum poetam ipsum carmina sua certo quodam vitae tempore, quo vitae finem iam iam affuturum sentiret, ordine quem novimus instituto edidisse.

Habemus tres partes paene aequales [1]), quarum carmina metris vel lyricis vel dactylico vel elegorum constringuntur. De numeris librorum nec vola nec vestigium. Hanc divisionem aut amici aut alii post mortem poetae fecerant, quippe qui meliorem haberent nullam. „Hae partes num tribus voluminibus in vulgus edebantur nominibus generis cuiusque distinctae"? quaerat aliquis. „Nonne fieri potest", sic alter, „ut Catullus etiam uno codice membraneo sit propagatus"? Quibus respondeam: cur non? [2]) In hac re opinionem nostram quodammodo confirmat Schubart in libello illo lepido et utili *Das Buch bei den Griechen und Römern* (Berlin 1907) pp. 103, 105 (med.), 108, 114. Aetate Martialis scriptores et poetae editionibus solitis papyraceis i. e. voluminibus nec non formis minoris pretii i. e. codicibus venibant. Quod tunc fiebat, iam prius factum esse oportet. Quis enim contendere ausit homines, qui saeculi I a. C. altera parte florebant, nullam aliam formam nisi „voluminum" novisse? Sed Catullus, postquam 'nugas' edidit [3]), carmina eiusdem generis pangere non

---

1) Partes sunt 738, 795, 600 versuum.

2) Ad hanc editionis formam spectant fortasse tituli et subscriptiones codicum: Catulli Veronensis liber. Fieri potest ut ex codicibus privatis nostra sylloge derivanda sit.

3) Quis dicat eum eodem tempore omnes nugas quotquot haberet edidisse?

desiit; maiora illa singula suo quodque tempore singulis mittebat vel miserat, immiscebat tum carmina elegiaca tum epigrammata et fortasse multo plura quam nobis reliquit invida aetas. Nam hoc statim videmus carmina prorsus alio ordine temporum scripta esse atque eo quem traditum habemus: quae posterioris aetatis sunt, eorum nonnulla in priore sylloges parte inveniuntur, quae prioris aetatis sunt, ea demum tertia pars sylloges exhibet [1]). Nonnumquam accuratius tempus indicari potest veluti ad Lesbiam quorundam, tum eorum, quae cum morte fratris coniungenda sunt; is enim mortuus est Lesbiae amore adhuc poetam urente, ut ex illa elegia ad M.' Allium colligi potest, — denique sapphicum carmen (c. XI), quod Britanniae expugnationem (a. 55) significat. Sunt poemata quae pertinent ad Lesbiae amorem inter carmina quoque posteriora. Non miramur quod Catullus magna carmina illa docta post studia demum longa et acria et exercitationes versionesque haud paucas edidit.

Quae Horatius scribebat certo quodam spatio temporis interiecto sese excipiebant, ita ut eiusdem fere aetatis fructus similes simul editi sint. Prorsus aliter res se habet apud Catullum.

'Nugae' Catulli — quae et quot fuerint nescimus — primae editae sunt. At vide Catulliana 107, 58, 76, 11. Ubi totius sylloges ordo temporum est? c. 107 aetate ultima Lesbiae amoris est ortum, c. 58, 76, 11 temporis quidem ordinem sequuntur, sed omnia post c. 107 facta sunt.

Sequitur ut hoc carmen dedicationis neque pertinere possit ad totam syllogen neque ad priorem, quam vulgo dicunt, partem (I—LX). Sic iam intellegitur non poetam ipsum, sed editorem vel editores amicos, cum syllogen poematum instituerent, illud 'cui dono' posuisse in loco maxime idoneo. Noli putare totam syllogen uno volumine fere 2200 versuum editam esse. Falso comparant libros Plinii maioris studiosorum III [2]) vel Lucretii librum V. Illud erat opus eruditum prosa oratione scriptum,

---

1) Schmidt, Cat. carm. p. xc.

2) Gell. N. A. IX 16: In his libris multa varie ad oblectandas eruditorum hominum aures ponit. Plin. Ep. III 5 Studiosi libri tres in sex volumina propter amplitudinem divisi.

hoc poema eruditum (cosmologia), quod permagnum volumen poscebat. In tria volumina (libros) versuum 738, 795, 600 principio syllogen divisam esse potius credam. Hanc autem divisionem vel formam male cessisse aut carmina docta multaque epigrammata non multis placuisse lectoribus probabile est. Nam sequebantur alii poetae qui usque ad Plinii et Martialis tempora aut multitudini aut summis maxime placebant viris. Tum Catullum denuo amare coeperunt.

Quales editiones vel libellos Plinius et Martialis versarint, si quaeratur, ad ea quae supra (p. 306) dixi velim delegare (cf. et Plin. Ep. IV 27 ubi Serius Augurinus: canto carmina versibus minutis | his olim quibus et meus Catullus .....).

Numeros vel titulos librorum Propertii et Tibulli indicat vetus traditio, Catulli aut singula carmina (velut Quintilianus) aut unam certam collectionem memorant (Seneca, Plinius, Martialis, Charisius) [1]). Itaque apud veteres extitisse *libellum hendecasyllaborum* vel *nugarum* nec non *librum Catulli* (codicem) omnia carmina continentem, nostrae sylloges fontem antiquum, veri simillimum est. Neque de tribus voluminibus vel pluribus aut de uno volumine nimis magno duorum milium fere et ducentorum versuum quidquam tradidit nobis antiquitas: lyrica eius carmina imprimis poscebant et legebant posteri, docta illa carmina et cetera quae ob varias causas aut intellegere non poterant aut legere nolebant paulatim oblivione obruta sunt [2]).

---

1) Cf. Schanz. R. L. G. I 2² p. 81.
2) Cf. Baehrens in praef. edit. suae p. 64 med. sqq.

OVA URINA QUAE SUNT QUAEQUE FUERUNT.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Apud Athen. II 57 E haec leguntur: *ᾠὰ δὲ οὐ μόνον ἀνεμιαῖα ἐκάλουν, ἀλλὰ καὶ ὑπηνέμια· Ἀριστοφάνης.* Quae cum scriberet, memor fortasse fuit versuum, qui sunt in Aristoph. Avibus 694 sqq.:

Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν,
ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός,

ad quem locum Scholiasta docet: *ὑπηνέμια καλεῖται τὰ δίχα συνουσίας καὶ μίξεως* h. e. ita vocantur edita sine coitu, atque Th. Kock rectissime observat: „Die Griechen nannten so die *ohne Begattung* gebildeten Eier", ad quam sententiam comprobandam affert Plat. Com. 19: *ἐνίοτε πολλαὶ τῶν ἀλεκτρυόνων βίᾳ* (*contra naturam* Fritzsche) *ὑπηνέμια τίκτουσιν ᾠά* et Aristot. VI 2, 5: *ὤπται γὰρ ἱκανῶς ἤδη ἀνόχευτοι νεοττίδες ἀλεκτορίδων καὶ χηνῶν τεκοῦσαι ὑπηνέμια,* 6: *ζεφύρια δὲ καλεῖται τὰ ὑπηνέμια ὑπό τινων, ὅτι ὑπὸ τὴν ἐαρινὴν ὥραν φαίνονται δεχόμεναι τὰ πνεύματα αἱ ὄρνιθες.*

Addere etiam poterat Lucian. de Sacrif. 6: *ἄνευ τῆς πρὸς τὸν ἄνδρα ὁμιλίας ὑπηνέμιον αὐτὴν παῖδα γεννῆσαι τὸν Ἥφαιστον* h. e. absque consuetudine cum viro eam peperisse filium vento conceptum Vulcanum.

Constare igitur iam videmus, *ᾠὰ ἀνεμιαῖα* s. *ὑπηνέμια* s. *ζεφύρια* apud Graecos dicta esse ova sterilia, e quibus pulli provenire non possent, et veri simile est, talia ova ita nuncupata

esse propterea quod a vento concepta crederentur, id quod Plinium quoque memoriae tradidisse mox videbimus, aut quod assidua quamvis incubatione calefacta ad pullos proferendos inutilia comperirentur. Ut enim apud nostrates 'winderig', sic apud Graecos ὑπηνέμιος in significationem abiit 'futilis, vanus, inanis' itaque ad voc. ὀνείρατα epitheton frequentissimum est.

Antequam ad Latinorum nomina transeo, obiter locum apud Cic. (ad Att. XIV 10, 1) denotare velim, ubi vocabulum Graecum notione a nostra diversa occurrit: „tua tamen ὑπηνέμιος", quae verba Ernesti bene explicat: 'Epirus tua tamen mihi nimis vento exposita, non satis tuta videtur'. Sed hoc nihil nunc ad rem atque Plinius nimirum imprimis nobis consulendus est, in cuius Nat. Hist. Lib. X tribus locis de ovis nostris mentio iniecta est:

§ 158: palumbes et turtur — quamvis tria pepererint, numquam plus duobus educunt. tertium irritum est: urinum vocant.

§ 160: et ipsae (columbae sc.) autem inter se, si mas non sit, feminae aeque saliunt, pariuntque ova irrita ex quibus nihil gignitur, quae hypenemia Graeci vocant.

§ 166: Inrita ova, quae hypenemia diximus, aut mutua feminae inter se libidinis imaginatione concipiunt aut pulvere. — sunt autem sterilia et minora ac minus iucundi saporis et magis umida. quidam et vento putant ea generari, qua de causa etiam zephyria appellantur. urina autem vere tantum fiunt incubatione derelicta, quae alii cynosura dixere.

Ecce iam Graecis nominibus, quae sunt *hypenemia* et *zephyria*, haec Graeca addita: *urina* et *cynosura* et unum vere Latinum: *irrita*. Hoc utique probe tenendum esse moneo, locis istis omnibus tam Graecis quam Latinis semper et ubique ova sterilia significari.

E contraria parte ovum quod inter aequales nostros urinum (οὔρινος ab οὖρος = ventus) 'windei' vocatur, putamine externo caret, sed vento vel aëre nequaquam repletum est neque ei deest seminium unde pullus germinare possit — immo vero ab omni numero perfectum absolutumque atque aliis ovis simile est praeter unum tegimentum illud durum solidumque. Qua de re magnopere miror, quaenam causae homines posteriores inducere potuerint ut nomen tam parum aptum tali ovo inderent.

Nempe veteres ovum sterile ita vocasse sive quod a vento conceptum putarent seu quod nihil ex eo gigneretur facile est ad intellegendum, sed idem nomen ovo impositum, cuius hoc unum sit vitium quod calce non obductum sit, res hercle! a sana ratione videtur esse alienissima.

Rem obscuram ut expedirem viros videlicet qui zoölogi nunc dicuntur adii, quid tandem ovum urinum intellegi vellent primum rogavi, ab omnibus responsum accepi: Nimirum ovum sine putamine. Deinde cum de notione prisca eos edocuissem, mira quadam argumentandi ratione clamabant: At, mi bone vir, quis umquam extrinsecus dignoscere potuit utrum sterile ovum esset necne? De etymologia igitur eos ita sentire videbam, nomina rebus numquam indita esse postquam earum natura plane patuisset, itaque spe frustratus discessi neque quicquam iam superesse arbitratus sum nisi ut me ipsum consulerem.

Ergo consideremus, quaeso, num forte locutio quaedam notissima lucem aliquam nobis afferre possit. Si quis homo alteri dicere velit, rem hanc vel illam ei haud parum profuturam, sic fere loquatur: ova urina res tibi non pariet! Nemo autem umquam mihi persuadebit, homines qui primi ea dicendi formula usi sint, ova putaminibus carentia voluisse, quae hodie urina vocantur. Nempe ne talia quidem ova cuiquam spernenda sunt: ad comedendum sunt optima, dummodo diligenter cauteque tractentur, quin etiam ad pullos gignendos haud prorsus inutilia — praesertim in machina incubatrice. Quae cum ita sint, haec mihi nata est suspicio, ova urina eo tempore, quo ille loquendi usus in nostra lingua ortus est, eadem fuisse atque sterilia, irrita, posterioribus vero temporibus homines in falsam opinionem incidisse, ova solidis putaminibus carentia non e gallo gallinaceo concepta itaque sterilia esse — id quod verum non est.

DEMETRII TRICLINII SCHOLIA METRICA
E CODICE ANGELICO AUCTA ET EMENDATA.

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT H.F.

In praefatione libri cui titulus 'Scholia graeca in Euripidis tragoedias', p. xviii, Gu. Dindorfius codicem quendam Angelicum signatum C. 5. 1 (hodie ms. graec. 14) obiter tetigit his verbis: 'Argumenta quoque fabularum quae in Gu. reperiuntur ab Thoma Magistro vel scripta vel ex antiquioribus quae ferebantur *ὑποθέσεσι* mutata esse non solum similia Thomae Argumenta ad ceterorum poetarum scenicorum fabulas quas attigit confirmant, sed etiam aliorum codicum auctoritate constat, in quibus ea Thomae Magistri nomine inscripta sunt, velut Barocciani 74, de quo infra dicetur, et Romani bibliothecae Angelicae'. Porro in eiusdem paginae nota codicis descriptionem addidit satis exactam. Unde facere non possumus quin miremur fugisse virum in his rebus si quis et alius versatum iudicemque idoneum, hunc codicem continere textum scholiorum Triclinianorum non solum multo emendatiorem sed etiam auctiorem iis quos ipse adhibuit manuscriptis. Iure sane quaeras, num haec scholia, quae ipse Triclinius *θείᾳ τινὶ* scilicet *καὶ ἀπορρήτῳ ἐμπνεύσει* adiutum scripsisse se profitetur, digna sint quae edantur; at edidit Dindorfius, itaque operae pretium videtur eius textum quam poterit maxume emendare.

Codex est chartaceus, formae quartae minoris, ff. 168, saec. XIV ineuntis. Continet *'Επιτομὴ τῶν θ' μέτρων. ἐκ τοῦ ἐγχειριδίου 'Ηφαιστίωνος (τὸ ἰαμβικὸν δέχεται — ἐπιληπτά εἰσι μὴ οὔ-*

edebat Nepos et hominum opiniones atque iudicia varia non ignorabat quippe qui amicitia optimorum virorum uteretur, — saepius carmina sua recitabat poeta. Iam admodum iuvenis Catullus carmina faciebat; c. LXVIII 15:

> tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
> iucundum cum aetas florida ver ageret,
> multa satis lusi ... [1]).

Quid porro in hac re magis usitatum est quam poetam idoneo tempore artis suae primitias patrono suo et amico dedicare. Quod et tunc factum est (anno fere 59 [2]). Poetae auxilio et commendatione viri alicuius magnae auctoritatis tunc cum maxime carere non poterant, nedum posset is qui et in rebus poeticis et in rebus politicis locum tenebat non vulgarem. Donavit igitur amico parvam syllogen hisce praemissis:

> Cui dono lepidum novum libellum
> arido modo pumice expolitum?

intra annos fere 65—60:

> Corneli, tibi: namque tu *solebas*
> meas esse aliquid putare nugas,

iam multo ante a. 60, fortasse a. 63:

> *iam tum cum* ausus es unus Italorum
> omne aevum tribus explicare chartis
> doctis, Iuppiter, et laboriosis.
> quare habe tibi quidquid hoc libelli
> qualecunque; quod, o patrona virgo,
> plus uno maneat perenne saeclo.

Quis unquam talem scribat dedicationem, si iam per longam seriem annorum (a decimo septimo aetatis anno usque ad annum fere tricesimum) carmina — et quam bona! — fecit, quae tandem ad editionem colligeret? [3]). In his versibus potius est adulescentis laetitia magna et bona spes, animus gratus,

---

1) Cf. vs. 19 sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors abstulit.

2) Catullus ± 25 annos erat natus. Tempora hoc modo dinumero: a. c. 65 Catullus Romam venit, a. c. 63 Nepos Chronica edit, a. 61 initium amorum, a. 59 Catullus edit parvum libellum, a. 58 vincula rumpuntur.

3) Mart. Epigr. I, 1 sic non statim prima editione, sed secunda editione VII librorum scripsit (cf. cum I 1, ib. ep. 3).

reverentiae plenus. Poeta exemplar amico destinatum quasi ante oculos habere videtur [1]). Qui adolescens aliquid huius generis scripsit et edidit, scire potest, quid hic poeta tunc senserit. Libellus nitide scriptus et ornatus, ex multis bonis exemplaribus optimum, ad Nepotem mittitur, qui iam tum, cum chronica scribere ausus est (ante a. 60), nugas (vel hendecasyllabos) poetae laudare solebat. De vocabulo 'libellus' nulla est dubitatio: est liber poetarum non nimis magnus fere versuum 500 (vel infra) usque ad mille fere et centum. Plinius Ep. IV 14, 8 suum libellum 'hendecasyllabos' appellat (cf. VII 4), praeterea 'nugas' vel 'ineptias' dicit sua poemata; una cum Martiale Catullum colebat, quem tunc in deliciis fuisse apparet (Ep. I 16, 5; IV 27). Catullus igitur in edendis primitiis faciebat quod fieri solet: qui poetae fama frui vult, carmina sua non occultat in arca, sed occasione data quam primum curat ut legantur et in urbe sua et extra. Exempla habemus et alios et Tibullum, Propertium, Horatium, Lucanum. Sunt vero qui, ut Plinius [2]) et Martialis, non in ipso limine iuventutis carmina ederent, at Catullum nihil impediverat neque impediebat. Carmina habebat satis multa: Lesbia Catulli venam poeticam amore pulsabat agitabatque, arti favebat imprimis Nepotis amici iudicium et exhortatio. Neque famam poetae moenia Romae coercebant. Immo nomen Lesbiae per poetam mox in provinciam penetrabat:
c. XLIII 6: tene provincia narrat esse bellam?
tecum Lesbia nostra comparatur?
Quos versus sine dubio ante annum 58 scripsit; tunc enim vincula erant rupta. Erat Lesbia formosa (c. LXXXVI 5 et VIII 16) et hoc iam sciebat provincia.

Eodem modo gloriatur fama divulgata qui Cynthiae libellum ediderat:
Prop. II 24, 1 sq.
..... cum sit iam noto fabula libro
et tua sit toto Cynthia lecta foro?
Iure dubitari potest an hoc carmen Catulli, quod supra laudavi, in libello illo, quem Nepoti dedicabat, non inventum sit; nam

1) De more libros dedicandi, ed. Graefenhain 1892, p. 52.
2) Ep. VII 4 postremo placuit *exemplo multorum* unum separatim *hendecasyllaborum volumen* absolvere.

ut in Propertii carmine 13 vs. 25 libri II, ita hoc loco, quid adhuc effecerit poeta, significatur.

Nolo tamen hoc argumentum nimis premi: me plane ignorare, si pauca omitto, quae carmina in hoc primo libello fuerint, libenter profiteor. Fortasse prudentius agit, qui dicit se facilius posse indicare quaedam, quae non in illo volumine iuvenili fuerint, si temporis et rationis argumenta collegerit. Excipiamus imprimis ea carmina, quae amoris foedus rupturus aut foedere rupto conscripsit neve cogitemus de epigrammatis quibusdam nimis odiosis vel obscenis posterioris aetatis. Quis autem docta carmina Alexandrina aut unum dumtaxat huius generis, inter primitias (nugas) fuisse credat? Denuo delegare velim ad Plinii exemplum. Is Hendecasyllabos edidit (Ep. VII 4) seque et alia carmina variis metris editurum promisit (VIII 21, 4). De illis Hendecasyllabis (IV 14, 8): „unum illud praedicandum videtur cogitare me has *nugas* inscribere 'hendecasyllabos' (V 10) qui titulus sola metri lege constringitur". Catullus ipse c. XLII 1 et XII 10 vocabulo 'hendecasyllabi' utitur; XIV^b: si qui forte mearum ineptiarum | lectores eritis (haec fuit fortasse praefatio altera primae illius sylloges). Seneca, Controv. 7, 4, 7: (Calvus) erat parvula statura, propter quod etiam Catullus *in hendecasyllabis* (c. LIII 5) vocat illum 'salaputtium disertum'. Eodem nomine utitur Charisius 97, 12 K., qui e fonte vetustiore hausit. Ecce poeta adulescens, qui libellum suum hendecasyllaborum — nec tamen in verbo haerere debemus, qui sciamus Horatium in iambis i. e. in libro Epodon et carmina non eiusdem generis collocasse — edidit. Quam collectionem homines posteri vocabulo 'passeris' indicabant (Süss, Catulliana (1878) p. 22) [1]).

---

2) Hoc scholium, sicut tota haec ultima pagina inde ab *νῦν ἄτιμοσ*, alia manu adscripta est, cum scilicet manus prioris scriptura evanuisset.

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 232.)

DE GLORIA ATHENIENSIUM.

Hic quoque libellus insignem in *vita* Plutarchi locum tenet. *Orationem* esse statim sentis: in ipso enim initio lepidam narrationem de Themistocle iuniores copiarum duces refutante verbis, quibus ipse dies festus dies insequentes refutavit, nostro ingenio supplere debemus, sed adiuvante contextu facile possumus. *Exciditne* ergo illa? Numquam a Plutarcho *hic scriptam* fuisse censeo: *ex tempore* eam erat traditurus. *Athenis* habitam haec vocabula disertissime docent (345 F):

πολλῶν μὲν δὴ καὶ ἄλλων ἡ πόλις ἥδε μήτηρ καὶ τροφὸς εὐμενὴς τεχνῶν γέγονε.

Quam autem in ea notat Wyttenbachius *iniquitatem* in scriptores, quodammodo praecipua eius virtus dicenda est, utpote quae luce clarius ostendat quid sibi hic orator velit. Iam saepius in aliqua doctorum literatorumque prodiit contione, metuit tamen etiam ne falsa de se aut nascatur aut nata iam sit hominum opinio. Strenue ergo dat operam ne quisquam posthac sibi in illo oratorum grege locum assignet quos prae ceteris omnibus contemnat oderitque.

Dixeris haec inter varicosos centuriones
Continuo crassum ridet Pulfennius ingens
Et centum Graecos curto centusse licetur.

Verba haec sunt adolescentuli, atque adeo paene pueri Persii, inter manus matris et materterae educati, qui in umbra vitam degens nunquam cogitaverit quantum et ceteri omnes et ipse cum magistro suo et tota Stoicorum domo fortibus illis viris debeant qui in limite imperii Romani continua gerant bella cum imminentibus barbaris, quique omne morborum genus contraxerint dum ingentes tolerant labores pro illorum securitate, qui otiosi domi residere malint vel propter corporis infirmitatem debeant. Sed nunc non Stoicos orator noster impugnat, posthac satis acriter cum iis digladiabitur ne ipse unquam cuiquam Stoicus esse vel fuisse videatur; cum alio genere umbraticorum et scholasticorum ei res est, non minus ineptorum absurdorumque, quibus ne adnumeretur periculum esse modo sit expertus, sophistarum aio rhetorumque. Quam vehementissime ergo in eos invehitur, atque etiam iniquissime, sic vult genus ipsum orationis *ex ipsa vita* sumptae verosque animi spirantis affectus. Cum militibus comparat scriptores poetasque, illos extollit hos deprimit, illos praeclare de patria meritos, horum nullum unquam a civibus perceptum fructum demonstrat. Potuitne, obsecro, *non* fieri iniquus qui mente animoque totum se tali dedisset argumento, quod ad suam famam, ad suam inter homines conditionem pertinere penitus sentiret? Nolo enim eo confugere ut dicam *partem* tantummodo orationis superesse: quamvis multa interierint, nulla est causa cur credamus Plutarchum adversus scriptores, de quibus in parte superstite altum esse silentium Wyttenbachius queritur, iustiorem fuisse aequioremque coniiciamus. Immo vero clausam fuisse oratiunculam — nam quin cum *brevi* oratione nobis res sit non dubito — lepida aliqua clausula qua non, ut solent sophistae, se suumque genus audientibus commendaverit Plutarchus, sed adversarios suos, totumque illum gregem κηφήνων σοφιστιώντων profligarit conciderit que censeo. Nam facetum hic iocosumque prodiisse oratorem et alii multi loci docent et haec verba clamant quibus ostendit Atheniensibus suas artes literasque pluris constitisse quam bella pro libertate suscepta:

ἂν γὰρ ἐκλογισθῇ τῶν δραμάτων ἕκαστον ὅσου κατέστη, πλέον ἀνηλωκὼς φανεῖται ὁ δῆμος εἰς Βάκχας καὶ Φοινίσσας καὶ Οἰδίποδας καὶ Ἀντιγόνην καὶ τὰ Μηδείας κακὰ καὶ Ἠλέκτρας, ὧν

ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας καὶ τῆς ἐλευθερίας πολεμῶν τοὺς βαρβάρους ἀνάλωσεν.

Sophistas impugnat, ducem vero eorum patremque pertinacissimo persequitur odio, Isocratem senem illum, qui senex *natus* videatur et tamen miserae istius vitae tam anxie semper tenax fuerit, qui sententiolis limandis poliendisque illud fere integrum dederit saeculum quod crudeliter ludens ei fatum concessit, nihilque tanto opere reformidarit quam ne vocalis in vocalem incideret aut periodo deesset syllaba. Audite nostri oratoris indignationem:

πῶς οὖν οὐκ ἔμελλεν ἄνθρωπος ψόφον ὅπλων φοβεῖσθαι καὶ σύρρηγμα φαλάγγων [1]) *ὁ φοβούμενος φωνῆεν φωνήεντι συγκροῦσαι καὶ συλλαβῇ τὸ ἰσόκωλον ἐνδεὲς ἐξενεγκεῖν;*

intelligetis quanti sit hic momenti locus in omni de *scriptore* Plutarcho disputatione. De quo nunc nihil amplius dico nisi hoc: luce clarius hinc apparere ipsum identidem aliquid scripsisse in quo *non* vitaretur hiatus, perverseque agere criticos qui Plutarcho aliquem abiudicent librum *illo solo argumento* quod in eo, quamvis multi manifestique, hiatus inveniantur.

Denique legite mihi pulchram illam narrationem de equestri Atheniensium cum Epaminonda sub Mantineae moenibus proelio, non *invidia* ductum *πᾶσιν Ἰσοκρατιδεῦσιν* indixisse bellum hunc oratorem sentietis.

Ad singulos locos quae annotem pauca sunt leviaque.

345 E *Ξενοφῶν μὲν γὰρ αὐτὸς ἑαυτοῦ γέγονεν ἱστορία, γράψας ἃ ἐστρατήγησε καὶ κατώρθωσε καὶ Θεμιστογένει [περὶ τούτων συντετάχθαι] τῷ Συροκοσίῳ[, ἵνα πιστότερος ᾖ διηγούμενος ἑαυτὸν ὡς ἄλλον, ἑτέρῳ] τὴν τῶν λόγων δόξαν χαριζόμενος.*

Non solum illud *Θεμιστογένει τῷ Σύρακοσίῳ* (in codicibus sunt accusativi) a Turnebo sumo, sed praeterea inclusa deleo; sic demum apta nascitur sententia apteque continuo haec opponuntur: *οἱ δ' ἄλλοι πάντες ἱστορικοὶ .... ἀλλοτρίων γεγόνασιν ἔργων ὥσπερ δραμάτων ὑποκριταί.* Lepide nunc solus historicorum laudatur Xenophon, utpote qui copiarum ducem se haberi voluerit, scriptoris famam sit aspernatus. Qui a Xenophonte diversum

---

1) Sic cum Abreschio legendum pro *φάλαγγος*.

statuunt Themistogenem nescio quem, in densis nos tenebris errare malunt quam cum Plutarcho ipsam veritatem dispicere.

346 A *ὥσπερ Εὐφράνωρ τὸν Θησέα τὸν ἑαυτοῦ τῷ Παρρασίου παρέβαλε.*

Nullo iure hic istud *ὥσπερ* ponitur; alio modo haec sunt annectenda praecedentibus.

ib. *γλαφυρῶς ὁ Παρρασίου γέγραπται καὶ πεποίηται καί τι προσέοικε.*

Corruptum esse *πεποίηται καί τι* W. sensit. Editor coniecit *πεπσιηφαγηκότι.* Iocari voluisse virum egregium suspicor.

346 D Epaminondas *ἐπεφαίνετο τοῖς Μαντινεῦσιν ἀπροσδόκητος, καὶ διαβουλευομένοις αὐτοῖς ἀκμὴν τοῦ πέμπειν τὴν εἰς Λακεδαίμονα βοήθειαν, εὐθέως ὁπλίζεσθαι προσέταξε τοῖς Θηβαίοις.*

Recte *τοῦ* W. delet et ante *εὐθέως* inserit *καί.* Praeterea et *αὐτοῖς* deleverim, cui nullus hic locus.

346 E Eodem tempore advenerunt Athenienses, pauciores quam Thebani et ex itinere fessi; sed

ὅμως εὐθὺς εἰς τάξιν καθίσταντο τοῖς πλείστοις.

Nemo non admonitus sentit corruptum esse ultimum vocabulum. Quod quomodo sit emendandam ex iis quae statim sequuntur apparet: *οἱ δ' ἱππεῖς διασκευασάμενοι καὶ προεξελάσαντες κτέ.*

Lege ergo *τοῖς ὁπλίταις.*

347 E Scriptoribus *εὐαγγέλιον ὀφείλουσιν οἱ πρώτως ἐντυγχάνοντες [καὶ ἱστοροῦντες].*

Inclusa abiicienda sunt.

348 A *δ ε ι ξ α μ έ ν ο υ δὲ τῇ Κορίννῃ, γελάσασα ἐκείνη κτέ.*

Medium istud quid sibi velit me latet.

349 B. Non *ἐ π ί σ π ε ι σ μ α τῶν ἐκκεχυμένων βίων* hic cum Reiskio legendum sed perficienda emendatio Wyttenbachii coniectura *ἐπίδειγμα.*

349 C *Ἀρήιος ὁ κῶμος οὗτος [ἐκ γῆς] ἅμα Φάλαγξι καὶ στό-λοις [ἐκ θαλάττης] καὶ μεμιγμένοις σκύλοις καὶ τροπαίοις βε-βριθώς.*

Deleantur inclusa.

349 F Nullas instituerunt ferias Athenienses *ὅτε Καρκίνος Ἀερόπῃ συνῆν.*

Acute *περιῆν* Emperius. Certe absurdissimum est istud *συνῆν.*

350 B *ἐπί τε Σαλαμῖνι καὶ Μυκάλῃ καὶ Πλαταιαῖς ὥσπερ ἀδαμάντινοι στηρίξαντες τὴν ἐλευθερίαν τῆς Ἑλλάδος παρέδοσαν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις.*

Lege *ἀδαμαντίνην.*

ib. At ludicra res poesis si cum re militari comparatur: *οἱ δὲ ῥήτορες ἔχουσί τι παραβαλλόμενοι πρὸς τοὺς στρατη-γούς κτέ.*

L. *παραβάλλεσθαι.*

350 C *ὀμόσας τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγό-νων, οὐ τοὺς ἐν ταῖς σχολαῖς τὰ μειράκια προδιδάσκοντας.*

Immo *προδιδάξαντας.*

351 B Prudenter hic editor Graecus supplet emendatque; *ἢ ὅτι ὅτε τοὺς ἐπιτροπικοὺς ἔγραψε, τὴν ἡλικίαν ταύτην Ἀλ-κιβιάδης ἔχων Μαντινεῖς καὶ Ἠλείους ἐπὶ τὴν Λακεδαίμονα συν-έστησε.*

Denique loco, quem paulo ante citavi (349 A), pro *τοὺς βαρ-βάρους* cum M. legendum est *τοῖς βαρβάροις*, ut ille dativus pendeat a verbo *πολεμῶν.*

DE LOCO PROPERTII CONCLAMATO.

(C. IV 4, 55.)

SCRIPSIT

J. W. BECK.

Nuperrime praefationem illam egregiam, qua Birtius editionem suam cod. Neapolitani Propertii ornavit, iterum perlegens, denuo quantum prosint philologis hi libri splendidissimi, magno cum gaudio persensi. Ut in complures locos Propertii notissimos incidebam, quos iure desperant viri docti se unquam posse sanare, ita mirabar paucos et bonos haud vulgaris doctrinae fructus spretos vel incognitos in tenebris iacere. Cum ad hunc annum, sicut alii, dubius haererem in loco conclamato (Prop. IV 4, 55), ad quem P. I. Enk v. d. in dissertatione 'ad Propertii carmina commentarius criticus' (1911) p. 315 adnotavit: „quid restituendum sit, pro certo se scire nemo contendere audebit", nunc tamen — nimis fortasse videor audax — me audere profiteor ipsa lectione praefationis Birtianae confirmatus. Qui postremus edidit Propertium, Hosium dico, legit [1]):

> sic, hospes, pariamne tua regina sub aula?
>   dos tibi non humilis prodita Roma venit.
> si minus, at raptae ne sint impune Sabinae:
>   me rape, et alterna lege repende vices.

---

1) pariamne N patiare DV(L) patriaque (ne *m. s.*) F patrare L_2. Igitur lectio codicum *sic hospes* non variatur.

Phillimore autem : sin hospes patria metuar regina sub aula, e. q. s. De ceteris omnibus taceo, nam post Lachmannum, qui habet 'Si coniunx pariamve .....', omnium fere, quod sciam, „hospes" ille animos virorum doct. vinxit. Hostis vero idem nobis est, qui quam primum expellatur. Videamus potius quid Birtius (praef. XXII) disserat de vocabulis per loquendi vitium vel lapsum quendam in his codicibus corruptis.

Laudat IV 5, 74 *caltra* pro *clatra*, II 5, 4 *aquilo* pro *aliquo*, II 32, 4 *lethogoni* pro *Telegoni*, I 1, 9 *Minalion* pro *Milanion*, cet. Non laudat IV 11, 77 *lubrigia* N V_2 pro *lugubria*, *parta* pro *rapta* IV 7, 59 quod omnes codices occupavit neque illud exemplum, de quo hic erit sermo. Inde vero mihi lux orta est. Subito enim memineram me ad hunc locum olim aliquid huius generis adnotare. Ante omnia autem monendum est versum 57 'si minus .....' iam mendum quodammodo indicare vel prodere. Veri simillimum est poetam periodum antecedentem a coniunctione hypoth. 'si' incohasse (II 22, 43; IV 9, 43). Quae facile oritur ex 'sic(h)ospes', quod ex 'si posces' (i. e. si me uxorem posces) mutatis inter se litteris natum est. Praeterea illud 'pariamne' cod. N. (haud raro invenias *ve* pro *que*, ut *vel* pro *et*) in — *ve* corrigendum est [1]). Neapolitanus enim locis multis *n* et *u* litteras permutavit (praef. XLI). In vs. 55 'venit' pro 'erit' metri, ut opinor, necessitate coactus scripsit poeta. At nolo Ioh. Vahlenum, virum praestantissimum, laude sua privare, qui, ut multis ante annis notaveram, eo loco, quo se inventurum nemo facile suspicetur, de hoc versu disputavit (De emendando Taciti Dialogo Disp. II: Opusc. acad. I p. 140 sqq.; V. scripsit haec anno fere 1880). Hanc coniecturam paene sepultam, ab editoribus neglectam, mihi Birtii praefatio resuscitavit. Qui igitur et praefationem Birtii et Vahleni argumenta [2]) cognoverit, de hoc loco non iam dubitabit.

Neque dubium esse videtur quin haec corruptela omnium

1) Prop. II 8, 39 vel matre *vel* armis, IV 2, 39 ubi lego: pastor *et* .... *vel* idem; Aen VI 769 pietate *vel* armis, XII 805 terris agitare *vel* undis; Lucr. III 551 *atque* — *ve*.

2) Vahlenus exempla affert multa significationis verbi 'poscendi'; de poscendi et rapiendi actionibus inter se oppositis dicit; ex Propertio ipso nihil ad hunc locum firmandum profert.

codicum iam ad archetypum veterem redeat; etiam probabile est eum qui pro 'si posces' dixerit 'sic ospes', multo antiquioris temporis fuisse hominem (cf. contra IV 1, 30, ubi Tatio: tacito N, tacio L et vs. 31 titiens: ticeus F, taciens D; I 5, 18 *nosse*: *nosce* DV, I 11, 28 *discidium*: *dissidium* DV) [1]. Sed undecumque venit illud 'sicospes', sub quo bona lectio nimis diu vix cognita latebat, eam tenebimus usque ultro moniti versibus ipsius poetae quodammodo comparandis; II 3, 37 sq.:

> nunc Pari tu sapiens et tu, Menelae, fuisti,
> tu quia *poscebas* (sc. Helenen), tu quia lentus eras,

quibuscum cf. Ov. artis III 253:

> Aut Helene quam non stulte, Menelae, *reposcis*,
> tu quoque non stulte, Troice *raptor*, habes.

Cum sententia autem ipsa certe magis congruunt Ovid. Met. V 415:

> non potes invitae Cereris gener esse: *roganda*
> non *rapienda* fuit;

et l.l. VI 701:

> socerque
> non orandus erat, vi sed faciendus Erechtheus.

Itaque censeo 'hospitem' illum paulatim vires defecturas, si legamus:

> si posces pariamve tua regina sub aula,
> dos tibi non humilis prodita Roma venit;
> si minus, at raptae ne sint impune Sabinae:
> me rape et alterna lege repende vices.

1) Cf. praef. p. XIV.

AD PLUTARCHI MORALIA ANNOTATIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(*Continuantur ex huius Vol. pag.* 337.)

DE ISIDE ET OSIRIDE.

Haud dubie primarium hoc opus docti theologi et philosophi nostri, sive, ut accuratius loquar, docti philosophi „cui theologia philosophiae fuerit τέλος". Qui liber non Aegyptologis solum permulta praebet dignissima quae perpendantur, sed nobis quoque utilis esse potest ad intelligendum quem locum tunc Plutarchus inter illius temporis homines tenuerit. Dedicatus enim est Cleae, mulieri nobilissimae doctissimaeque, cui haud paucis, ut equidem opinor, annis ante suum *de mulierum virtutibus* misit librum. De quo, simulque de ipsa Clea et de toto hoc *collectionum* genere, satis mihi dixisse videor in Mnem. v. XLI p. 106 sqq. Ad eandem ergo mulierem, cuius olim facetissima illa urbanissimaque praefatione captavit benevolentiam, nunc spissum hoc mittit volumen quod ut est plenum reconditae doctrinae, omni caret suavitate atque dulcedine. Quod lubenter quidem evolvent quicunque religionis dant operam historiae philosophiaeque; nam multarum rerum ad Aegyptiorum rem sacram pertinentium unicus hic fons est; ducem vero lubentissime sequentur quicunque illas amant inquisitiones Plutarchum; nam quamvis sit verisimile saepe eum parum accurate a suis auctoribus edoctum, saepe etiam turpiter deceptum esse, ipsum fuisse ab omni mentiendi fallendique consilio remotissimum quavis sentis pagina. Sed quaecunque hic de Iside et Osiride ceterisque diis Aegyptiis

legimus nullam nobis praebent voluptatem: sedulitate, ne pertinacia dicam, opus est ad ista omnia paulo accuratius perlegenda; non aetate solum sed etiam doctrina admodum provectam esse consentaneum est mulierem illam, quam olim tam blande sit allocutus philosophus noster, quamque nunc sibi eligat patronam libri tam docti tamque laboriosi. Quem minime „pulchris" quas dicimus adnumerandum „libris", neque delectandi sed tantummodo docendi causa scriptum nusquam magis quam sub finem apparet.

Etenim — id quod saepe in aliis Plutarchi disputationibus non sine admiratione quadam observamus — ubi materiem suam exhausit, subito silet scriptor, de „peroratione" aliqua addenda ne cogitat quidem; nullus hic est orationis flosculus, immo — id quod tot perlectis paginis nobis iure nostro postulare videmur — ne comprehenditur quidem longa illa narratio sententiola aliqua libri consilium clare enuntiante. Iure nostro, aio, id nobis postulare videmur, quia *elegantiae* iubeant leges. Nam *perspicuitati* sic quoque satis consultum libenter agnoscimus. Quid enim *docere* hic velit Plutarchus, id quivis lector paulo diligentior statim dicet. Et — id quod iam dixi — quin docere velit nemo dubitabit, non Cleam solam, mulierem omnibus instructam rebus ad philosophiam pertinentibus, sed omnes quotquot sunt toto terrarum orbe cultiores homines, praecipue vero illos qui Romae vivunt, ubi iam diu Aegyptiorum religio multos, atque adeo multas, sibi teneat devinctas. Atque omnis illa doctrina hisce comprehendi potest verbis: „pium esse hoc est scire".

Quam sententiam abominaturos opinor quicunque bene didicerint „rationalismo" et „intellectualismo" nihil esse vitandum magis. Sed Plutarchus cum monet: „si pius esse vis fac doctus fias", nil cogitat quod humi repat hominemque sursum tollere cor vetet. Immo vero sublimia tum quoque spectat, seque hic quoque virum praestat non solum res theologicas indefessa perscrutantem industria sed etiam mente bene praeparata ad eas accedentem. „Philosophiae historia errorum quaedam est historia" Bavius clamat, succinitque Maevius: „et religionis dogmatumque historia nil nisi fraudes continet sacerdotum". At qui de rebus illis diu multumque cogitavit longe aliter iudicat: „dogmata" is

dicet „formulae quaedam sunt, quibus nihil melius accuratiusque excogitare potuerunt praestantissimi omnium saeculorum homines ad suam de rebus sanctissimis opinionem enuntiandam", atque veri gravisque hoc esse theologi officium sentiet: e vulgaribus indoctae plebis verbis, quae nunc saepe admodum absurda videantur, sublimem quandam et aeternam eruere veritatem, unde illa tamquam e divina stirpe nata sint. Hoc clamat Plutarchus diserte declarans „impii est dira ista et crudelia, quae multa Aegyptiorum habet religio, sic accipere ut nobis traduntur" tecteque toto suo libro monens: „sed pii est bene intelligere et sentire pietatem populi qui suam Isidem suumque Osiridem cultu veneretur a nostris moribus tam diverso".

Denique persuasissimum nobis habere possumus theologo Chaeronensi nullum meliorem exstare potuisse ducem omnibus qui, ut Clea nostra, theologicis studentes disquisitionibus et doctrinam peterent et mentis requiem sanitatemque.

Ad singulos autem locos hic paucissima tantum annoto. In libro enim vernacule scripto („de Avondzon des Heidendoms") integram dedi tractatus Plutarchei interpretationem (secundae editionis, quae sub finem proximi anni hic apud S. C. van Doesburgh prodiit pag. 125—182), sic me bene mereri ratus de Aegyptologis nostris, quorum unus et alter Belgice quam Graece scripta legere malit, et si qua se vel olim obtulerat vel mihi vertenti offerebat quaestio critica, quid mihi legendum videretur et qua causa in calce paginae significavi. Quas annotationes consulere etiam ii poterunt qui in nostro sermone plane sunt hospites. De tribus tantum locis hic observationes quasdam proferam, quarum duae ne meae quidem sunt sed ex eo numero virorum, quorum praecipue causa gravem illum parumque gratum vertendi laborem susceperam.

C. 32 (p. 363 E) *καὶ θρῆνός ἐστιν ἱερὸς ἐπὶ τοῦ Κρόνου γενόμενος, θρηνεῖ δὲ τὸν ἐν τοῖς ἀριστεροῖς γιγνόμενον μέρεσιν ἐν δὲ τοῖς δεξιοῖς φθειρόμενον.*

De hoc loco duae ad me pervenerunt sententiae virorum in rebus Aegyptiis versatissimorum, quorum hic traditam lectionem *Κρόνου* defendit, utpote quo nomine deus Seb significetur, alter Squirii (Wyttenbachii) probat emendationem *'Οσίριδος*. Non est meum in hac lite arbitrum agere, hoc dico, nisi hic aut *'Οσίριδος*

legatur aut Νείλου, nullo inter se vinculo cohaerere quae inde a capitis initio legantur. Sed idem sentio esse hanc emendationem ex eo genere quod suo „Καλλίστρατος, legendum videtur Φιλωνίδης" ridere solebat Cobetus. Multo certe minus est violenta Strydii, acutissimi viri, coniectura: θρῆνός ἐστιν ἱερὸς ἐπὶ τῷ ἐκ Κρόνου γεγενημένῳ, sed neque credibile est γεγενημένῳ in γενόμενος abiisse et intactum relinquitur sic quoque quod in tradita lectione est molestissimum: θρῆνος θρηνεῖ. Utrique malo mederis pro ἐπὶ τοῦ Κρόνου γενόμενος legendo τοῦ Κρόνου λεγόμενος. Saepe λεγόμενος et γενόμενος inter se confunduntur et hic praeterea (ut sexcenties in Plutarchi textu) sequens γιγνόμενον ultro illud vitum provocabat. Atque sic obtinemus eandem illam sententiam quam Strydius restituere volebat elegantissime enuntiatam: si enim Κρόνος inducitur Osiridem lugens, sponte intelligimus hic Osiridis eum dici patrem. Quod utrum iure an iniuria Plutarchus fecerit videant docti Aegyptologi. Quodsi in sententia, qualem ego restitui, error aliquis latet, eiusmodi tamen ille est ut a Plutarcho potuisse committi minime sit incredibile.

C. 39 (p. 366 E). Βοῦν γὰρ Ἴσιδος εἰκόνα καὶ γῆν νομίζουσι. Pro καὶ γῆν Marklandi recepi coniecturam αἰσθητήν. Sed admonet me Völterus, collega Amstelodamensis, verisimilius esse istud καὶ γῆν semidocti esse annotationem et una litura delendum. Verum vidisse vir acutissimus videtur.

C. 69 (p. 378 E) καὶ Βοιωτοὶ τὰ τῆς Ἀχαίας μέγαρα κινοῦσι. Locum hunc saepe tentatum sic idem ille sanandum censet κ. Β. κατάγαια μέγαρα κτίζουσιν, provocatque ad Atheniensium in Thesmophoriis usum. Ingeniosissima certe haec est coniectura; subdubito tamen annon „subterranea" Graece ὑπόγαια potius dicendum sit.

DE E DELPHICO.

Deinceps nunc in Plutarchi editionibus tres leguntur disputationes quas eodem fere tempore a Plutarcho conscriptas veri-

simillimum est; etenim ad argumenta inter se cognatissima pertinent et referuntur in iis colloquia apud templum Apollinis Delphici habita. Quarum qui decursum cognoscere cupit is Volkmannum adeat, egregie illum, ut solet, enarrantem, sed potius ipsum Plutarchum legat quem hic *αὐτὸν ἑαυτοῦ δεινότατον* sibi visum non temere coniicimus: de rebus enim agit quas maximi facit et in quibus est versatissimus. Pauca tamen de hocce libello Volkmanni addere enarrationi velim. Dedicatus est Sarapioni, viro, ut opinor, Aegyptio natione, sed doctrina Graeco atque fortasse etiam civitate donato Romana; magnus ille fuisse videtur mathematicus, nam quae in illo colloquio ab ipso sunt disputata Plutarcho ea omnia ad maiorem pertinent Pythagoricae *ἀριθμητικῆς μυστικῆς* (sic enim illam appellare possumus disciplinam) gloriam. Poetam eum fuisse et Athenis habitasse libri qui sequitur (de Pythiae oraculis) docet locus p. 396 D et paulo post (p. 402 F) eum de philosophicis quaestionibus fecisse carmina cognoscimus. Etiam in Quaestionibus Convivalibus (p. 628A) de eius arte legimus haud parvi momenti quaedam: ille enim est qui in certamine, cuius sumptus Antiochus tulit Philopappus, reportavit praemium; Aegyptiorum mores habet cognitos (p. 400A), et Stoicorum doctrinam sequitur. Nunc a Plutarcho edocetur de colloquio illo habito quo tempore Nero in Graecia erat, i. e. a. 66 (p. 385 B) Tum Plutarchus admodum etiam erat adolescens sed iam perdoctus. Postquam enim multa perite et Pythagorice de numeris disputavit, sic Ammonius, magister eius, incipit: *οὐκ ἄξιον πρὸς ταῦτα λίαν ἀκριβῶς ἀντιλέγειν τοῖς νέοις*, unde iure efficitur eum a. 47 natum esse. Neque multo aut maior aut minor frater eius Lamprias, quod apparet ex hisce quorum nescio an nondum vera sit perspecta sententia. Literam illam E templo Delphico affixam sic Lamprias explicat: „sapientes illi qui dicuntur revera non septem fuerunt sed quinque, sed nomen illud affectaverant etiam duo tyranni, Cleobulus et Periander ut sapientiae gloria inclarescerent. Quos ceteri cum palam fraudis arguere non auderent, in loco conspicuo illam posuerunt literam, sic deum ipsum veritatis testem advocantes: E enim quinque significat". Sequuntur haec: *ὁ μὲν οὖν Ἀμμώνιος ἡσυχῇ διεμειδίασε.* Cur leniter subridet Ammonius? Delectatur, ut opinor, adolescentulo lepide historiolas fingente, sed urbane simul significat

se istud *αἰτιολογίας* artificium haud magni facere, poetarum enim illud esse non philosophorum. Cum Platone enim suo magister Plutarchi monet: „poeticis figmentis delectentur pueri et adolescentuli, adultos philosophia et vera doctrina decet".

Sed nunc, cum Sarapionis causa colloquium illud chartae mandat, iam longa effluxit annorum series: *πάλαι ποτὲ* ait *καθ' ὃν καιρὸν ἐπεδήμει Νέρων ἠκούσαμεν Ἀμμωνίου καί τινων ἄλλων διεξιόντων.* De *antiqua*, ut ita dicam, historia se agere sentit, quapropter ego hunc quoque libellum, ut tam multa scripta „moralia", anno fere 107 scriptum editumque statuo.

Adolescentuli ergo, cum illud colloquium habebatur (anno 66), erant et Plutarchus et Lamprias sed aliquanto maior illis Theon, licet eum *ἑταῖρον* appellet Plutarchus p. 385 E. Nam Lampriae *αἰτιολογίαν* leniter, ut lusum puerilem, ridet Ammonius, Plutarchi doctrinam Pythagoricam laudat quidem sed vix ullam eius habet rationem; ipse quoque Plutarchus quo tempore colloquium chartae mandat, illam tantum non contemnit. Legimus enim p. 387 F: *τηνικαῦτα προσεκείμην τοῖς μαθήμασιν ἐμπαθῶς, τάχα δ' ἔμελλον εἰς πάντα τιμήσειν τὸ „μηδὲν ἄγαν" ἐν Ἀκαδημείᾳ γενόμενος.* Hic voce *μαθήμασιν* ipsa illa sapientia Pythagorica significatur. At Theon iam tamquam par cum paribus certat et, minime metuens ne arrogans videatur, adversus Nicandrum dilectam suam dialecticam defendit. Eodem et alii loci ducunt, ubi Theon commemoratur, praesertim vero *Q. Conv.* VIII, 4, 5 (p. 724 D) ubi Theonis filius Caphisus satis iam est maturus ut cum viris doctis ei disputare liceat; VIII, 6, 1 (726 A), ubi Plutarchi filii iuniores a Theonis filiis reprehenduntur; *de facie i. o.* l. 7 (923 F), ubi ipse Plutarchus Theone magistro utitur. Semper mihi oritur suspicio Theonem Plutarchi fuisse in sacerdotio Delphico *decessorem.* Quae si falsa non est, Plutarchus aliquamdiu tamquam *summus sacerdos* toti oraculo praefuit. Theon enim illud senescens iam et paene neglectum suscitavit refecitque. Inspiciamus locum eo pertinentem: *de Pythiae oraculis* p. 409 B.C. Ipsius haec Theonis verba sunt:

Φιλῶ μὲν ἐμαυτὸν ἐφ' οἷς ἐγενόμην εἰς τὰ πράγματα ταῦτα πρόθυμος καὶ χρήσιμος μετὰ Πολυκράτους καὶ Πετραίου, φιλῶ δὲ τὸν καθηγέμονα ταύτης τῆς πολιτείας γενόμενον ἡμῖν καὶ τὰ πλεῖστα τούτων ἐκφροντίζοντα καὶ παρασκευάζοντα.

In quibus quo modo πολιτεία dici possit res de qua agitur non video. Cetera, ex quo Wyttenbachius acute perspexit semet ipsum hic Plutarchum tecte et verecunde significare, quam maxime sunt perspicua et vitae plena. Sua auctoritate tres seniores, Theon, Polycratus, Petraeus, quorum Theon princeps, rem eo perduxerunt ut ii, penes quos ea res erat, oraculum ad pristinum esse revocandum honorem decernerent, in ipso vero opere perficiendo primas Plutarchus partes egit seque sic dignum praestitit qui mox Theoni succederet.

Est autem libellus egregius, verae sapientiae plenus, ad legendum iucundissimus, utilissimus ei qui Plutarchum eiusque aetatem bene cognoscere studet. Sed una in eo legitur sententia propter quam ego non dubito quin primarius quidam ei locus inter omnia Plutarchi scripta sit tribuendus. Et pronuntiat quidem eam Ammonius (392 A), sed ita pronuntiat ut statim sentias ipsum Plutarchum ambabus arripere manibus suamque facere hanc venerandi praeceptoris opinionem: „E istud" ait „syllaba est εἶ, secunda verbi εἰμι persona, quam qui ibi posuit ea utentem facit unumquemque qui sacram aedem intrat ut salutanti quodammodo deo respondeat: *nosce te ipsum* deus inquit, respondetque homo: equidem prorsus non *sum* sed fio, mutor, pereo, verum *esse* Tu solus habes, Numen supremum".

En, rem in omnibus Graecorum Latinorumque literis rarissimam veram pietatem, eam pietatem dico, quam Christiani quoque eo solent appellare nomine. Equidem nunquam in hunc locum incido quin statim in mentem mihi veniat rei, qua nulla unquam inter homines ad mentes commovendas aptior evenit. Consederat magnifica illa Catharinae Medicaeae aula assidebantque summi Ecclesiae publicae sacerdotes; intrabant aliquot Hugenoticae sectae pastores: stantibus his concedebatur causam suam agere. Cumque iis data esset dicendi facultas, quid eos fecisse putas? Gravemne et doctam de quaestionibus theologicis habuisse orationem? Immo vero praeunte Theodoro Beza omnes procubuerunt atque ex Bezae ipsius ore immortalia haec fluxerunt verba: „Domine Deus, pater aeterne et omnipotens, agnoscimus Tuaeque sanctae fatemur maiestati miseros nos esse peccatores". Numquam maior est homo quam cum ad aeternum Deum tollens oculos parvum

se et debilem sentit. Hoc sibi penitus esse persuasum Plutarchus illo proclamat.

Ad singulos locos quae annotem haec sunt:

385 B *ἠκούσαμεν Ἀμμωνίου καί τινων ἄλλων διεξιόντων, ἐνταῦθα τῆς αὐτῆς ἀπορίας* (sc. de isto E) *ὁμοίως ἐμπεσούσης.*

Notetur hic Plutarcheum illud *ἐνταῦθα* pro *ἐνθάδε*. Est enim: *hic, Delphis.*

385 C Referuntur haec Ammonii verba:

ἐπεὶ δὲ τοῦ φιλοσοφεῖν ἔφη τὸ ζητεῖν τὸ θαυμάζειν καὶ ἀπορεῖν, εἰκότως τὰ πολλὰ τῶν περὶ τὸν θεὸν ἔοικεν αἰνίγμασι κατακεκρύφθαι, καὶ λόγον τινα ποθοῦντα διὰ τί καὶ διδασκαλίαν τῆς αἰτίας.

Egregie et ipsi sententiae et eius structurae prospexit Bernardakis *ἀρχή* legendo pro *ἔφη*. Sed eaedem eximi iubent particulam *καί*, quae nunc ante *λόγον* legitur.

386 A *ὁ μὲν οὖν Ἀμμώνιος ἡσυχῇ διεμειδίασεν, ὑπονοήσας ἰδίᾳ τὸν Λαμπρίαν δόξῃ κεχρῆσθαι, πλάττεσθαι δ' ἱστορίαν καὶ ἀκοὴν ἑτέρων πρὸς τὸ ἀνυπεύθυνον.*

Passivi illius *πλάττεσθαι* rationem non perspicio; si *πλάττειν* legeretur, hoc secum Ammonius diceret: „Lamprias utitur eo quod ipsi in mentem venit sed se fando audivisse simulat ne ab ipso ratio reposcatur".

386 C „Vocabulum *εἰ*" Ammonius ait „*τάξιν ἡγεμονικὴν ἐν τοῖς ἐρωτήμασιν ἔχει τῶν χρωμένων ἑκάστοτε καὶ διαπυνθανομένων, εἰ νικήσουσιν, εἰ γαμήσουσιν κτέ.*

Rectissime hic Stegmannus particulam *καί* delet, dummodo ante *τῶν χρωμένων* ponatur virgula. Sequuntur haec:

τοῖς δὲ διαλεκτικοῖς χαίρειν ἔλεγε σοφὸς ὢν ὁ θεός, οὐδὲν οἰομένοις ἐκ τοῦ „εἰ" μορίου καὶ τοῦ μετ' αὐτοῦ ἀξιώματος πρᾶγμα γίγνεσθαι, πάσας τὰς ἐρωτήσεις ὑποτεταγμένας τούτῳ καὶ νοῶν ὡς πράγματα καὶ προσιέμενος.

Atra nocte haec obscuriora, et fortasse perfecto dialectico opus est ad haec vel illustranda vel emendanda. Qui donec inveniatur ego hoc propono: pro *ἐκ* legatur *ἄνευ* et totus locus sic accipiatur: dialectici putant *nihil esse* (*οὐκ εἶναι πρᾶγμα*) sententiam ab *εἰ* pendentem *nisi addatur apodosis* (*ἄνευ τοῦ „εἰ" μορίου καὶ*

τοῦ μετ' αὐτοῦ ἀξιώματος), sed deus, qui illis multo est sapientior, etiam sententiolas qualis est haec: *ὁ δεῖνά σε ἐρωτᾷ εἰ νικήσει tamquam plenas perfectasque* (*ὡς πράγματα*) intelligit admittitque.

386 D „Praeterea" ait idem „*εἰ* precantis est, in *εἴθε* secunda syllaba abundat". Hic recte B addit *ὥσπερ καὶ τὸ θήν*, citantur enim versus in quibus illa legitur particula: *ἐν δὲ τῷ „εἰ" τὸ εὐκτικὸν καὶ ἀποχρώντως δηλοῦσθαι* (putant homines quibus aliqua cum oraculo ratio). Deleatur *καί*, quoniam haec est sententia: ad preces significandas simplex *εἰ* sufficit, non opus est longiore *εἴθε*.

386 E Rogat Ammonium Theon *εἰ διαλεκτικῇ παρρησίας μέτεστιν οὕτω περιυβρισμένῃ ἀκηκουῖα.*

Sic traditum est; verba haud dubie corrupta in hunc modum sanare tentat B: *οὕτω περιυβρισμένης αὐτῆς ἀκηκουίᾳ.* Quod nimia verbositate languidum videtur. Duas equidem olim lectiones extitisse suspicor, vel unam lectionem et eius interpretationem: *οὕτω κακῶς ἀκηκυίᾳ* et *οὕτω περιυβρισμένῃ*, easque sic coaluisse in unum ut aliquid excideret.

387 D Theon ergo, strenue pro sua dialectica pugnans, hanc revera esse ait tripodem illum quem iuvenis etiam et incultus sustulit Hercules *καταγελῶν τοῦ „εἰ" τὸ πρῶτον τὸ δεύτερον.*

Egregie haec sic supplet Emperius: *καταγελῶν τοῦ „εἰ τὸ πρῶτον καὶ τὸ δεύτερον"*. Egregie enim sic tota dialectica significatur. In textum recipiendae erant, ut opinor, palmares emendationes qualis haec est, et quales fere omnes sunt Emperii, illius Reiskii redivivi. Ex eodem genere et haec est eiusdem critici:

388 B „Si numerum parem" Theon ait „in duas partes dividimus, medium fit vacuum; si imparem, restat aliquid ibidem". Ultima Graece sic traduntur: *περίεστι τῆς νεμήσεως γόνιμον.* Rectissime Emp. pro ultimo vocabulo *μόριον* restituit. Ut sexcenties in Plutarchi textu, sic hic quoque vicinum vocabulum (*γονίμου* C) vitium perperit.

Praecedunt autem de pari numero haec:

διιστάμενος ὑπολείπει τινα δεκτικὴν ἀρχὴν οἷον ἐν ἑαυτῷ καὶ χώραν.

Isto *οἷον* quid faciam nescio. Si *μέσην* eo loco legeretur, egregie omnia cum sequentibus concinerent.

388 B „Omnes numeri" sic Plutarchus adolescens ratiocinatur „si multiplicantur, in fine alium numerum habent exceptis 6 et 5. Sexies enim sex fit 36 et quinquies quinque 25, ceteris ergo numeri hi praestant; at longe praestantior 5 quam 6, etenim: *ὁ μὲν τῶν ἓξ ἅπαξ τοῦτο ποιεῖ καὶ μοναχῶς αὐτὸς ἀφ' ἑαυτοῦ τετράγωνος γιγνόμενος· τῇ δὲ πεμπάδι καὶ τοῦτο μὲν συμβέβηκε κατὰ πολυπλασιασμόν, ἰδίως δὲ τὸ κατὰ σύνθεσιν ἢ ἑαυτὴν ἢ τὴν δεκάδα ποιεῖν παρὰ μέρος, καὶ τοῦτο γίνεσθαι μέχρι παντός.*

Haec quoniam haudquaquam intellexit interpres apud Wyttenbachium, sic accipienda esse moneo: „numero sex semel tantum hoc evenit, cum ex se ipso quadratum facit, at numerus 5 et in multiplicando idem habet ($3 \times 5 = 15$, $7 \times 5 = 35$) et praeterea si ipse sibi additur aut 5 aut 10 alternis prodit: 5, 10, 15 et sic in infinitum". Post *παρὰ μέρος* etiam traditur *ἐπιβαλλούσης αὐτῇ*, pro quo Emperius, ad sensum recte, *ἐπιβάλλουσαν αὐτῇ*, Madvigius vero, si recte refert B., *ἐπιβαλλούσῃ αὐτῇ*, quod et sensu cassum et turpi laborat hiatu. Equidem duo ista vocabula una litura delenda statuo; satis enim perspicuum est *κατὰ σύνθεσιν*.

388 F Quid attinet bonas emendationes in annotatione commemorare et in textu relinquere quae a nemine possunt intelligi? Velut hic particulam *δέ* exemit Emperius (lenis sane ea medicina), qua remanente omnia sunt *τοῦ χάους* instar.

389 A Theologi Bacchi *φθοράς τινας καὶ ἀφανισμοὺς οἱ τὰς ἀποβιώσεις καὶ παλιγγενεσίας . . . περαίνουσι.*

Quorsum editor istud *οἱ* refert, qui non recipiat certam Stegmanni emendationem *εἶτα δὲ* (pro *οἱ τάς*)? Et potestne dubitari quin iure Herwerdenus pro *ἀφανισμούς* legi *ἐμφανισμούς* iusserit? An credamus Plutarchum consulto omisisse aliquid, quod necessario esset dicendum, ut aliam rem bis enuntiaret?

390 C Sic denique suam numeri 5 laudationem concludit noster:

θαυμαστή τις, ὡς ἔοικε, διανομὴ γέγονε τῶν πέντε πρὸς τὰ πέντε καὶ σύλληξις.

Satisne absurda haec? Et num quidquam aptius excogitari potest quam Wyttenbachii coniectura *τῶν πάντων πρὸς τὰ πέντε* quae in recentissima editione ne commemoratur quidem? Huc enim tota Plutarchi redit disputatio: in quinque partes pleraque omnia posse dividi et commune aliquid cum eo numero habere.

391 C *τεκμαίρομαι δὲ ταῦτ' ἐκείνων ὥσπερ εἰκόνας λέγεσθαι.*

Ne quis hic erret annoto *ταῦτα*: *τὰ ἐν Φιλήβῳ, ἐκείνων*: *τῶν ἐν Σοφιστῇ.*

ib. In utroque ergo libro Plato quinque *ἀρχάς* ponit. *Πυθόμενος, Φήσει δή τις, ταῦτα πρότερος συνιδὼν Πλάτωνος, δύο Ε καθιέρωσε τῷ θεῷ.*

Pro *δύο* recte W. — nam nullus hic duobus E locus — restituit *δοκεῖ*, quo recepto, ut opinor, etiam *καθιερῶσαι* erit legendum. In ceteris utrum *Φήσει* legas an *Φησι* vel (cum W.) *Φασι* parum refert, nam sic quoque manent obscura; neque multum proficimus Wyttenbachii coniectura *οἷς πειθόμενος*, quoniam duo participia *πειθόμενος* et *συνιδών* simul hic ferri non possunt. Lege *Πύθιος δέ τις ταῦτα πρότερος συνιδὼν, δοκεῖ Ε καθιερῶσαι τῷ θεῷ.* Lepide hic Pythium (i. e. sacerdotem Apollinis Delphici) infert, nam subito se ad Nicandrum convertit, qui nunc eo munere fungitur.

Ad Nicandrum ergo conversus haec dicit: *τῇ γὰρ ἕκτῃ τοῦ νεοῦ μηνὸς ὅταν κατάγῃ εἰς τὴν Πυθίαν εἰς τὸ πρυτανεῖον . . .*

Pro *κατάγῃ εἰς* lege cum W. *κατάγητε* sc. *ὑμεῖς οἱ Πύθιοι.* Quae sequuntur frustra emendare conatur W., neque ipse meliora excogitare possum.

391 E Denique sic finem suae narrationi a se adolescente habitae Plutarchus imponit:

τοιοῦτο μὲν καὶ ὁ τῶν ἀριθμητικῶν καὶ ὁ τῶν μαθηματικῶν ἐγκωμίων τοῦ Ε λόγος, ὡς ἐγὼ μέμνημαι, πέρας ἔσχε.

Ut fieri solet in Plutarchi textu, vicini genitivi novum geni-

tivum pepererunt: pro *ἐγκωμίων* enim legendum est *εἰς ἐγκώμιον*. Ad maiorem enim illius literae gloriam illa erat habita oratio. Praeterea videndum annon pro *ἀριθμητικῶν* legendum sit *διαλεκτικῶν*. Hactenus enim dialecticorum et mathematicorum (i. e. Pythagoreorum) opiniones sunt expositae, a Theone et a Plutarcho. Cur hic praeterea arithmetici nominentur non video.

392 F „Vocabula" ait Ammonius „qualia sunt et alia et *ἔσται* et *γέγονε*, sunt confessiones *τοῦ μὴ ὄντος· τὸ γὰρ ἐν τῷ εἶναι τὸ μηδέπω γεγονὸς ἢ πεπαυμένον ἤδη τοῦ εἶναι λέγειν ὡς ἔστιν, εὔηθες καὶ ἄτοπον.*

Luce clarius est secundum illud *τὸ* esse eiiciendum. Sic enim decurrit sententia: *εὐηθές ἐστι λέγειν ὡς ἔστι τὸ μηδέπω γεγονὸς ἐν τῷ εἶναι ἢ κτέ.*

ib. Quod vero vocabulis *ἐνέστηκε, νῦν, πάρεστι* significamus *τοῦτ' αὖ πάλιν ἅπαν ἐκλυόμενος ὁ λόγος ἀπόλλυσι.*

Sic B. cum Eusebio, altera lectio est *ἐκδυόμενος*. E neutra aptus extundi potest sensus; sed lege *ἐνδυόμενος*, egregiam habebis imaginem: ratio enim *cuneus* quidam esse dicitur qui „praesens" istud dissipat, egregieque nunc continuo additur: *ἐκθλίβεται γὰρ εἰς τὸ μέλλον καὶ τὸ παρῳχημένον ... ἐξ ἀνάγκης διιστάμενον.*

Loco quem vacuum reliqui legitur etiam *ὥσπερ ἀκμὴ βουλομένοις ἰδεῖν*. Pro *ἀκμή* apud Eusebium est *αὐγή* quod certe melius cum verbo *ἰδεῖν* iungitur. Sed mallem abessent quatuor illa vocabula omnia.

393 A *ὅθεν οὐδ' ὅσιόν ἐστιν οὐδ' ἐπὶ τοῦ ὄντος λέγειν, ὡς ἦν ἢ ἔσται.*

Deleatur secundum *οὐδέ*. Sententia enim est: de eo quod revera est (i. e. de Deo) dicere: „erat" vel „erit" nefas est.

Atque haec huius sententiae affertur ratio: „declinationes enim istae sunt eius rei, cuius haec est natura ut non permaneat in conditione quae *esse* nominari possit". Sic enim fere vertenda sunt verba: *ταῦτα γὰρ ἐγκλίσεις ... μὴ πεφυκότος.*

393 D *τοὺς δ' Ἀπόλλωνα καὶ ἥλιον ἡγουμένους τὸν αὐτὸν ἀσπά-*

ζεσθαι μὲν ἄξιόν ἐστι καὶ φιλεῖν δι' εὐφημίαν, ὃ μάλιστα τιμῶσιν ὧν ἴσασι καὶ ποθοῦσιν εἰς τοῦτο τιθέντας τοῦ θεοῦ τὴν ἐπίνοιαν.

Istud *δι' εὐφημίαν* abesse vellem; nihil enim aliud significare potest quam: „quod ita loquuntur ut pios homines decet", quod idem inest in eo quod continuo sequitur. Et articulus fuerat addendus *διὰ τὴν εὐφημίαν*. Scioli annotationem esse puto.

Sequitur: *ὡς δὲ νῦν ἐν τῷ καλλίστῳ τῶν ἐνυπνίων τὸν θεὸν ὀνειροπολοῦντας ἐγείρωμεν.*

Haec sic vertuntur apud W.: „*in praesentia* autem eos Deum quasi in pulcherrimo omnium somniorum somnio imaginantes excitemus". Perverse, sic enim oportebat: „sed excitemus eos, *nam nunc* pulcherimum quidem de Deo somnium somniant, sed somniant tamen".

394 C Haud diu est ex quo tibia laetis adhiberi rebus ausa est: *τὸν δὲ πρῶτον χρόνον εἵλκετο πρὸς τὰ πένθη.*

Mire hic *trahi* tibia dicitur. Sed neque activum huius loci fuerit. Exspectes fere: *ἐκάλει*: ad luctus et lamentationes vocare et invitare solebat.

ib. Sic olim omnia suum sibi locum officiumque habebant *εἶτ' ἐμίχθη παντάπασιν.*

Hic certe, quod multo saepius factum oportuit, praeclaram Emperii emendationem in textum recepit B.: *πάντα πᾶσι.* Quam hic commemoro quia in sequentibus recurrit vitium quod hic illam postulavit. Quid enim in tradita lectione minime erat ferendum? Quod verbum *ἐμίχθη* subiecto caret. Sequuntur autem haec:

μάλιστα δὲ τὰ θεῖα πρὸς τὰ δαιμόνια συγχέοντες εἰς ταραχὴν αὐτοὺς κατέστησαν.

Qui quos? Partem vitii B. sustulit legendo *αὑτούς* pro *αὐτούς*, sed partem tantummodo. Nam obiectum habemus, subiectum cogitando supplere debemus, quod hoc loco, ubi summa requiritur perspicuitas, diserte erat enuntiandum. Equidem legendum puto: *εἰς ταραχὴν ἄ ν θ ρ ω π ο ι κατέστησαν.* Hoc requiri sensisse interpres videtur, qui haec habet: „magnaeque perturbationes *hominibus* inde obortae quod res deorum cum rebus geniorum permiscuerunt". Etiam e compendio $\overline{\alpha\nu o\iota}$ (*ἄνθρωποι*) multae magnaeque obortae sunt perturbationes librariis.

DE PYTHIAE ORACULIS.

Sic enim insequens libellus latine nominari solet. Multo accuratius Graece: περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν. Refelluntur enim ii qui eo argumento oraculo Delphico fidem et auctoritatem demere student quod non, ut olim, nunc versibus utatur Pythia. Vides argumentum cognatissimum illi quod praecedente libro tractatur, et eodem tempore utrumque scriptum mihi persuasum est. Primarias in colloquio quod hic refertur partes agit Theon, qui in libro de E Delphico tam strenue dialectices causam sustinuit. Colloquium cum habebatur, Pompeiorum Herculaneique clades recens etiamtum erat. Interea effluxisse hominis aetatem opinor. Nam *scribi* haec quae in colloquio de praesenti Pythia dicta sunt: „apud pauperes agricolas educata omni cultu caret" non potuerunt nisi multo post eius mortem, certe non ab homine decoris et honestatis amantissimo, qualis Plutarchus fuit.

A *Romanis* se lectum iri speravit Plutarchus, quod apparet ex hisce verbis in fine libri (p. 408B): „res praesentes, de quibus consulitur deus, amo laudoque: usquequaque enim pax regnat otiumque; bellis finis est impositus, non pugnant inter se civitates, nullae iam turbae sunt, nulli tyranni, abierunt omnes illi morbi Graeci, qui olim multiplices requirebant medicinas". Imperium Romanum auream reduxit aetatem: hoc Plutarcho persuasissimum est, hoc sine ulla adulationis specie proclamare potest ut dominis potentibus librum suum commendet.

Qui quomodo decurrat ipse Plutarchus accurate legentem edocebit, viae compendium quaerentibus praestantissimus dux Volkmannus praesto erit.

De singulis eius locis haec annoto:

394E Expostulat Basilocles cum Philino quod eius culpa — nam totum insumpsit diem ad hospitem circum donaria Delphica ducendum — sibi tam diu illius fuerit exspectandus reditus. Sic se Philinus excusat:

βραδέως γὰρ ὠδεύομεν ... σπείροντες λόγους καὶ θερίζοντες εὐθὺς μετὰ μάχης ὑπούλους καὶ πολεμικούς, ὥσπερ οἱ Σπαρτοί, βλαστάνοντας ἡμῖν καὶ ὑποφυομένους κατὰ τὴν ὁδόν.

Hic ego primum *μετὰ μάχης* delendum censeo utpote moleste abundans sequente *πολεμικούς*. Deinde in *ὑπούλους* haereo, quod neque quomodo de sermonibus recte dicatur neque quomodo cum *πολεμικούς* iungi possit video. Vix dubito quin *ἐνόπλους* sit legendum; lepide tum sermones cum Spartis comparantur.

395 A Diogenianus est hospes ille, quem Philinus ut sapientiae studiosum magnopere laudat, additque haec:

ὥστε καὶ βραχὺ συγγενόμενον εὐθὺς εἰπεῖν· „τέκος ἀγαθοῦ πατρός". οἶσθα γὰρ Διογενιανὸν ἀνδρῶν ἄριστον.

Est ergo Diogeniani filius.

395 BC *τὸν μὲν γὰρ Κορίνθιον* (sc. *χαλκὸν*) *οὐ τέχνῃ ἀλλὰ συντυχίᾳ τῆς χροᾶς λαβεῖν τὸ κάλλος.*

Iure hic *Φασιν* editor addit. Sequitur nota narratio de Corinthii aeris origine: incendium in aedibus quibusdam auri argentique sed multo maiorem aeris confudit inter se copiam, quo facto

ὄνομα τοῦ χαλκοῦ τῷ μείζονι τὸ πλῆθος παρέσχεν.

Corrupta haec esse ultro clamat editor sic interpretando scilicet: *τὸ πλῆθος τοῦ χαλκοῦ παρέσχεν ὄνομα* (*τοῦ χαλκοῦ*) *τῷ μείζονι* (sc. *μέρει τοῦ χαλκοῦ*)! Haud male sic emendat Stegmannus *ὄνομα τοῦ χαλκοῦ τὸ μεῖζον πλῆθος παρέσχε.* Sed neque unde nata sit vitiosa lectio apparet et suo sibi dativo verbum *παρέσχε* caret. Plutarchum equidem scripsisse opinor: *ὄνομα τοῦ χαλκοῦ τῷ παντὶ τὸ μεῖζον πλῆθος παρέσχεν.*

395 F Philinus amico narrans de colloquiis cum hospite, dum circumducebatur, habitis Theoni primas partes tribuit, qui acuta quadam Aristotelis commemorata coniectura de peculiari Delphici aeris colore, sic ad reliquam parat disputationem transitum:

ἂν οὖν καὶ αὐτοί τι τοιοῦτον ὑποθέσθαι δυνηθῶμεν, οὐ παντάπασιν ἀπορήσομεν ἐπῳδῆς καὶ παραμυθίας πρὸς τὴν ἀπορίαν.

Iam primo aspectu istud *ἀπορήσομεν ... ἀπορίαν* suspicionem vitii movet illius in textu Plutarchi tam crebro recurrentis. Et re vel obiter considerata haec sana non esse elucet. Nihil enim iucundius hi philosophi norunt quam ipsas *ἀπορίας*, neque ullo praeterea delenimento opus est ut summam ex iis capiant de-

lectationem. Sed quid hic colloquiis est condiendum et suavius reddendum? Ipsa, ut opinor, res in qua cum maxime versantur; quae quantum habeat laboris probe norunt qui unquam maius aliquod imaginum statuarumque perlustrarunt museum; vix ulla excogitari potest *via* quae magis defetiget euntes. Lege ergo *πρὸς τὴν πορείαν*. Quam coniecturam egregie confirmat illustratque locus in initio libri *de cohibenda ira* (453 C). Ibi Sulla Fundanum rogat ut sibi rem quandam exponat *τῆς ὁδοιπορίας σχολὴν διδούσης*. Iam satis diu hi amici ambularunt, nunc paulisper requiescere iis licet.

396 C Aeris subtilitas (*λεπτότης*) non solum aeruginis causa est *ἀλλὰ καὶ τὴν χρόαν αὐτὴν ποιεῖν ἔοικεν ἡδίονα.*

Ecquid dubitari potest quin recte *αὕτη* scribi iusserit Emperius?

396 D „Saepe miratus sum" Diogenianus ait „tam ingratos saepe esse versus quibus oracula sunt concepta"

καίτοι μουσηγέτης ὁ θεός, καὶ τῆς λεγομένης λογιότητος οὐχ ἧττον αὐτῷ καλὸν ἢ τῆς περὶ μέλη καὶ ᾠδὰς εὐφωνίας μετεῖναι.

Ne contrarium dicat D. eius quod cogitat exime *ἤ*. Sic enim ei est disputandum: „Musarum dux est deus, decet ergo eum non minus esse participem poeticae artis quam sapientiae". Sequitur:

τοὺς δὲ πολλοὺς τῶν χρησμῶν ὁρῶμεν καὶ τοῖς μέτροις καὶ τοῖς ὀνόμασιν πλημμελείας καὶ φαυλότητος ἀναπεπλησμένους.

Ut recte procedant omnia, obtemperandum est Bernardakio post *ὁρῶμεν* addenti *εἶπε*.

396 F Commemorata lepida narratione de equo quem currentem pinxerat Pauso in equum qui se volutat converso ab eodem, sic disputare pergit Boethus geometra:

τοῦτό φησιν ὁ Βίων ἐνίους τῶν λόγων πάσχειν, ὅταν ἀναστρέφωσι.

Immo *ἀναστραφῶσι* cum Perizonio.

397 B „Non *dulces* esse oportet versus, sed *rectos*" monet Sarapio poeta et sic illam claudit disputationem: *ἡδονὴν γὰρ οὐ προσίεται τὸ ἀπαθὲς καὶ ἁγνόν, ἀλλ' ἐνταῦθα μετὰ τῆς Ἄτης ἐρρίφη καὶ τὸ πλεῖστον αὐτῆς καὶ ὡς ἔοικεν εἰς τὰ ὦτα τῶν ἀνθρώπων συνερρύηκεν.*

ἐνταῦθα Plutarcheo more *huc*, in terras. Recte enim interpres sic ultima vertit: „voluptas simul cum Noxa in hanc terram proiecta est, et maxima eius pars, ut apparet, in aures hominum confluxit". Sed ut haec evadat sententia, ultimum istud *καί* delendum est.

ib. „Sarapion" Theon ait „more suo disputavit":
ἡμεῖς δὲ κἂν ᾖ φαυλότερα τῶν Ὁμήρου ταῦτα τὰ ἔπη, μὴ νομίζωμεν αὐτὰ πεποιηκέναι τὸν θεόν.
Rectissime B. *κἂν μὴ ᾖ*. Non enim periculum est ne mali sed ne egregii versus a deo facti videantur.

397 C Boethum aliosque geometras Theon *Ἐπικούρου προφήτας* appellat: *δῆλος γὰρ εἶ (ὦ Βόηθε) καὶ αὐτὸς ὑποφερόμενος.*
Sensu cassa haec; insere *ἐκεῖσε* post *αὐτός*, aptissimam hanc habebis sententiam: „apparet te quoque ad illam delabi philosophiam".

397 D „Scire cupimus omnes" Diogenianus ait:
πῶς πέπαυται τὸ μαντεῖον ἔπεσι καὶ λόγοις χρώμενον.
Absurda haec: sic enim neque vincta neque soluta oratione utetur oraculum. Pro *λόγοις* R. *ἄλλοις μέτροις*, minus audacter quam videtur, nam p. 402 B haec legimus: *τῆς αἰτίας, ἣ πέπαυκε τὴν Πυθίαν ἐν ἔπεσι καὶ ἄλλοις μέτροις θεσπίζουσαν.*

397 EF Miraculum hoc commemorat hospes. Hieronis columna aerea collapsa est eo ipso die quo ille Syracusis occidit. „Tum ego" sic narrat Philinus „in memoriam redii aliorum miraculorum quae eodem modo instans aliquod malum praenuntiarunt". Atque ea enumerat, sed sic nobis sunt tradita ut haud leves oriantur dubitationes. Prima enim verba haec sunt:
οἷα δὴ τοῦ Ἱέρωνος μὲν τοῦ Σπαρτιάτου.
Iam hoc miraculi instar quod sic subito post Hieronem Syracusanum infertur Hiero Spartanus. Ad Xen. Hell. VI, 4, 9 nos relegat Bernardakius, et revera ibi Hiero quidam nominatur, sed ne hoc quidem apparet *Spartanum* illum fuisse. Legimus enim apud Xenophontem: *οἵ τε μετὰ τοῦ Ἱέρωνος μισθοφόροι καὶ οἱ τῶν Φωκέων πελτασταὶ κτἑ.* Sed fac Spartanum fuisse, fac

alterius Hieronis nomine audito subito alterius memorem factum Philinum — quamquam id diserte fuerat significandum —, qualis est Xenophonteus ille Hiero et qualis hic Spartanus apud Plutarchum? Dux ille mercennariorum, ut antea bellatores illi de quibus in Anabasi legimus, at hic vir quidam amplissimus, pari cum ipso Lysandro dignitate, nam ut Lysander suam sibi *statuam* Delphis habebat. Sequuntur haec:

οἱ δὲ ἀστέρες ἠφανίσθησαν οὓς Λύσανδρος ἀνέθηκεν ἀπὸ τῆς ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίας.

Quid haec cum Hierone nostro? Tertium portentum huiuscemodi est:

ὁ δ' αὐτοῦ τοῦ Λυσάνδρου λίθινος ἀνδριὰς ἐξήνθησεν ἀγρίαν λόχμην κτἑ.

414 C *ἔδει θαυμάζειν τὸν θεόν, εἰ περιεώρα τὴν μαντικὴν ... καθάπερ αἱ πέτραι ποιμένων [ἐν ἐρημίᾳ] καὶ βοσκημάτων Φωναῖς ἀντηχοῦσαν.*

Inclusa pulcherrimum locum turpiter corrumpunt.

414 D „Concedisne ergo" Lampriam rogat *τὸ καὶ ποιεῖν [ταυτὶ] τὰ μαντεῖα καὶ ἀναιρεῖν τὸν θεόν;*

Facessat hinc vox inclusa: *in universum* hoc de oraculis rogatur.

ib. Ipsa materies *ἀναΦεύγει πολλάκις καὶ ἀναλύει τὸ γιγνόμενον.*

Receptam oportuit praeclaram Xylandri emendationem *ἀνυΦαίνει* pro *ἀναΦεύγει.*

414 E *τὴν δ' οὐσίαν αὐτῶν καὶ δύναμιν ἐν τῇ Φύσει καὶ τῇ ὕλῃ Φασὶ δεῖν ζητεῖν.*

Egregie B. *δεῖν* pro *δεινούς* reposuit, sed emendationem non perfecit. Non enim *alii* hoc dicunt sed ipse Lamprias. Lege ergo *Φημί* pro *Φασί.*

414 F Difficile est *τὸ λαβεῖν καὶ διορίσαι πῶς χρηστέον καὶ μέχρι τίνων τῇ προνοίᾳ.*

Requiritur: *definire*. Lege ergo *διαλαβεῖν.*

415 A „Iure quidem" Cleombrotus ait „Plato dicitur sua philosophia multas difficultates sustulisse":

ἐμοὶ δὲ δοκοῦσι πλείονας λῦσαι καὶ μείζονας ἀπορίας οἱ τὸ τῶν δαιμόνων γένος ἐν μέσῳ θέντες θεῶν καὶ ἀνθρώπων καὶ τρόπον τινα τὴν κοινωνίαν ἡμῶν συνάγον εἰς ταὐτὸ καὶ συνάπτον ἐξευρόντες.

Recte B. illud *θέντες* inseruit, sed non absolvit emendationem:

ante *τήν* enim inserendum *τό* est: invenerunt *id quod* deos hominesque inter se coniungat.

415 B Ἡσίοδος δὲ καθαρῶς καὶ διωρισμένως πρῶτος ἐξέθηκε τῶν λογικῶν τέσσαρα γένη θεοὺς εἶτα δαίμονας (εἶθ' ἥρωας, τὸ δ' ἐπὶ πᾶσιν ἀνθρώπους, ἐξ ὧν ἔοικε ποιεῖν τὴν μεταβολήν, τοῦ μὲν χρυσοῦ γένους εἰς δαίμονας πολλοὺς κἀγαθοὺς τῶν δ' ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων).

Quae inclusi sic exstant apud Eusebium. In Plutarchi codicibus haec leguntur:

πολλοὺς κἀγαθούς, εἶθ' ἥρωας, εἶτ' ἀνθρώπους, τῶν ἡμιθέων εἰς ἥρωας ἀποκριθέντων

multo, ut opinor concinnius rectiusque; malim tamen hic quoque *πολλοὺς κἀγαθούς* ut plane supervacaneum delere.

415 C λέγει γὰρ (Hesiodus) ἐν τῷ τῆς Ναΐδος προσώπῳ καὶ τὸν χρόνον αἰνιττόμενος

ἐννέα τοι ζώει κτἑ.

Facessat hinc *καί*, quo locus perturbatur.

417 D „Caerimoniis diris, quae fiunt, non deos sed daemones placari opinor" Cleombrotus ait οὔτε μάτην ἀνέχονται βασιλεῖς καὶ στρατηγοὶ παῖδας ἑαυτῶν ἐπιδιδόντες καὶ καταρχόμενοι καὶ σφάττοντες

sed sic malorum geniorum avertunt iram.

Optime haec decurrunt et sunt planissima; corrupit editor ex Eusebio pro *ἀνέχονται* recipiens *ἂν ἐδέχοντο*.

417 F In eiusmodi rebus quales sunt *πλάναι, κρύψεις, λατρεῖαι* simm. non dii sed daemones versantur:

καὶ οὔτ' Αἰσχύλος εἶπεν·
ἁγνόν τ' Ἀπόλλω φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν.

Ain vero? *Non* dixit hoc Aeschylus? Cur ergo versum hunc citas, aut cur verum poetam retices? Dubiumne esse potest quin recte X. post nomen illud poetae *ὀρθῶς* inseruerit? Cur insaniae retineantur in textu cum vera dudum lectio inventa est?

418 C *ἀλλ' ἵνα μὴ τὸ Ἐμπεδόκλειον ποιεῖν δόξω*
κορυφὰς ἑτέρας ἑτέρῃσι
προσάπτων μύθων, μηδὲ λόγων ἀτραπὸν μίαν.

Sic legendum esse iam vidit W., postea docuit Emperius; quousque ergo nobis exhibebitur corrupta lectio *μήτε λέγειν*?

418 D Saepe cum ipsis daemonibus vis fatidica oracula relinquit:
εἶτα παρόντων αὐτῶν διὰ χρόνου πολλοῦ καθάπερ ὄργανα φθέγγεται τῶν χρωμένων ἐπιστάντων.

Quis semel admonitus (a Stegmanno) his adiici etiam *καὶ παρόντων* feret?

ib. Postquam sic multa de rebus arcanis disseruit Cleombrotus, Heracleo
„οὐδεὶς μέν" ἔφη „τῶν βεβήλων καὶ ἀμυήτων καὶ περὶ θεῶν δόξας ἀσυγκράτους [ἡμῖν] ἐχόντων πάρεστιν· αὐτοὶ δὲ παραφυλάττωμεν αὐτούς κτέ.

Vel locus arguit illud *ἡμῖν* delendum esse. Non enim cum *ἀσυγκράτους* iungi potest: *δόξαι ἀσύγκρατοι* sunt opiniones *inter se repugnantes.*

419 E *ὁ δὲ Δημήτριος ἔφη τῶν περὶ τὴν Βρεττανίαν νήσων εἶναι πολλὰς ἐρήμους σποράδας ... πλεῦσαι δ' αὐτὸς ἱστορίας καὶ θέας ἕνεκα ... εἰς τὴν ἔγγιστα κειμένην [τῶν ἐρήμων].*

Quis non videt eiicienda esse inclusa?

420 B Contra Epicureos et alia et haec disputat Cleombrotus:
εἰ δὲ χρὴ γελᾶν ἐν φιλοσοφίᾳ, τὰ εἴδωλα γελαστέον τὰ κωφὰ καὶ τυφλὰ καὶ ἄψυχα, ἃ ποιμαίνουσιν ἀπλέτους ἐτῶν περιόδους ἐπιφαινόμενα καὶ περινοστοῦντα πάντῃ.

Egregie haec sanat B. pro *ἀπλέτους* .,. *περιόδους* coniiciendo *ἐν ἀπλέτοις — περιόδοις.*

420 C Indignantur Epicurei si quis dicit
εἶναι δαίμονας οὐ φύσει μόνον ἀλλὰ καὶ λόγοις.

Recte quidem Stegmannus hic *λόγῳ* legit, sed nonne nunc *λόγῳ* et *φύσει* locum inter se mutare debent? Daemones illi

non solum oratione assumuntur, sed revera adsunt in rerum natura.

420 D *λεγόντων.* — *ὡς οὐ δυνατὸν εἶναι κτέ.*
Cum B. *ὡς* exemerim.

423 E *τὴν Φύσιν ὁρῶμεν τὰ καθ' ἕκαστα γένεσιν καὶ εἴδεσιν οἷον ἀγγείοις ἢ περικαρπίοις σπέρματος περιέχουσαν.*
Acute W. *ὥσπερ καρποὺς σπέρματι.* B. sibi solum *σπέρματος* suspectum esse annotat. Scire velim quomodo ergo istud *περικαρπίοις* accipiat. Etiam sequentia recte mihi W refinxisse videtur, cuius Animadversiones consulantur. B. nullam ibi Wyttenbachii rationem habuit.

423 F *εἰ γὰρ οὔτ' ἄνθρωπος εἷς οὐθ' ἵππος ἐν τῇ Φύσει γέγονεν ... τί κωλύει μηδὲ κόσμον ἕνα τὴν Φύσιν ἔχειν ἀλλ' ἢ πλείονας.*
Aut me fugit quid intersit inter *nisi* et *sed*, aut *ἀλλὰ* hic legendum est, non *ἀλλ' ἤ*.

425 E Rogant Stoici *πῶς εἱμαρμένη μία μένει καὶ πρόνοια, καὶ οὐ πολλοὶ Δίες καὶ Ζῆνες ἔσονται* si plures erunt mundi.
Vides necessarium esse hic cum B. *μενεῖ* legere.

425 F Eos sic refutat Lamprias (ipse Plutarchus): *τίς ἀνάγκη πολλοὺς εἶναι Δίας ἂν πλείονες ὦσι κόσμοι, καὶ μὴ καθ' ἕκαστον ἄρχοντα πρῶτον καὶ ἡγεμόνα τοῦ ὅλου θεόν.*
Parum accurate de Wyttenbachii hic emendationibus refert editor. Sunt enim hae:
καὶ μὴ ἕνα ἄρχοντα πάντων καὶ ἡγεμόνα τοῦ ὅλου θεὸν et
καὶ μὴ καθ' ἕνα τὸν ἄρχοντα πάντων καὶ ἡγεμόνα τοῦ ὅλου θεόν.
Quarum hanc non intellego, illa id ipsum praebet quod requiritur. „Nihil opus" annotat editor, tamquam si sibi res esset cum institore merces suas obtrudente. Ergone ei verba tradita *non* corrupta videntur?

426 A *οὐ γὰρ ἐνταῦθα μὲν ἓν συνίσταται σῶμα πολλάκις ἐκ διεστώτων σωμάτων ..., ἐν δὲ τῷ παντὶ δέκα κόσμους ἢ πεντήκοντ' ἢ ἑκατὸν ὄντας ἑνὶ χρῆσθαι λόγῳ καὶ πρὸς ἀρχὴν συντετάχθαι μίαν ἀδύνατόν ἐστι.*

Immemor fuit Demosthenei *οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ* editor, cum ante *ἐν δὲ τῷ παντί* semicolon ponebat pro virgula. Quod autem pro *ἓν συνίσταται* Duebnerus *ἔνι συνίστασθαι* commendavit, recipiendum non opinor: quod enim illa coniectura praebet multo elegantius ipso vocabulo *πολλάκις* significatur.

427 A (Dixit Plato) *ὡς εἰκός ἐστι πέντε σωμάτων ἰσογωνίων καὶ ἰσοπλεύρων καὶ περιεχομένων ἴσοις ἐπιπέδοις, ἐγγενομένων τῇ ὕλῃ, τοσούτους εὐθὺς ἐξ αὐτῶν ἀποτελεσθῆναι κόσμους.*

Intelligi haec non possunt si retinetur virgula ista post *ἐπιπέδοις*, ea deleta omnia fiunt luce clariora.

427 C *ἐξ ὧν τὸ δωδεκάεδρον.*

Iure W. praepositionem delet, sententia enim est: eorum (quae supra sunt enumerata) unum est dodecaedrum.

427 E *πανταχοῦ τὸ προϋφιστάμενον ἀεὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις εὐπόρως παρέχειν τὴν γένεσιν ἐκ τῆς μεταβολῆς.*

L. *εὔπορον* (sc. *ἐστι*): quod prius existit *facultatem habet* cetera procreandi.

431 C „Nihil aliud" Ammonius ait „daemon est quam anima *aëre induta*, ut cum Hesiodo loquar":

ἐμοὶ μὲν γάρ, ἣν ἄνθρωπος ἔχει διαφορὰν πρὸς ἄνθρωπον ὑποκρινόμενον τραγῳδίαν ἢ κωμῳδίαν, ταύτην ἔχειν δοκεῖ ψυχὴ πρὸς ψυχὴν ἐνεσκευασμένην σῶμα τῷ παρόντι βίῳ πρόσφορον.

Verba *ψυχὴ πρὸς* a Xylandro inserta sunt, sed optimo iure W. aut praeterea post *ψυχή* inserendum *γυμνή* censet, aut pro *ψυχή* legendum *δαίμων*. Sed sufficitne simplex illud *ἄνθρωπος*, an huic quoque substantivo adiectivum (velut *ἄλλος*) est addendum?

431 E Invitatus ab Ammonio aliisque ut nunc accurate proponat quae olim raptim et negligenter cum hospitibus Lebadeae disputavit, sic incipit Lamprias (Plutarchus):

καὶ μὴν ἀπὸ τύχης τινός, ὦ Ἀμμώνιε, τοῖς τότε λόγοις αὐτὸς ἀρχήν τινα καὶ πάροδον ἐνδέδωκας.

Haec sic W. vertit: „iis, quae tum disputata sunt, ipse tu

casu quodam exordium occasionemque hic referendi dedisti". Et certe illa requiritur sententia, sed possuntne ista *hic referendi* *ἐκ τῶν συμφραζομένων* intelligi, an e textu exciderunt?

432 B Hominis memoria quidni futura praecipiat?
καὶ γὰρ ἐπιβάλλεται καὶ προτίθεται πρὸς τὰ μέλλοντα καὶ παρῳχημένων καὶ τέλος ἐχόντων ἀπήλλακται πλὴν τοῦ μνημονεύειν.
Sanavit haec Stegmannus *πρός* delendo et *τῶν* ante *παρῳχημένων* inserendo.

432 D Quod Euripides vatis esse ait *bene coniicere*, id hominis est bene ratiocinantis:
τὸ δὲ μαντικὸν ὥσπερ γραμματεῖον ἄγραφον καὶ ἄλογον καὶ ἀόριστον ἐξ ἑαυτοῦ, δεκτικὸν δὲ φαντασιῶν πάθεσι καὶ προαισθήσεων, ἀσυλλογίστως ἅπτεται τοῦ μέλλοντος, ὅταν ἐκστῇ μάλιστα τοῦ παρόντος.
Vel locus indicio est istud *πάθεσι* esse removendum: in margine adscriptum fuit ad *ἐκστῇ* explicandum.

ib. Causa huius rei est corpus *τὸν ἐνθουσιασμόν* accipiens:
αὐτὸ μὲν οὖν ἐξ αὑτοῦ τὸ σῶμα τοιαύτην πολλάκις ἴσχει διάθεσιν
immo *οὐ πολλάκις* quemadmodum et ipsa rei natura monet et id quod continuo sequitur: „sed terra huiusmodi affectus submittit".

432 F *ἅμα δ' ἄν τις οὐκ ἀλόγως καὶ ξηρότητα φαίη μετὰ [τῆς] θερμότητος ἐγγιγνομένην λεπτύνειν τὸ πνεῦμα.*
Inclusus articulus melius aberit.

433 B *τῆς μὲν πορφύρας ὁ κύαμος τῆς δὲ κρόκου τὸ νίτρον δοκεῖ τὴν βαφὴν ἄγειν μεμιγμένον.*
Cur in textu retineatur sensu cassum istud *ἄγειν*, pro quo W. *αὔξειν* reponi iussit?
ib. *περὶ δὲ τοῦ Κύδνου καὶ τῆς ἱερᾶς τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν Ταρσῷ μαχαίρας, ὦ φίλε Δημήτριε, σοῦ λέγοντος ἠκούομεν ὡς οὐχ ὕδωρ ἄλλο μᾶλλον ἐκκαθαίρει σίδηρον ἐκείνου.*
Sana haec et elegans est editoris Graeci lectio, ceteri commixtam annotationibus praebent.

433 E Analogici aiunt eandem quae intercedat inter mentem et visum intercedere inter solem et Apollinem rationem:
ἔκγονον ἐκείνου καὶ τόκον ὄντος ἀεὶ γιγνόμενον ἀεὶ τοῦτον ἀποφαίνοντες.

Sanissima haec: „Apollo semper *est*, sol semper *nascitur*" cur corrumpit editor Graecus *ὄντως* legendo?

434 A *τῇ δ' ἐν Καρύστῳ πέτρᾳ χρόνος οὐ πολὺς ἀφ' οὗ πέπαυται μηρύματα λίθων μαλακὰ νηματιώδη συνεκφέρουσα.*

Parum curo utrum hic — id quod vult Stegmannus — inter duo ista adiectiva *καί* inseratur necne, sed desidero *dativum* aliquem a *σύν* in *συνεκφέρουσα* pendentem. Ecquid pro *λίθων* legendum *λίθοις*? Nam quaecunque *telae* sunt instar nihil cum *lapide* commune habent: quis unquam vidit *λίθων μηρύματα* eaque *μαλακά* vel videre potuit? Ex mea coniectura haec habebimus sanissima: „ante non ita longum tempus Carystia rupes simul cum lapidibus (marmore) proferebat aliquid subtili mollique telae simile".

434 C *ἐνταῦθά* (i. e. *hic*, Delphis) *φασι παραμένειν τ ὰ π ε ρ ὶ τ ὸ ν μ έ γ α ν σ ε ι σ μ ό ν.*

Insolite dicta ista hoc sensu: „vestigia magni motus", quemadmodum W. interpretatur. Recte tamen interpretari videtur.

434 D Praefectus Ciliciae in Mopsi oraculum *εἰσέπεμψεν ἀπελεύθερον οἷον εἰς πολεμίων κατάσκοπον ἐνσκευάσας, ἔχοντα κατεσφραγισμένην δέλτον, ἐν ᾗ τὸ ἐρώτημ' ἦν ἐγγεγραμμένον, οὐδενὸς εἰδότος.*

Hic quid sibi istud *ἐνσκευάσας* velit non video. Non enim, ut opinor, certus quidam est speculatorum vestitus.

Sequitur de responso ad obsignatam illam interrogationem reddito narratio quam Lampriae addit disputationi ab eo provocatus Demetrius. Tum sic pergitur (F.):
ὁ μὲν οὖν Δημήτριος ταῦτ' εἰπὼν ἐσιώπησεν· ἐγὼ δὲ βουλόμενος ὥσπερ τι κεφάλαιον ἐπιθεῖναι τῷ λόγῳ, πρὸς τὸν Φίλιππον αὖθις ἀπέβλεψα καὶ τὸν Ἀμμώνιον ὁμοῦ καθημένους. ἔ δ ο ξ α ν ο ὖ ν μ ο ι β ο ύ λ ε σ θ α ί τ ι δ ι α λ ε χ θ ῆ ν α ι κ α ὶ π ά λ ι ν ἐ π έ σ χ ο ν.

Ultima sic vertit W.: „videbanturque mihi velle aliquid di-

cere et rursum vocem *inhibere*". Perverse, si quid video. Sic enim narrat Lamprias: „in eo eram ut disputationi meae summam imponerem, cum ad Philippum et Antonium flexi oculos; quos cum viderem dicere aliquid velle, *ipse* vocem *inhibui*".

435 A „Primum" sic disputat Demetrius „pro diis daemones oraculorum fecimus, nunc denuo eos repellimus spiritum, vapores, exhalationes introducentes:

αἱ γὰρ εἰρημέναι κράσεις καὶ θερμότητες αὗται καὶ στομώσεις, ὅσῳ μᾶλλον ἀπάγουσι τὴν δόξαν ἀπὸ τῶν θεῶν . . .

in sequentibus nihil est quod ad istud *ὅσῳ* referatur. Legendum suspicor *ἔτι*, ut haec sit sententia: longius etiam quam vapores, qui tamen oculis cernuntur, a diis abducunt „abstracta" ista: temperies, calores, contractiones.

435 B *ἡμεῖς δὲ καὶ θύομεν καὶ προσευχόμεθα τί παθόντες ἐπὶ τοῖς χρηστηρίοις.*

Deleatur *ἐπί*, additum ab eo qui usum interiecti *τί παθών* ignoraret.

436 A Perspexit Plato *ὅτι τῇδε πῃ καὶ τὸ πᾶν αἰσθητὸν διακεκοσμημένον οὐ καθαρὸν δ' οὐδ' ἀμιγές ἐστιν.*

Particulis *καί* et *δέ* eiectis demum omnia bene procedunt, explicanturque additis: *ἀλλὰ τῆς ὕλης συμπλεκομένης τῷ λόγῳ λαμβάνει τὴν γένεσιν.*

436 B *καὶ μὴν τῶν γε μιμημάτων τούτων καὶ εἰδώλων ὁ ποιητὴς καὶ δημιουργὸς ἐπιγέγραπται·*

γράψε Πολύγνωτος, Θάσιος γένος, Ἀγλαοφῶντος
υἱὸς περθομέναν Ἰλίου ἀκρόπολιν

ὡς ὁρᾶται γράψας· ἄνευ δὲ φαρμάκων συντριβέντων καὶ συμφθαρέντων ἀλλήλοις οὐδὲν ἦν οἷόν τε τοιαύτην διάθεσιν λαβεῖν καὶ ὄψιν.

Criticorum nemo vidit absurdum esse istud *συμφθαρέντων*. Et tamen unde potest minus nasci quidquam quam e rebus quae una *perierunt*? Quantocius repone *συγκραθέντων*. Sed istud *ὡς ὁρᾶται γράψας* multum exercuit omnes. Equidem corruptam hanc esse puto annotationem: *ἃ ὁρᾶται γράψας*. Revera quae nunc oculis cernuntur Polygnotus pinxit, quae antea facta sunt nemo iam videt.

438 A Nisi adest iustum temperamentum spiritus et divinandi facultatis *ἀνάγκη . . . τὸν ἐνθουσιασμὸν μὴ γίγνεσθαι ἢ γίγνεσθαι παράφορον καὶ οὐκ ἀκέραιον καὶ πρακτικόν.*

Pro ultimo vocabulo Turnebus reposuit *ταρακτικόν*, quod vulgo recipitur. Sed hoc non *confusum*, quo hic opus foret, significat, verum *confundens*. Hic quoque *κρακτικόν* legendum suspicor, ut suspicatus sum *Quomodo adulator* p. 74 A. Falsus ille enthusiasmus non loquitur sed *clamat* et voce quidem aspera. Egregie illud illustratur sequenti narratione: quondam, cum non rite habebant omnia, descendit quidem, sed invita in suum oraculum Pythia, *εὐθὺς δὲ περὶ τὰς πρώτας ἀποκρίσεις ἦν καταφανὴς τῇ τραχύτητι τῆς φωνῆς οὐκ ἀναφέρουσα δίκην νεὼς ἐπειγομένης, ἀλάλου καὶ κακοῦ πνεύματος οὖσα πλήρης.*

Comparationem istam cum nave vix intelligo, sed verbis *οὐκ ἀναφέρουσα* hoc dici perspicuum est: „Pythia sui compos non erat, ad se redire non poterat". Reiskius ergo pro *ἀλάλου* scribens *ἀλλ' ἀλαοῦ* particulam nobis praebet hinc alienam: non enim *opponitur* nunc aliquid, sed *ratio redditur* cur ad se redire non potuerit Pythia. Corruptum tamen esse *ἀλάλου* mihi constat, pro quo prorsus contrarium *λάλου* reponendum censeo: malus iste genius non loquebatur sed verba fundebat sensu cassa.

AD PERSIUM (PROL. 7).

Annotat Leo: „*carmen nostrum*, mein Gedicht; die Meinung dass der sing. *affero* diese einzig mögliche Bedeutung verbiete, zeugt von geringer Belesenheit". Quo convicio quis petatur non curo, sed doceri cupio esse hominis sani haec inter se opponere: „alii *grandia* faciunt carmina, ego *meum* carmen affero". Omnia insunt in voce *semipaganus*, qua equidem hominem *semi-rusticum* designari puto. Tum omnia bene procedunt: „alii grandia faciunt carmina, ego semirusticus affero carmen *nostrum*" i. e. carmen quale rustici et semirustici facere solemus.

J. J. H.

VERGILIANA.

SCRIPSIT

P. J. ENK.

I.

De Aeneidos versibus I. 441 sqq.

Vergilii Aeneidem diversissime aestimari nota res est, et etiam longe absumus a tempore quo homines perspicient concedentque multos philologos praecedentis et etiam huius saeculi nimis severe atque inique de praestantissimo illo divinoque vate iudicasse; neque tamen difficile dictu, cur iudicium de poeta, qui olim Homero omnibusque poetis habebatur superior, nunc tantopere vacillet incertumque factum sit. Nostra aetas docuit quomodo poetae Latini sua carmina composuerint, ex quibus fontibus hauserint, quae fuerit eorum ars poetica; sed quamvis sit necessarium indagare, quomodo poema ortum sit, periculum est, ne nihil nisi artificia in componendo adhibita, solam *τέχνην*, solam *τοπικήν* videamus. Praeterea saepe numero fit, ut putemus nos omnia perfecisse, si, ex quo fonte aliquis locus petitus sit, sciamus.

Initio libri sexti Aeneidos Aeneas, antequam Phoebi sacerdos adest, cum comitibus suis templum magnificentissimum artisque operibus ornatum admiratur.

Utitur poeta hoc artificio, ut occasio sibi detur templi illius describendi; novimus autem poetas Graecos hoc narrandi artificio saepissime usos esse, nam inde ab Homero (Od. η 81) apud complures scriptores idem nobis occurrit; et suo iure observat

Nordenus qui in suo praestantissimo ad VI librum Aeneidos commentario (p. 121) et in libro, qui inscribitur „Einleitung in die Altertumswissenschaft" (I p. 450) aliquot exempla dat: „es ist mithin klar, dass wir es hier mit hellenistischer, auch in der νέα verwerteter Erzählungstechnik zu tun haben, die aus Od. η 81 ff. (Odysseus vor dem Palaste des Alkinoos) herausentwickelt worden war" (Einleit. p. 450).

Hoc sexti libri loco res ita procedunt: Aeneas ad inferos descensurus Achatam fidum sodalem praemisit qui iret ad Sibyllam, ut ei nuntiaret Aeneam advenire; ipse interea cum comitibus templum admiratur:

quin protinus omnia
perlegerent oculis, ni iam praemissus Achates
adforet atque una Phoebi Triviaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci, fatur quae talia regi:
„non hoc ista sibi tempus spectacula poscit".

Infeliciter hunc locum compositum esse equidem non dixerim; Nordeno qui in suo commentario adnotat: „in dem Momente, da Aeneas dem Sturm glücklich entronnen, und dem Ziel seiner Wünsche nahe ist, versinkt er, während seine Mannschaft in freudiger Erregung ist, in sinnende Betrachtung einer ihn nichts angehenden Darstellung und muss erst durch ein scheltendes Wort der Sibylle an seine Aufgabe erinnert werden (vs. 37). .... Das ist eine psychologische Unwarscheinlichkeit, die Vergil selbst gefühlt hat ... e. q. s.", responderim poetam, qui illud templum describere vellet, satis probasse nobis Aeneae, dum Sibyllam Achatamque opperiretur, otium fuisse ad artis monumentum aliquamdiu spectandum. Si vir clarissimus putat non necessarium fuisse talem ἔκφρασιν addere, plane ei assentior, vitiose additam non concedo. Quod Aeneas hic spectat res non ad se pertinentes, nihil ad rem; neque potuit facere poeta, quin in templo Cumano a Daedalo condito tales res depingeret, quales descripsit. De hoc tamen loco, quamquam non tam severe [1]) iudicare velim, fere idem sentio atque Nordenus. Alio autem loco, qui utique cum nostro comparandus est, poetam pro virili parte contra virum clarissimum defendere conabor.

1) Cf. R. Heinze, Vergil's Epische Technik, p. 318.

Eum locum volo, de quo Nordenus disputat in libro supra laudato, qui inscribitur „Einleitung in d. A." Hic locus in eorum numero habendus est, quos eo tantum consilio scriptos esse a poeta, ut aedificii aliquam descriptionem insereret operi suo, quia in quoque carmine epico tales *ἐκφράσεις* Veteres postularent, non recte dixeris.

Primo libro, vs. 441 sqq. Aeneas, qui Achata comitante urbem perambulat, venit ad lucum, in media parte urbis situm, ubi Dido novum condebat templum. Hoc quoque templum admiratur Aeneas, dum maximo cum gaudio haeret in tabulis historiam Troianam illustrantibus (vs. 465. 66):

animum pictura pascit inani
multa gemens, largoque humectat flumine voltum.

Iam Ursinus ad hos versus Aristotelem citavit, qui in libro de arte poetica (C. 16) haec habet: *ἡ τρίτη διὰ μνήμης τῷ αἰσθέσθαι τι ἰδόντα, ὥσπερ ἡ ἐν Κυπρίοις τοῖς Δικαιογένους· ἰδὼν γὰρ τὴν γραφὴν ἔκλαυσεν* et paulo post: *ὅθεν ἀνεγνωρίσθη*. Unusquisque videt Vergilium hoc quoque loco memorem esse artificii illius, de quo et supra locuti sumus et hic legimus. In Dicaeogenis „Cypriis" adhibitum est ut Teucer, vel quisquis erat de quo apud Aristotelem sermo est, agnosceretur; Vergilius tamen viam prorsus aliam ingressus est. Aeneas enim et Achates, nebula cincti, a nullo cernuntur, et tum demum, postquam Dido Ilionei verbis commota promisit se Troianos auxilium petentes adiuturam, rogavitque, ubi abesset ipse rex, nube scissa subito apparet (586). Hanc componendi rationem reprehendit Nordenus (Einl. p. 451) ita scribens: „das ist eine mit der Handlung gar nicht verknüpfte Episode ...", et infra: „also genau die gleiche Situation (loquitur vir cl. de loco Aristotelis) wie bei Vergil, aber bei diesem ist der Erzählung die Spitze abgebrochen: das Weinen muszte zu einer Erkennungsszene führen. ... Aber diesen Weg hatte Vergil sich verbaut, da er den Aeneas in eine Wolke gehüllt unsichtbar für die anderen sein liess (439); so kommt es zwischen ihm und Dido auf andere Weise zur Vorstellung (579) und *seine an sich ja ganz hübsche Episode ist für den Gang der Handlung zwecklos geworden*".

Hic ita dissentio a viro de Vergilio optime merito, ut poetae artem componendi magnopere admirer totamque hanc carminis

partem subtiliter esse excogitatam atque elaboratam putem.

Sed nequis mihi obiciat me plura ex poetae narratione haurire quam ipse voluerit Vergilius, nihil dicam nisi quod in ipsius verbis inesse quivis videt. Aeneas duro fato cogente ad Africam, terram sibi ignotam, adpulit. Dum „novos locos" exploraturus per silvam vagatur, ei obviam it mater, quae ei roganti narrat eum in Tyriorum fines advenisse, quorum reginam Dido esse, quaeque ea passa sit, antequam venerit Carthaginem; praeterea eum consolatur narrando socios reduces classemque revectam esse.

Sed nunc animum attende ad ea de quibus Aeneas a matre *non* certior fit: Dido ei propitiam fore eumque domi recepturam Venus non narrat. Haec postea Aeneas ipse experietur. Nimirum omnia ei narrare potuisset mater, sed tum ipse suum opus corrupisset poeta. Magna arte usus ita carmen composuit, ut sensim sibi persuadeat Aeneas se tuto Dido Tyriisque posse confidere. Ante omnia hoc statuendum est, Aeneam, postquam cum matre collocuta sit, prorsus non liberatum esse timore, cf. vs. 450:

> hoc *primum* in luco nova res oblata timorem
> leniit, hic *primum* Aeneas sperare salutem
> ausus et adflictis melius confidere rebus.

Fac autem totam aedis descriptionem quaeque cum ea cohaereant omissa esse. Tunc Aeneae *verbis* tantum Didus confidendum erat. Punica autem fides nimis nota erat, et ipsa Venus domum ambiguam Tyriosque bilinguis timet (vs. 661). Pius igitur Aeneas, quem semper comitum suorum saluti consulentem facit poeta, si Dido auxilium pollicenti sic temere confisus esset, nulla re doctus se tuto eius opibus hospitioque uti posse, non satis prudentem cautumque se praebuisset. Verba nihil valent, ex factis cognoscimus homines.

Sic locus non supervacuus, sed necessarius! Templi tabulae Aeneae ostendere possunt hic non homines barbaros colere, sed viros qui nihil humani a se alienum putent:

> sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.

Praeterea non inanis spes erat reginam, quae res a Troianis gestas tantopere admiraretur, ut eas in novae urbis templis depingendas curasset, Troianis esse fauturam:

solve metus: feret haec aliquam tibi fama salutem.

Sic nihil erat, cur heros Dido se comiter recipienti diffideret, reginamque admiratur, antequam vidit.

Quod autem ad verba „multa gemens largoque umectat flumine voltum" attinet, non nego haec ex fonte Graeco petita esse, sed nostro loco optime adhibentur. Facile enim intellegitur Aeneam post tot errores ad ignotam terram appulsum, subito memoria suae patriae surgente, lacrimas fudisse. Nihil in toto loco est quod non bene aut in se aut cum sequentibus cohaereat.

Si mater Aeneae praedixisset Didus domum ei confugio futuram, cum mera *ἐκφράσει* nobis res esset, pannumque aliquem late splendentem carmini adsuisset poeta; nunc statuendum est divinum vatem materiam veterem immortali sua arte in aurum mutavisse.

II.

De mensis paniceis (Aen. vii. 107 sqq.).

Unusquisque, qui suavissimum illum librum Boissierii cui titulus „Nouvelles Promenades Archéologiques" legit, meminit elegantissimae et prudentissimae commentationis de rustica fabula, quam Vergilius memoravit in septimo Aeneidos libro 107 sqq.

Aeneas primique duces et pulcher Iulus
corpora sub ramis deponunt arboris altae,
instituuntque dapes et adorea liba per herbam
subiciunt epulis (sic Iuppiter ipse monebat)
et Cereale solum pomis agrestibus augent.
consumptis hic forte aliis, ut vertere morsus
exiguam in Cererem penuria adegit edendi
et violare manu malisque audacibus orbem
fatalis crusti patulis nec parcere quadris:
„heus! etiam *mensas* consumimus", inquit Iulus.

Gratias agere debemus Vergilio maximas quod antiquam hanc fabulam, in ore populi sine dubio traditam, receperit in Aeneidem suam, quodque eam non, ut Heynius olim, nimis a maiestate

epica alienam duxerit. Nam praebet carmini colorem Italicum; et tota fabula est vere Romana.

Sed iam Romani quaesiverunt quae esset eius origo, quam ob rem Servius nonnulla ad explicandum adnotat: ad vs. 736 primi libri *in mensam laticum libavit honorem* haec habet: „more sacrorum, et tangit ritum Romanorum qui paniceas sacratasque mensas habebant in quas libabant, ut est: *heus etiam mensas consumimus, iuquit Iulus*".

Ad III. 257 *ambesas subigat malis absumere mensas* adnotat: „maiores enim nostri has mensas habebant in honore deorum: paniceas scilicet".

Has Servii explicationes non multum lucis praebere quivis videt; nam quid paniceae illa mensae ad vs. 736?

Altera adnotatio non minus obscura est; neque enim quicquam novi nos docet, nisi quod ex ipsius Vergilii versibus 107 sq. septimi libri deducere possumus. Nisi omnia me fallunt, ne Servius quidem in suis fontibus multa de antiquissima nostra fabula reperire potuit. Utrum haec adorea liba alio nomine vulgo „mensae" nominabantur, an hoc tantum loco sic appellantur, quia mensarum instar sunt? Sed evolvamus primum alios scriptores hanc fabulam tractantes.

Lycophron primus omnium fabulam commemorat (Alexandra, vs. 1250):

ἔνθα τράπεζαν εἰδάτων πλήρη κιχών,
τὴν ὕστερον βρωθεῖσαν ἐξ ὀπαόνων,
μνήμην παλαιῶν λήψεται θεσπισμάτων.

Dionysius Halicarnassensis qui I. 55 rem ita narrat:

ἔπειτα ἄριστον αἱρουμένοις αὐτοῖς ἐπὶ τοῦ δαπέδου σέλινα μὲν πολλοῖς ὑπέστρωτο καὶ ἦν ταῦτα ὥ σ π ε ρ τ ρ ά π ε ζ α τ ῶ ν ἐ δ ε σ μ ά τ ω ν. ὡς δέ φασί τινες, ἴτρια καρποῦ πεποιημένα πυρίνου, καθαρότητος ταῖς τροφαῖς ἕνεκα. ἐπεὶ δὲ αἱ παρατεθεῖσαι τροφαὶ κατανάλωντο καὶ τῶν ὑπεστρωμένων αὐτοῖς σελίνων εἴτε ἰτρίων ἔφαγέ τις, καὶ αὖθις ἕτερος, τοῦτο τυγχάνει τίς εἰπὼν εἴτε τῶν Αἰνείου παίδων, ὡς λόγος ἔχει, εἴτε τῶν ὁμοσκήνων. 'Αλλ' ἡμῖν γε ἤδη καὶ ἡ τράπεζα κατεδήδοται κ.τ.λ. nihil scire videtur de libis quae *mensae* appellabantur, ut vocabula ὥσπερ τράπεζα τῶν ἐδεσμάτων ostendunt. Neque Strabo quicquam de tali explicatione compertum habebat, cf. librum 13. 608 ἔνθεν (sc. Aeneam) δ' εἰς

τὴν Λατίνην ἐλθόντα μεῖναι κατά τι λόγιον τὸ κελεῦον μένειν, ὅπου ἂν τὴν τράπεζαν καταφάγῃ· συμβῆναι δὲ τῆς Λατίνης περὶ τὸ Λαουίνιον τοῦτο, ἄ ρ τ ο υ μ ε γ ά λ ο υ τ ε θ έ ν τ ο ς ἀ ν τ ὶ τ ρ α π έ ζ η ς κατ' ἀπορίαν καὶ ἅμα ἀναλωθέντος τοῖς ἐπ' αὐτῷ κρέασιν.

Origo gentis Romanae 10: „inde ad Italiam oram .... pervectum cum patre Anchise, filioque et ceteris suorum, navibus egressum, in litore accubuisse, consumptoque quod fuerat cibi, crustam etiam de *farreis mensis*, quas sacratas secum habebat, comedisse".

Donatus ad Aen. III. 257: „mensas dicit quae ex frumento confectae diis Penatibus consecrantur".

Videamus nunc, quid hodierni philologi de fabulae origine sentiant. Boissierius (l.l. p. 271) haec habet: „*il est vraisemblable* que certains rites du culte des Pénates lui avaient donné naissance. Il était d'usage d'offrir à ces petits dieux les prémices du repas et on les leur présentait sur des tranches de pain qu'on appelait *mensae paniceae*". Haec explicatio nititur Servii adnotatione et Donati verbis „mensas dicit quae ex frumento confectae diis Penatibus consecrantur".

In lexico Roscheri sub voce „Aeneae" legimus (p. 177): „Die Sage bezieht sich auf den Brauch der *mensae paniceae* die bei jeder Mahlzeit den Penaten dargebracht werden" (E. Wörner).

Boissierius igitur putat „mensas" ita appellari quia mensae vice fungantur; Roscheri autem lexicon hic nihil novi dat.

In libro de Mythologia Romana, quem scripsit Preller (editio tertia, quam curavit Iordan), cui titulus „Römische Mythologie", p. 324 legimus: „diese Brottische ⟨sind⟩ die natürlichen Symbole des latinischen und römischen Penatendienstes, in dem sie gewöhnlich als Unterlage der beim täglichen Mahle darzubringenden Speisen dienten".

Vides philologos hodiernos pendere a Servii adnotationibus; quomodo fabula orta sit, non audimus.

Nemo tamen eorum, quos citavi, comparavit tabulas Iguvinas, VI a. 56, ad quem locum explicandum iam Buechelerus (Umbrica, p. 60) Vergilii versus attulit: *Tases persnimu seuom. Surur purdouito, proseseto naratu, prosesetir m e f a spefa, ficla arsueito, aruio fetu,* quae Buckius ita vertit:

„Tacitus precator totum, item porricito, prosecta narrato,

prosectis libum sparsum (melius „sponsum", „spefa" cum v. cl. Conway puto part. perf. pass. esse verbi *spendo (σπένδω) = spondeo) offam addito, frumenta facito".

Hic locus docet vocabulum Umbrum *mefa*, Lat. *mensa* „libum" significare. Cohaeret vox cum *menso- (metior), sed quae antiquissima vocabuli potestas fuerit, non ita facile dictu. Vir cl. Conway (Glossary to the Italic Dial." p. 633) explicat: „measured", „the thing made in a fixed shape". Vir cl. Meringer (Indogerm. Forsch. XVIII, p. 211) vertit: „das Zugeteilte, Zugemessene", censetque (Wiener Sitzungsber. CXLIV, p. 81) mensam olim ciborum tabulam [1]) fuisse, supplendum autem esse „mensa ⟨esca⟩", „mensa ⟨caro⟩"; vir cl. Brugmann (Indog. Anz. XIV. 47) fieri posse ratus ut Meringeri coniectura vera sit, „mensa" substantivum „abstractum" esse defendit, comparatque „impensa". Cui si adstipulamur, statuendum est „mensam" olim duplicem potestatem habuisse: I = tabula cibis onusta; deinde: τράπεζα. II = libum, quia tabulae ciborum simile erat.

Romanos autem postea vera etymologia latebat, et sic orta est opinio haec adorea liba vel mensas paniceas sustentacula fuisse dapibus diis sacratis. Nullus tamen locorum quos v. d. Kindermann congessit in sua dissertatione, cui titulus „De fabulis in Aen. tr." p. 116, 117, Servii explicationem, quam Schwegler (R. G. p. 324) Preller (l.l.) alii secuti sunt, confirmat, ut Kindermannus recte statuit.

Accedit quod sive v. cl. Conway, sive v. cl. Meringer sequimur, utraque etymologia docet Servii adnotationem ex nihilo fictam. „Mensa" igitur olim et mensam et libum significavit. Quod si ad Vergilii locum explicandum adhibemus, sententia fabulae nobis perspicua fit: nititur enim duplici vel ambigua potestate vocis „mensa"; cum parvus Iulus exclamat: „etiam mensas consumimus", nihil aliud dicit nisi „consumimus liba".

Restat alia quaestio, fabula in Italia nata sit, an ex Graecia

---

1) Eius verba sunt: „die Lateinischen Redensarten *mensam ponere, auferre, tollere, movere* lassen weiter vermuthen dass auch auf altitalischem Boden wie auf germanischem der Tisch zuerst das Speisebrett (wenn man wil „Teller, Schüssel) des Einzelnen war, dass dann dieses Speisebrett vergrössert für den Gebrauch mehrerer auf ein Gestell gesetzt wurde, zuerst ohne feste Verbindung, und dass der feste bleibende Tisch das letzte Stadium dieser Entwicklung ist".

ad Romanos pervenerit. V. d. Kindermann („de Aeneassage en de Aeneis", p. 62 sqq.) confert Athenaeum, IV. 149, qui describit festum in honorem Apollinis, Dionysii, Vestae celebratum: *ἑκάστῳ*, inquit Athenaeus, *παρατίθεται ἄρτος καθαρὸς εἰς πλάτος πεποιημένος, ἐφ' ᾧ ἐπίκειται ἄρτος ἕτερος, ὃν κριβανίτην καλοῦσι καὶ κρέας ὕειον καὶ λεκάριον πτισάνης ἢ λαχάνου κ.τ.λ.* credit autem Kindermann Lycophronem Troianis migrantibus Vestae caerimonias attribuisse (De fabulis in Aen. tr. p. 123); Alexandriam igitur patriam fabulae fuisse, etsi ipsi Vergilio iam domestica visa sit.

Mihi tamen fabula Italica inventio esse videtur: „mensam (= libum) comedere" tam ambigue dictum est, ut facile intellegere possimus inde fabulam ortam esse. Cum enim mos „mensas" diis vovendi proque cibo edendi Italicus esset, Aeneas dicebatur in terram venisse, ubi ei „mensae" consumendae essent, sc. in Italiam.

De Lycophronis loco vs. 1226—1280 idem sentio atque v. d. Christ (Geschichte der Griech. Lit. p. 560): „die dort erzählte Sage von der Wanderung des Aeneas ⟨konnte⟩ auch in Griechenland damals durch den Historiker Timaios bekannt sein", cf. Holzingeri editionem p. 337, adn. ad vs. 1226, eiusque verba p. 40: „man kan ferner die Möglichkeit nicht in Abrede stellen, dass Lykophron persönlich Unteritalien kannte, ebensowenig darf man es in Abrede stellen, dass gerade in Chalkis mündliche Tradition über italische Locale und Sagen zu gewinnen war".

Timaeum autem hanc fabulam ab Italiae incolis audivisse verisimillimum est, cf. Kothe (Fleckeis. Jahrb. 139 [1889] p. 358) „es ist nicht anzunehmen, dass er (Timaeus) die aus Homeros Υ 302 herausgesponnene Tradition beeinflusst habe, sondern es steht fest und ist allseitig als richtig erkannt, dass er der bereits ausgebildeten Volksansicht folgt die er auf seinen Reisen in Rom selbst kennen zu lernen gelegenheit gehabt hatte".

Se de antiquitatibus Romanis multa *παρὰ τῶν ἐπιχωρίων* didicisse ipse Timaeus narravit in opere suo, cf. Dion. Halic. I. 67, et Joh. Geffcken, Timaios' Geographie des Westens, p. 45.

Qui autem hac in re me sequi nolunt, sed credere malunt, fabulam de mensis consumptis in Graecia natam esse, iis hoc

concedendum erit Romanos fabulam quae ex Graecia venerit, sic mutasse, ut non panem vel placentam epulis subiectam esse narrarent, sed „mensam", duplici vocabuli potestate lepide usi.

Servii adnotationem viros doctos ad pravam opinionem perduxisse recte perspexit Kindermann (De fabulis in Aen. tr. p. 116); quod autem idem v. d. Kindermann contendit (l.l. p. 116) adoreis libis, quae „mensas" Iulus vocat, cum Penatibus nihil commune fuisse, non ab omni parte verum est. Nam ad fabulam, qualis a Vergilio tradita est, explicandam non necessarium quidem est ea liba diis sacra fuisse, sed et ex Donati verbis et ex libro de Origine Populi Romani videmus fabulam ita narratam esse, ut liba illa sacrata haberentur; et in tabulis quoque Iguvinis „mefa" diis consecratur. Tanta fames olim fuit Troianis ut Aeneas cum suis sociis „mensas" i. e. adorea liba diis sacra consumere cogeretur: haec est fabulae explicatio.

Quanti momenti fuerit Penates suam habere cenae partem, nos docet vir cl. Wissowa (Roscher, sub voce „Penatium" p. 1884) „die wichtigste an die Penaten gerichtete häusliche Kulthandlung ⟨ist⟩ die regelmässige Darbringung eines Anteils von der täglichen Mahlzeit, der ihnen als den Schützern der Speisevorräte zukommt, denen man est verdankt dass der Tisch mit Speisen besetzt ist". Sacrificant autem Penatibus „farre pio" (Verg. Aen. V. 745; eo quidem loco de Lare et Vesta sermo est, sed fere idem de omnibus diis domum tuentibus valet, eorumque nomina saepius confunduntur). Nostro quoque loco adorea i. e. farrea liba per herbam epulis subiciuntur. Sic explicatur, cur apud Donatum de Penatibus sermo sit.

Quae si feliciter disputata sunt, apparet Servii explicationem liba ita nominata esse quod in mensis paniceis libarent homines ex nihilo fictam esse, fortasse ex male intellecto versu Naevii (Baehr. fragm. poet. Rom. 3 p. 43):

sacra in mensa penatium ordine ponuntur;

deinde perspicuum est liba non „mensa" appellata esse quia epulis subicerentur; sed veram etymologiam Romanos postea latuisse, totiusque fabulae hoc esse consilium, ut tradatur *αἰτία*, cur liba antiquitus „mensae" appellata sint.

VARIA.

SCRIPSIT

ALPHONSUS KURFESS.

(*Continuantur ex pag.* 152).

V.

TIBULLIANA.

Tibulli aliorumque carminum libri tres. Recognovit brevique adnotatione critica instruxit Iohannes Percival Postgate. Oxonii 1905.

a) c. I, 3, 4.

vs. 3 sq.: *me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris:*
abstineas avidas Mors modo nigra manus
abstineas, Morsatra, precor.

vs. 4 corruptum esse arbitratur Postgate. hoc assentiri nequeo. Tibullus maeret sibi morbo coacto sine amico remanendum esse; sed hoc ferri posse (hanc fere sententiam suppleo), dummodo mors nigra avidas manus abstineat. ut sententiae vim augeat, apostrophae figura utitur eamque repetit, sed pro 'nigra' propter metrum, ut manifestum est, scribit 'atra' et addit 'precor'. quod particula 'modo' in versu, qui antecedit, inter 'mors' et 'nigra' ponitur, in eo non offendo ratus poëtam verbis, quae a similibus incipiunt (*m*ors *m*odo *n*igra *m*a*n*us), et litteris o (m*o*rs m*o*d*o*) mortis terrorem bene imitari.

b) c. III, 14, 6 (= IV, 9, 6).

Iam, nimium Messalla mei studiose, quiescas
neu tempestivae saepe propinqne viae.

coniecturas virorum doctorum veluti 'saeve propinque' R. Ungeri et 'parce propinque' Frankenii ne verisimile quidem quicquam habere concedes. itaque Postgate crucem adposuit. sed fortasse verba intellegi possunt, dum cum Cuiaciano, qui haud semel verum praebeat, et editione Plantiniana 'non' pro 'neu' legeris. 'propinque' idem fere esse puto ac Graecam vocem *ἐγγὺς εἶναί τινος* (cf. Plat. rep. I, 5 p. 330 *d*: *ἐπειδάν τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ οἴεσθαι τελευτήσειν*): *πολλάκις ἐγγὺς ὢν τοῦ ἄκαιρον ὁδὸν ὁδεύειν* i. e. *qui saepe in eo es, ut iter intempestivum mihique molestum suscipias.*

c) c. III, 15, 2 (= IV, 9, 2).

Natali Romae iam licet esse tuo,

sic codices antiqui, libri deteriores praebent coniecturam 'suo'. 'tuo' ferri non potest. nam non de Cerinthi, ad quem epistula haec missa est, sed de Sulpiciae die natali agi ex carmine, quod antecedit, comperimus. lego *'tuae'* i. e. puellae, amicae. 'licet' haud facile dativo carere posse arbitror, sed pronomen possessivum superfluum est.

Distichon, quod sequitur, graviter corruptum esse Postgate putat. quae Baehrens et Housman coniecerunt, a similitudine veri aliena sunt. omnia intellegi posse mihi videntur, si amicus Cerinthi, non Sulpiciae loquitur. hic optime dicit: 'Nos omnes amici tui diem illum festum celebrabimus, qui tibi nunc Sulpicia Romae versante praeter exspectationem venit'. 'nec opinanti' et 'forte' bene et cum vi iuxta ponuntur, ut exprimatur, quam subito iter Sulpiciae molestum sublatum sit; neque quisquam Housmanni coniecturam 'sorte' probabit.

VI.

AD SALL. CATIL. XXXVII, 5.

Ibi legimus: '*primum omnium qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant, item alii, qui per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ei Romam sicut in sentinam confluxerant*'. — plerique editores 'qui' post 'alii' deleverunt; Eussner post 'dedecora' inseruit '*alebantur*'. fortasse hic locus leni coniectura '*aliqui*' (i. e. nonnulli) pro '*alii qui*' sanatur.

VI.

AD AUSONIUM.

Decimi Magni Ausonii Burdigalensis opuscula. rec. R. Peiper. Lipsiae 1886. p. 116, 8.

Ausonii carminibus, quae in Bissulae, Suebae virgunculae, gratiam fecit, praemittitur epistula ad Paulum amicissimum missa, cui semel atque iterum flagitanti libellum illum donabat. ibi legimus: '*poematia, quae in alumnam meam luseram rudia et incohata ad domesticae solacium cantilenae, cum sine metu et arcana securitate fruerentur, proferre ad lucem caligantia coëgisti*'. — '*et*' ante 'arcana' delevit Scaliger; verbum velut '*laterent*' excidisse putat Rudolphus Peiper, contra equidem arbitror voci 'sine metu' corruptelam inesse. Ausonium '*semota* (i. e. secreta) *et arcana securitate*' scripsisse puto, correctura haud ita difficilis mihi videtur esse reputanti 'sine' compendio scriptum esse posse. sed nullum habeo locum, qui conferatur, nisi Tac. dial. 2, 9: '*ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem*'.

AD HERODOTI L. I C. 11.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

Iure mirari solemus omnes, cum in loco aliquo notissimo absurdum deprehendimus vitium, per multa id saecula omnes latere potuisse mortales. Sed nunquam mihi id magis usu venit quam cum nuper narratiunculam de Gyge et Candaule relegerem, qua nihil in literis Graecis notius videtur. Innumeri eam lectitarunt homines in eorumque numero permulti viri acutissimi, sed quam turpi dehonestaretur macula vidit nemo, ne Herwerdeno quidem quidquam hic suboluit. Est autem narratio, qua prae ceteris omnibus semper delectati sunt homines, et profecto nusquam magis quam hic ars narrandi, qua „historiae pater" adeo inclaruit, splendet nitetque. Quam lepida hic sunt omnia et venusta, quamque hominibus, qui tamquam in scenam introducuntur, apta et accommodata! Sed nihil praestantius quam reginae Lydiae ad deprensum Gygen verba. Iam ea sicut ab ipso sunt scripta historico citabo, tum vix quisquam, praeter eum qui forte traditum textum memoria tenet, corrumpi ea potuisse credet: tam sunt perspicua tamque egregie omnia praebent quibus legenti opus est. Vocato ergo Gyge, quem in suo cubiculo ab ipso marito absconditum deprehendit, sic eum regina alloquitur:

νῦν τοι δυοῖν ὁδοῖν παρεουσέων, Γύγη, δίδωμι αἵρεσιν, ὁκοτέρην βούλεαι τραπέσθαι· ἢ γὰρ Κανδαύλεα ἀποκτείνας ἐμέ τε καὶ τὴν βασιληΐην ἔχε τὴν Λυδῶν, ἢ αὐτόν σε αὐτίκα οὕτω ἀποθνήσκειν

δεῖ, ὡς ἂν μὴ πάντα πειθόμενος Κανδαύλῃ τοῦ λοιποῦ ἴδῃς τὰ μή σε δεῖ. ἀλλ' ἤτοι ἐκεῖνόν γε τὸν ταῦτα βουλεύσαντα δεῖ ἀπόλλυσθαι ἢ σὲ τὸν ποιήσαντα οὐ νομιζόμενα.

Et postquam frustra reluctatus Gyges se ad dominum occidendum paratum declaravit, hanc ei viam et hunc ordinem perpetrandi monstrat facinoris:

ἐκ τοῦ αὐτοῦ μὲν χωρίου ἡ ὁρμή, ὑπνωμένῳ δὲ ἡ ἐπιχείρησις ἔσται.

Quantopere haec omnia veram decent reginam! Quantam acceperit contumeliam penitus sentit et sentire se tam clare significat ut nos quoque, sera posteritas, eam conspiciamus ardentibus oculis et fronte contracta servo minitantem exitium. Sed quid acciderit pronuntiare non potest, ipsam rem turpem suo appellare nomine vetat eam et indignatio et pudor muliebris: *τὸν ταῦτα βουλεύσαντα*, ait, et *ποιήσαντα οὐ νομιζόμενα*. Toto vero eam corpore contremiscere cum istud *ἐκ τοῦ αὐτοῦ χωρίου* non loquitur sed susurrat, atque adeo serpentis irritati instar sibilat, quis lector adeo est inhumanus quin intelligat?

Sed quid Herodoto sua ars profuit? Adfuerunt malo nati omine praedones qui non demendo sed addendo pretiosissima hac eum spoliarent gemma itaque absconderent ut nusquam appareret. In margine adscripserunt ad alterum locum insulsi scioli *τὸν ἐμὲ γυμνὴν θηησάμενον* ad alterum *ὅθενπερ καὶ ἐκεῖνος ἐμὲ ἐπεδέξατο γυμνήν*, quae particula *καί* et altero *ἔσται* praemisso agglutinata effecerunt ut nihilo urbanior venustiorque hic evaderet Herodotus quam quivis de vulgo nugatorum. Et quamquam iam sat mali est quod tota scriptoris urbanitas pessum datur, sic simul perit venustissima periodos: *ἐκ τοῦ αὐτοῦ μὲν χωρίου ἡ ὁρμή, ὑπνωμένῳ δὲ ἡ ἐπιχείρησις ἔσται.*

Sibi habeant ista qui hac aetate propter nescio quos inanes metus a *conservandi* ratione unicam exspectant salutem, ego et fortasse pauci mecum, quibus nondum sordet Cobetorum Bentleiorumque memoria, istas e nostris Herodoti exemplaribus sordes removebimus.

DE
REPETITIONIS
GENERE QUODAM.

SCRIPSIT

ALB^s. POUTSMA.

Recte factum arbitror quod nuper in Musei Rhenani vol. LXVII (= 1912) p. 554 vir doctissimus Bannier monuit, ne quem locum propterea quod offendamur verbis brevi spatio iteratis, corruptum putemus. Sed exempla huius repetitionis, quae plurima sane attulit, cum ex solis fere inscriptionibus petiverit, quarum sermoni forma ea accommodatior fuerit, operae pretium facturus mihi visus sum, si pauculis locis quos ille apud scriptores invenerat, adderem quae copia mihi *hoc non agenti* succreverat, postquam nonnulla de hoc genere collegi in Quaestionum mearum Aeschinearum p. 77. Neque a proposito deterreri me sinebam eo quod in ultimo de epimetris quibus auxit dissertationes suas de Aristarchi studiis Homeriis, scripsit Lehrs: libro de hoc argumento opus esse examinatis litterarum et graecarum et latinarum omnibus omnium aetatum generibus. Quod recte postulatum esse non nego; sed, quoniam ad tantum negotium sustinendum otium certe mihi deest, etiamsi vires forsitan sufficiant, longe minorem hanc meam operam non tamen fore inutilem spes est, cum considero nonnumquam quidem de hac re esse disputatum, interdum etiam ex singulis scriptoribus exempla allata, sed tamen, quod olim factum est, id etiam hodie fieri: ut loci in suspicionem vocentur atque mutentur,

quia displicet quaedam vocabuli eiusdem iteratio. Veluti quod in Eur. Phoen. 697/9 [1]):

ἦ πόλλ' ἐπῆλθον εἰσιδεῖν χρῄζων σ', ἄναξ
Ἐτεόκλεες, πέριξ δὲ Καδμείων πύλας
φυλακάς τ' ἐπῆλθον σὸν δέμας θηρώμενος,

Creon bis dixit ἐπῆλθον, haec sola fuit causa cur et alii hunc locum vitiosum arbitrarentur et Valckenaer et (in Serti Naberici p. 321) Polak. Quorum tamen uterque fatetur non abhorrere talia ab sermone Euripideo. Quod ad Aeschylum quoque pertinere cum recte statuisset Hermann — quin universe modo scripsit Aeschylum eiusdem vocabuli repetitionem amare, Sophoclem et Euripidem non evitare, modo tragicos, immo Graecos poetas saepissime verba in eodem loco iterare [2]) — non satis id tenuit Karsten in Commentario in Agam. p. 168 ima, Keck vero aut ignorasse aut negasse dixeris collatis eius Commentarii in eandem fabulam pp. 321 summa, 332 ima, 350 media, 351 summa.

Quod autem scripsi quandam iterationem displicere: vix opus est dicere non semper id genus reprehendi, sed saepe vacare offensione, necessarium esse, quaeri a scriptoribus, a Musis dictari. Qua de re et alii egerunt et quisquis misit libros rhetor. ad Herennium, in 4. 19/21, et vero utilissima quaedam monuit Wordsworth in Nota de carmine quod inscripsit The Thorn (pp. 899/900 ed. Oxon.). Sed talia a meo consilio sunt aliena et iis tantum uti exemplis constitui a quibus, cum legantur apud probatos scriptores, curam tamen et studium repetendi et afflatum divinum et necessitatem abesse existimarem. Itaque neglegam illud πόνος πόνῳ πόνον φέρει et Hecubae illa

ἄπιστ' ἄπιστα, καινὰ καινὰ δέρκομαι,
ἕτερα δ' ἀφ' ἑτέρων κακὰ κακῶν κυρεῖ,

et Ciceronis: „Aspicite, aspicite, iudices, squalorem sordesque

---

1) Numeri versuum tragicorum et comicorum sunt eruntque Dindorfii in Poet. Scaen. Graec. ed. V.

2) In ann. de Eur. Hec. 601/2, Aesch. Ag. 593, Eur. Herc. 1288. Multo etiam longius progressus von Wilamowitz scripsit (Eur. Her. Comm. vs. 329): „überhaupt ist die furcht vor der wiederholung eine ganz moderne stilistische empfindung". Rectius, opinor, Norden in Comm. in Verg. Ae. l. VI p. 238: „so empfindlich wie wir ist aber überhaupt kein antiker Dichter gewesen".

sociorum" et quae sunt his similia. Neglegam etiam ea de quibus Weil, cum Aesch. Eum. 686/702 defendit contra Dindorf, scripsit saepissime apud poetas tragicos ea quae lyrice prolata erant iterum trimetris exponi idque nonnumquam fieri verbis non ita dissimilibus. Nec curabo tales locos qualis est Xen. An. 1. 10. 3 extr.: *καὶ ταύτην ἔσωσαν καὶ τἆλλα ὁπόσα ἐντὸς αὐτῶν καὶ χρήματα καὶ ἄνθρωποι ἐγένοντο, πάντα ἔσωσαν* — de quo genere digna est quae consulatur nota in Xenophons Hellenika erklärt von L. Breitenbach, Erster Band² Einl. pp. 47/8 — nec qualis legitur in Plat. Crit. 53 E: *τί ποιῶν ἢ εὐωχούμενος ἐν Θετταλίᾳ! ὥσπερ ἐπὶ δεῖπνον ἀποδεδημηκὼς ἐν Θετταλίᾳ!* — hac enim distinctione haec verba Socratis irridentis satis ab interpolationis crimine vindicavisse mihi videor neque opus esse puto locis quos contulit Schanz — nec qualem praebet Horatius in S. 1. 4. 140/3:

> cui si concedere nolis,
> multa poetarum veniet manus, auxilio quae
> sit mihi; nam multo plures sumus ac veluti te
> Iudaei cogemus in hanc concedere turbam,

ubi traductio est similis atque in Cic. Verr. 5. 108: „Apponitur iis tamen accusator Naevius Turpio quidam ..., homo bene appositus ad istius audaciam" [1]). Denique omittam monstra insuperabilia, quale videmus apud Livium in 3. 55. 14: „tribunus plebis plebem rogavit plebesque scivit: qui plebem sine tribunis reliquisset ..., tergo ac capite puniretur".

Talibus igitur et reliquis rhetoricis maxime exemplis nemini non probatis aut, etiamsi improbentur, tamen extra controversiam

---

1) Idem verbum his locis cum varia significatione recurrere neque Horatium neque Ciceronem fefellisse arbitror et utrique placuisse. Diversa autem sunt illa exempla, qualia in hac disputatione complura afferam, hic unum memorabo Eur. Herc. 327/9:

> *κἀγώ σ᾽ ἱκνοῦμαι χάριτι προσθεῖναι χάριν,*
> *ἡμῖν ἵν᾽ ἀμφοῖν εἷς ὑπουργήσῃς διπλᾶ·*
> *κόσμον πάρες μοι παισὶ προσθεῖναι νεκρῶν.*

Nam, sive intellexit Euripides idem verbum redire, sive — quod opinatur von Wilamowitz l.l. — non sensit propter ipsam significationem mutatam, lumen orationis et ornamentum repetitionem ei visam esse non credo, etiamsi fortasse non moleste tulit, ut nos, ut ego certe; qui quidem hic vix minus offendor quam cum lego (in De Gids, 1913. 2. p. 436 ima): „waardoor het *komt*, dat men priestercolleges tegen*komt* met dierentitels".

positis, omnibus exceptis iam venio ad ea quae ad rem pertinent. Haec autem ad rem pertinere dico, quod in interpretando, recitando, vertendo meum ea sensum offendere repperi. Quod non ita accipi volo, quasi aliter me in hac re atque plerosque sentire credam; immo, plerumque, quod mihi displiceat, id etiam reliquos moleste ferre confido. Sed tamen interdum dissensionem esse intellexi. Veluti in loco qui mihi integerrimus videtur, Eur. Med. 723/6:

οὕτω δ' ἔχει μοι· σοῦ μὲν ἐλθούσης χθόνα
πειράσομαί σου προξενεῖν δίκαιος ὤν·
τοσόνδε μέντοι σοι προσημαίνω, γύναι,
ἐκ τῆσδε μὲν γῆς οὔ σ' ἄγειν βουλήσομαι,

quod „quater in quatuor continuis versibus repetitur pronomen", id „invenuste admodum" factum arbitratus Porson *πειράσομαι 'γώ* legendum censuit; ad Eur. Hec. 601/2 vero:

τοῦτο δ' ἤν τις εὖ μάθῃ,
οἶδεν τό γ' αἰσχρόν, κανόνι τοῦ καλοῦ μαθών,

annotavit haec: „Quamquam scio Euripidem paullo esse negligentiorem in iisdem vocibus repetendis, hic tamen scripsisse eum puto *μετρῶν*" — cum ego non tantum non offendar, sed ultro, si forte deesset ultimus pes, supplendum ducerem *μαθών*, adeo omnem alterius membri sententiae vim positam esse opinor in *τοῦ καλοῦ*, cui in altero opponitur *τὸ αἰσχρόν*; quemadmodum, ut similia exempla duo addam, me iudice omni offensione caret et locus ex Phoenissis supra allatus et Hom. Z 290/2:

τὰς (mulieres Sidonias) *αὐτὸς 'Αλέξανδρος θεοειδὴς*
ἤ γ α γ ε Σιδονίηθεν ἐπιπλοὺς εὐρέα πόντον
τὴν ὁδόν, ἣν 'Ελένην περ ἀνή γ α γ ε ν ηὐπάτειραν.

Atque is Porson ita iudicavit, qui in nota de Med. 156 monuit „repetitiones verborum non esse nisi gravissimis de causis tollendas"! Deinde ex duodecim locis in I et II libris Metam. Ovidii, quibus Heinsium repetitionem ingratam notasse vidi (monitus a Naeke, Carm. Val. Catonis p. 279), vix tres sunt ubi ei consentio.

Sed tandem veniendum ad vera exempla. Agmen ducent Graeca, sequentur Latina. Indicabo tantum neque exscribam eos locos ubi *particulam* aliquam vidi post breve intervallum redeuntem. Veluti

ἀλλά quater deinceps legitur in Xen. Mem. 1. 2. 2/5 (non enim Gilbert mihi persuasit verba ἀλλ' οὐ μὴν ... διαίτῃ esse insiticia);

ἄρα, sive integrum sive minutum, ter in Hom. ρ 61/4, quater in ρ 462/6, quinquies in β 413/7, sexies in Φ 409/15;

γάρ ter ac quater [1]) in Hom. B 12/4 (± = 66/8), K 57/61, 421/4, β 169/71; Callini 1. 18/21; Aesch. Ch. 753/5; Eur. Hel. 477/81; Ar. Eccl. 3/7; Plat. Phaedon. 88 C extr./D in.; Aesch. Tim. 166/7, quibus si 168 in. additum erit, quinquies adeo γάρ occurret spatio haud ita magno;

ἐπεί bis in Hom. ρ 451/2;

μέντοι ter in Xen. Cyr. 5. 5. 11;

μήν „ „ „ Mem. 1. 2. 4/5;

τοίνυν „ „ „ Cyr. 6. 1. 38/40;

ὡς „ „ Aesch. Ch. 987/90, p. 404, quem locum infra exscripsi, et Soph. Ol. R. 54/6;

ἐπί quater „ Hdt. 1. 205 extr.;

κατά ter „ „ 9. 89 med., ter in eodem capite extremo (καταλιπών .... κατακοπέντας κατ' ὁδόν);

ὑπό „ „ Eur. Bacch. 755/9 in extremis versiculis. Manebit offensio, etiamsi locus lacunosus sit.

Reliqua autem exempla sunt haec.

Hom. E 356/8: ἠέρι δ' ἔγχος ἐκέκλιτο καὶ ταχέ' ἵππω.
ἡ δὲ γνὺξ ἐριποῦσα κασιγνήτοιο Φίλοιο
πολλὰ λισσομένη χρυσάμπυκας ᾔτεεν ἵππους.

Nam quod sequitur

Φίλε κασίγνητε, κόμισαί τέ με δός τέ μοι ἵππους:

est hoc unum de exemplis in quibus sedes fortasse eadem eiusdem vocabuli in binis continuis versibus extremis positi recte vituperetur, ipsa vero repetitio non item. Quod etiam valet in Φ 340/2, ubi Iuno a Vulcano petit:

---

1) Bis γάρ frequenter legi intra breve spatium monerem tantum nullo allato exemplo, nisi Porson in annotatione de Eur. Med. 139/40 scripsisset eam particulam „apud comicos saepissime, apud tragicos multo rarius" paucorum versuum intervallo redire. Nunc autem utile duxi locis quos dedit Porson, addere hos: Aesch. Pe. 167/9, Su. 713/4, Ag. 832/4 — nam in 559/60 et 759/61 alterum γάρ dubitatur an non sit genuinum — Ch. 374/5, 1021/3, Eum. 280/2; Soph. Oe. R. 317/8, 1117; Eur. Alc. 179/80, 473/4, Heraclid. 384/5, 522/3, Herc. 272/4, 1395/6, Ion. 1271/3, 1314/5, El. 941/2.

μηδὲ πρὶν ἀπόπαυε τεὸν μένος, ἀλλ' ὅτε κεν δὴ
φθέγξομ' ἐγὼ ϝιάχουσα, τότε σχέμεν' ἀκάματον πῦρ,

deinde poeta pergit narrare:

ὣς ἔφατ', Ἥφαιστος δὲ 'τιτύσκετο θεσπιδαὲς πῦρ,

et in Ψ 375/7:

αἳ Φηρητιάδαο ποδώκεες ἔκφερον ἵπποι·
τὰς δὲ μετ' ἐξέφερον Διομήδεος ἄρσενες ἵπποι,

et in Ψ 836/9: ὦρτο δ' ἔπειτα μενεπτόλεμος Πολυποίτης,
ἂν δὲ Λεοντῆος κράτερον μένος ἀντίθεοιο,
ἂν δ' Αἴας Τελαμωνιάδης καὶ δῖος Ἐπειός.
ἑξείης δ' ἵσταντο, σόλον δ' ἕλε δῖος Ἐπειός.

Nullam autem omnino offensionem esse arbitror in
M 373/4: εὖτε Μενεσθῆος μεγαθύμου πύργον ἵκοντο
τείχεος ἐντὸς ἐόντες — ἐπειγομένοισι δ' ἵκοντο —.

Sed displicent ceteri loci similes [1]) quos indicavit Dingeldein in Der Reim bei den Griechen und Römern, p. 25:

Δ 250/1: ὣς ὅ γε κοιρανέων ἐπεπωλέετο στίχας ἀνδρῶν·
ἦλθε δ' ἐπὶ Κρήτεσσι κιὼν ἀνὰ ϝουλαμὸν ἀνδρῶν.

Θ 432/3: ὣς ἄρα φωνήσασα πάλιν 'τράπε μώνυχας ἵππους·
τῇσιν δ' Ὧραι μὲν 'λῦσαν καλλίτριχας ἵππους.

K 116/7 (Nestor Menelaum vituperat apud Agamemnonem):
ὡς εὕδει, σοὶ δ' οἴῳ ἐπέτρεψεν πονέεσθαι.
νῦν ὄφελεν κατὰ πάντας ἀριστῆας πονέεσθαι

473/4: παρὰ δέ σφι ϝεκάστῳ δίζυγες ἵπποι·
Ῥῆσος δ' ἐν μέσῳ ηὗδε, παρ' αὐτῷ δ' ὠκέες ἵπποι (ἐδέδεντο).

M 430/2: πάντῃ δὴ πύργοι καὶ ἐπάλξιες αἵματι φωτῶν
ἐρράδατ' ἀμφοτέρωθεν ἀπὸ Τρώων καὶ Ἀχαιῶν.
ἀλλ' οὐδ' ὣς ἐδύναντο φόβον ποιῆσαι Ἀχαιῶν.

Π 230/1: νίψατο δ' αὐτὸς χεῖρας, ἀφύσσατο δ' αἴθοπα ϝοῖνον·
ηὔχετ' ἔπειτ' ἀνστὰς μέσῳ ἕρκεϊ, 'λεῖβε δὲ ϝοῖνον.

Σ 221/3: ὣς τοτ' ἀριζήλη φωνὴ γένετ' Αἰακίδαο·
οἳ δ' ὡς οὖν ἄιον ϝόπα χάλκεον Αἰακίδαο
πᾶσιν ὀρίνθη θυμός, κ.τ.λ.

Φ 41/2: ἄταρ υἱὸς Ἰήσονος ὦνον ἔδωκε·
κεῖθεν δὲ ξεῖνός μιν ἐλύσατο, πολλὰ δ' ἔδωκε.

γ 127/9: οὔτε ποτ' ἐν ἀγορῇ δίχ' ἐβάζομεν οὔτ' ἐνὶ βουλῇ,

---

1) Τ 272/3 et Χ 199/200 ut incerta exempla omisi.

ἀλλ' ἕνα θυμὸν ἔχοντε νόῳ καὶ ἐπίφρονι β ο υ λ ῇ
Φραζόμεθ' Ἀργείοισιν, κ.τ.λ.

ι 248/9: ἥμισυ δ' αὖτ' ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ ε ἴ η
πινέμεν' αἰνυμένῳ καί οἱ ποτιδόρπιον ε ἴ η.

κ 44/5: ἀλλ' ἄγε θᾶσσον ἰδώμεθα ὅττι τάδ' ἐ σ τ ί,
ὅσσος τις χρυσός τε καὶ ἄργυρος ἀσκῷ ἔ ν ε σ τ ι.

Praeterea parum placent

Ξ 206/10 (Loquitur Iuno, quae itinere ad Oceanum et Tethyn simulato φιλότητα καὶ ἵμερον petit a Venere):

ἤδη γὰρ δηρὸν χρόνον ἀλλήλων ἀπέχονται
εὐνῆς καὶ φ ι λ ό τ η τ ο ς, ἐπεὶ χόλος ἔμπεσε θυμῷ.
εἰ κεῖνω γ' ἐπέεσσι παραιπεπιθοῦσα φ ί λ ο ν κῆρ
εἰς εὐνὴν ἀνέσαιμι ὁμωθῆναι φ ι λ ό τ η τ ι,
αἰεί κέ σφι φ ί λ η τε καὶ αἰδοίη καλεοίμην.

(Quibus adde 211: τὴν δ' αὖτε προσέειπε φ ι λ ο μ μ ε ι δ ὴ ς Ἀφροδίτη·).

Ψ 373/5: ἀλλ' ὅτε δὴ πύματον τέλεον δ ρ ό μ ο ν ὠκέες ἵ π π ο ι
ἂψ ἐφ' ἁλὸς πολιῆς, τότε δὴ ἀρετή γε ἑκάστου
φαίνετ', ἄφαρ δ' ἵ π π ο ι σ ι τάθη δ ρ ό μ ο ς·

ρ 284/9: τολμήεις μοι θυμός, ἐπεὶ κ α κ ὰ π ο λ λ ὰ πέπονθα
κύμασι καὶ πολέμῳ· μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω.
γαστέρα δ' οὔ πως ἔστιν ἀποκρύψαι μεμαυῖαν
οὐλομένην, ἣ π ο λ λ ὰ κ ά κ' ἀνθρώποισι δίδωσι,
τῶν ἕνεκεν καὶ νῆες ἐύζυγοι ὁπλίζονται
πόντον ἐπ' ἀτρύγετον κ α κ ὰ δυσμενέεσσι φέρουσαι.

φ 362/3: πῇ δὴ καμπύλα τόξα φέρεις, ἀμέγαρτε συβῶτα,
πλαγκτέ; τ ά χ' αὖ σ' ἐφ' ὕεσσι κύνες τ α χ έ ε ς κατέδονται.

Aesch. Pe. 454/7: ὡς γὰρ θεὸς
ν α ῶ ν ἔδωκε κῦδος Ἕλλησιν μάχης,
αὐθημερὸν φάρξαντες εὐχάλκοις δέμας
ὅπλοισι ν α ῶ ν ἐξέθρῳσκον.

Agam. 302/10:

λίμνην δ' ὑπὲρ Γοργῶπιν ἔ σ κ η ψ ε ν φάος
. . . .
εἶτ' ἔ σ κ η ψ ε ν, ἔς τ' ἀφίκετο
Ἀραχναῖον αἶπος, ἀστυγείτονας σκοπάς·
κἄπειτ' Ἀτρειδῶν ἐς τόδε σ κ ή π τ ε ι στέγος.

958/72:

ἔστιν θάλασσα, τίς δέ νιν κατασβέσει;

μηδὲ πρὶν ἀπόπαυε τεὸν μένος, ἀλλ' ὅτε κεν δὴ
φθέγξομ' ἐγὼ ϝιϝάχουσα, τότε σχέμεν' ἀκάματον πῦρ,
deinde poeta pergit narrare:
ὡς ἔφατ', Ἥφαιστος δὲ 'τιτύσκετο θεσπιδαὲς πῦρ,
et in Ψ 375/7:
αἳ Φηρητιάδαο ποδώκεες ἔκφερον ἵπποι·
τὰς δὲ μετ' ἐξέφερον Διομήδεος ἄρσενες ἵπποι,
et in Ψ 836/9: ὦρτο δ' ἔπειτα μενεπτόλεμος Πολυποίτης,
ἂν δὲ Λεοντῆος κράτερον μένος ἀντίθεοιο,
ἂν δ' Αἴας Τελαμωνιάδης καὶ δῖος Ἐπειός.
ἑξείης δ' ἵσταντο, σόλον δ' ἕλε δῖος Ἐπειός.
Nullam autem omnino offensionem esse arbitror in
M 373/4: εὖτε Μενεσθῆος μεγαθύμου πύργον ἵκοντο
τείχεος ἐντὸς ἐόντες — ἐπειγομένοισι δ' ἵκοντο —.
Sed displicent ceteri loci similes [1]) quos indicavit Dingeldein in Der Reim bei den Griechen und Römern, p. 25:
Δ 250/1: ὣς ὅ γε κοιρανέων ἐπεπωλέετο στίχας ἀνδρῶν·
ἦλθε δ' ἐπὶ Κρήτεσσι κιὼν ἀνὰ ϝουλαμὸν ἀνδρῶν.
Θ 432/3: ὣς ἄρα φωνήσασα πάλιν 'τράπε μώνυχας ἵππους·
τῇσιν δ' Ὧραι μὲν 'λῦσαν καλλίτριχας ἵππους.
K 116/7 (Nestor Menelaum vituperat apud Agamemnonem):
ὡς εὕδει, σοὶ δ' οἴῳ ἐπέτρεψεν πονέεσθαι.
νῦν ὄφελεν κατὰ πάντας ἀριστῆας πονέεσθαι
473/4: παρὰ δέ σφι ϝεκάστῳ δίζυγες ἵπποι·
Ῥῆσος δ' ἐν μέσῳ ηὗδε, παρ' αὐτῷ δ' ὠκέες ἵπποι (ἐδέδεντο).
M 430/2: πάντῃ δὴ πύργοι καὶ ἐπάλξιες αἵματι φωτῶν
ἐρράδατ' ἀμφοτέρωθεν ἀπὸ Τρώων καὶ Ἀχαιῶν.
ἀλλ' οὐδ' ὣς ἐδύναντο φόβον ποιῆσαι Ἀχαιῶν.
Π 230/1: νίψατο δ' αὐτὸς χεῖρας, ἀφύσσατο δ' αἴθοπα ϝοῖνον·
ηὔχετ' ἔπειτ' ἀνστὰς μέσῳ ἕρκεϊ, 'λεῖβε δὲ ϝοῖνον.
Σ 221/3: ὡς τοτ' ἀριζήλη φωνὴ γένετ' Αἰακίδαο·
οἳ δ' ὡς οὖν ἄιον ϝόπα χάλκεον Αἰακίδαο
πᾶσιν ὀρίνθη θυμός, κ.τ.λ.
Φ 41/2: ἄταρ υἱὸς Ἰήσονος ὦνον ἔδωκε·
κεῖθεν δὲ ξεῖνός μιν ἐλύσατο, πολλὰ δ' ἔδωκε.
γ 127/9: οὔτε ποτ' ἐν ἀγορῇ δίχ' ἐβάζομεν οὔτ' ἐνὶ βουλῇ,

---

1) Τ 272/3 et Χ 199/200 ut incerta exempla omisi.

ἀλλ' ἕνα θυμὸν ἔχοντε νόῳ καὶ ἐπίφρονι βουλῇ
φραζόμεθ' Ἀργείοισιν, κ.τ.λ.

ι 248/9: ἥμισυ δ' αὖτ' ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη
πινέμεν' αἰνυμένῳ καί οἱ ποτιδόρπιον εἴη.

κ 44/5: ἀλλ' ἄγε θᾶσσον ἰδώμεθα ὅττι τάδ' ἐστί,
ὅσσος τις χρυσός τε καὶ ἄργυρος ἀσκῷ ἔνεστι.

Praeterea parum placent

Ξ 206/10 (Loquitur Iuno, quae itinere ad Oceanum et Tethyn simulato φιλότητα καὶ ἵμερον petit a Venere):

ἤδη γὰρ δηρὸν χρόνον ἀλλήλων ἀπέχονται
εὐνῆς καὶ φιλότητος, ἐπεὶ χόλος ἔμπεσε θυμῷ.
εἰ κείνω γε ἐπέεσσι παραιπεπιθοῦσα φίλον κῆρ
εἰς εὐνὴν ἀνέσαιμι ὁμωθῆναι φιλότητι,
αἰεί κέ σφι φίλη τε καὶ αἰδοίη καλεοίμην.

(Quibus adde 211: τὴν δ' αὖτε προσέειπε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη·).

Ψ 373/5: ἀλλ' ὅτε δὴ πύματον τέλεον δρόμον ὠκέες ἵπποι
ἂψ ἐφ' ἁλὸς πολιῆς, τότε δὴ ἀρετή γε ἑκάστου
φαίνετ', ἄφαρ δ' ἵπποισι τάθη δρόμος·

ρ 284/9: τολμήεις μοι θυμός, ἐπεὶ κακὰ πολλὰ πέπονθα
κύμασι καὶ πολέμῳ· μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω.
γαστέρα δ' οὔ πως ἔστιν ἀποκρύψαι μεμαυῖαν
οὐλομένην, ἣ πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι δίδωσι,
τῶν ἕνεκεν καὶ νῆες ἐΰζυγοι ὁπλίζονται
πόντον ἐπ' ἀτρύγετον κακὰ δυσμενέεσσι φέρουσαι.

φ 362/3: πῇ δὴ καμπύλα τόξα φέρεις, ἀμέγαρτε συβῶτα,
πλαγκτέ; τάχ' αὖ σ' ἐφ' ὕεσσι κύνες ταχέες κατέδονται.

Aesch. Pe. 454/7: ὡς γὰρ θεὸς
ναῶν ἔδωκε κῦδος Ἕλλησιν μάχης,
αὐθημερὸν φάρξαντες εὐχάλκοις δέμας
ὅπλοισι ναῶν ἐξέθρῳσκον.

Agam. 302/10:

λίμνην δ' ὑπὲρ Γοργῶπιν ἔσκηψεν φάος

. . . .

εἶτ' ἔσκηψεν, ἔς τ' ἀφίκετο
Ἀραχναῖον αἶπος, ἀστυγείτονας σκοπάς·
κἄπειτ' Ἀτρειδῶν ἐς τόδε σκήπτει στέγος.

958/72:

ἔστιν θάλασσα, τίς δέ νιν κατασβέσει;

τρέφουσα πολλῆς πορφύρας ἰσάργυρον
κηκῖδα παγκαίνιστον, εἱμάτων βαφάς.
οἴκοις δ' ὑπάρχει τῶνδε σὺν θεοῖς, ἄναξ,
ἔχειν· πένεσθαι δ' οὐκ ἐπίσταται δόμος.
πολλῶν πατησμὸν δ' εἱμάτων ἂν ηὐξάμην
δόμοισι προυνεχθέντος ἐν χρηστηρίοις,
ψυχῆς κόμιστρα τῆσδε μηχανωμένῃ.
ῥίζης γὰρ οὔσης φυλλὰς ἵκετ', ἐς δόμους
σκιὰν ὑπερτείνασα σειρίου κυνός·
καὶ σοῦ μολόντος δωματῖτιν ἑστίαν,
θάλπος μὲν ἐν χειμῶνι σημαίνεις μολόν.
ὅταν δὲ τεύχῃ Ζεύς ἀπ' ὄμφακος πικρᾶς
οἶνον, τότ' ἤδη ψῦχος ἐν δόμοις πέλει,
ἀνδρὸς τελείου δῶμ' ἐπιστρωφωμένου [1]).

Ch. 710/4 (Clytaemestra unum ex ministris compellat):
ἀλλ' ἔσθ' ὁ καιρὸς ἡμερεύοντας ξένους
μακρᾶς κελεύθου τυγχάνειν τὰ πρόσφορα.
ἄγ' οὗτος εἰς ἀνδρῶνας εὐξένους δόμων
ὀπισθόπους τε τούσδε καὶ ξυνέμπορος,
κἀκεῖ κυρούντων σώμασιν τὰ πρόσφορα [2]).

987/90 (Orestes Solem precatur ut aspiciat *τὸ μηχάνημα, δεσμὸν ἀθλίῳ πατρί*):
ὡς ἂν παρῇ μοι μάρτυς ἐν δίκῃ ποτέ,
ὡς τόνδ' ἐγὼ μετῆλθον ἐνδίκως μόρον
τὸν μητρός· Αἰγίσθου γὰρ οὐ λέγω μόρον·
ἔχει γὰρ αἰσχυντῆρος, ὡς νόμος, δίκην.

1033/7 (Orestes: Tacebo, inquit, poenam quam mihi Apollo minatus est, nisi matrem occidissem):
τόξῳ γὰρ οὔτις πημάτων ἐφίξεται [3]),
(deinde sic pergit)
καὶ νῦν ὁρᾶτέ μ' ὡς παρεσκευασμένος
ξὺν τῷδε θάλλῳ καὶ στέφει προσίξομαι
μεσόμφαλον θ' ἵδρυμα κ.τ.λ.

---

1) Secundum Karsten „illud *ἐς δόμους* ingratum hic erat ob crebram eiusdem vocabuli repetitionem", quam Keck putavit „beweisend für die Unechtheit von *δόμοισι*", nec tulit *εἱμάτων* bis usurpatum in 960 et 963.

2) vss. 712/3 dedi secundum editionem quam curavit v. Wilamowitz a° 1896.

3) Sic Schütz et alii edd. cum schol.; M.: *προσίξεται.*

Eum. 465/7 (similiter Orestes matris caedem defendit):

καὶ τῶνδε κοινῇ Λοξίας ἐπαίτιος
ἄλγη προφωνῶν ἀντίκεντρα καρδίᾳ,
εἰ μή τι τῶνδ' ἔρξαιμι τοὺς ἐπαιτίους.

Eur. Or. 935/8 (Hic alia defensione usus Orestes apud Argivos mortem ei minantes propter reginam occisam, illis non minus quam patri matrem se interfecisse dicit):

εἰ γὰρ ἀρσένων φόνος
ἔσται γυναιξὶν ὅσιος, οὐ φθάνοιτ' ἔτ' ἂν
θνήσκοντες, ἢ γυναιξὶ δουλεύειν χρεών·
τοὐναντίον δὲ δράσετ' ἢ δρᾶσαι χρεών.

Recte etiam in loco suspecto monuit Schaefer talia expendere oportere, „quorum aures delicatae respuant verborum in brevi intervallo repetitiones". Scilicet, „tam frequentes" eàs esse alibi scripsit, „ut qui omnes tollere velit, satis materiae, in qua nullo cum fructu fatigetur, habiturus sit". Sed quod contulit

Or. 1128/9: Or. *καὶ τόν γε μὴ σιγῶντ' ἀποκτείνειν χρεών.*
Pyl. *εἶτ' αὐτὸ δηλοῖ τοὔργον οἷ τείνειν χρεών:*

eo hīc locus differt a priore, quod est in altercatione, in qua etsi raro repetitur idem vocabulum — quantum et ipse animadverti et apparet ex locis quos indicavit Dingeldein l.l. pp. 56/8 — tamen adeo in deliciis fuit *τὸ ὁμοιοτέλευτον*, quod etiam hic auditur in *ἀποκτείνειν‿τείνειν*, ut dubitem hunc quoque locum afferre in numero eorum a quibus studium vel gaudium repetendi afuisse videtur.

Or. 943/4: *ἀλλ' οὐκ ἐπειθ' ὅμιλον εὖ δοκῶν λέγειν,*
νικᾷ δ' ἐκεῖνος ὁ κακὸς ἐν πλήθει λέγων.

(De Phoen. 697/9 v. supra in pp. 398 et 400, de Herc. 327/9 supra in p. 399. 1).

Ion. 1/3: *Ἄτλας, ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανὸν*
θεῶν παλαιὸν οἶκον ἐκτρίβων, θεῶν
μιᾶς ἔφυσε Μαῖαν;

si locus sanus est; quod quidem multi dubitant annon sit.

Hel. 478/9 (anus Menelaum regem adire cupientem admonet):

ἀλλ' ἕρπ' ἀπ' οἴκων· ἔστι γάρ τις ἐν δόμοις
τύχη, τύραννος ᾗ ταράσσεται δόμος.

Hic et vanHerwerden et alii nomen iteratum tam aegre tulisse

videntur, ut hanc unam ob causam ille *ἐν δόμοις* haberet pro interpretatione adverbii *ἐνθάδε*, alii aliud tentarent.

Thuc. 6. 7: *Λακεδαιμόνιοι δὲ τοῦ αὐτοῦ χειμῶνος καὶ οἱ ξύμμαχοι .... τῆς τε γῆς ἔτεμον οὐ πολλὴν καὶ σῖτον ἀνεκομίσαντό τινα ζεύγη κομίσαντες.* Aliquid vitii latere suspicatus est Stahl (in altera editione Popponiana); Steup vero recusavit ne ad nostrum elegantiae sensum hunc locum mutare conaretur.

Xen. An. 1. 3. 1: *οἱ γὰρ στρατιῶται οὐκ ἔφασαν ἰέναι τοῦ πρόσω· ὑπώπτευον γὰρ ἤδη ἐπὶ βασιλέα ἰέναι, μισθωθῆναι δὲ οὐκ ἐπὶ τούτῳ ἔφασαν. πρῶτος δὲ Κλέαρχος τοὺς αὑτοῦ στρατιώτας ἐβιάζετο ἰέναι· οἱ δ' αὐτόν τε ἔβαλλον καὶ τὰ ὑποζύγια τὰ ἐκείνου, ἐπεὶ ἄρξαιντο προϊέναι.*

7. 16/7: *ταύτην δὲ τὴν τάφρον βασιλεὺς ποιεῖ μέγας ἀντὶ ἐρύματος, ἐπειδὴ πυνθάνεται Κῦρον προσελαύνοντα. ταύτην δὴ τὴν πάροδον* [1]) *Κῦρός τε καὶ ἡ στρατιὰ παρῆλθε καὶ ἐγένοντο εἴσω τῆς τάφρου. ταύτῃ μὲν οὖν τῇ ἡμέρᾳ οὐκ ἐμαχέσατο βασιλεύς, κ.τ.λ.*

18: *ἐνταῦθα Κῦρος Σίλανον καλέσας .... ἔδωκεν αὐτῷ δαρεικοὺς τρισχιλίους, ὅτι τῇ ἑνδεκάτῃ ἀπ' ἐκείνης ἡμέρᾳ πρότερον θυόμενος εἶπεν αὐτῷ ὅτι βασιλεὺς οὐ μαχεῖται δέκα ἡμερῶν, Κῦρος δ' εἶπεν· Οὐκ ἄρα ἔτι μαχεῖται, εἰ ἐν ταύταις οὐ μαχεῖται ταῖς ἡμέραις· ἐὰν δ' ἀληθεύσῃς, ὑπισχνοῦμαί σοι δέκα τάλαντα. τοῦτο τὸ χρυσίον τότε ἀπέδωκεν, ἐπεὶ παρῆλθον αἱ δέκα ἡμέραι.*

2. 3. 2.: *οἱ δ' ἐπεὶ ἦλθον πρὸς τοὺς προφύλακας, ἐζήτουν τοὺς ἄρχοντας· ἐπειδὴ δὲ ἀπήγγελλον οἱ προφύλακες, Κλέαρχος τυχὼν τότε τὰς τάξεις ἐπισκοπῶν εἶπεν τοῖς προφύλαξι κελεύειν τοὺς κήρυκας περιμένειν κ.τ.λ.*

3. 2. 36: *ἴσως οὖν ἀσφαλέστερον ἡμῖν προϊέναι πλαίσιον ποιησαμένους τῶν ὅπλων, ἵνα τὰ σκευοφόρα ... ἐν ἀσφαλεστέρῳ εἴη.*

Inst. Cyri 2. 3. 1: *τῇ δ' ὑστεραίᾳ ὁ Κῦρος συνέλεξε πάντας τοὺς στρατιώτας καὶ ἔλεξε τοιάδε.*

6. 1. 36 extr.: *καὶ σοὶ δὲ τούτου τοῦ πράγ-*

1) Ad offensionem de qua nunc agimus, nihil fere interest, utrum codicem Parisinum sequamur an Hartman, qui coniecit, quod edidit Gemoll (a° 1899): *ταύτῃ δὴ Κῦρος τε κ.τ.λ.*

ματος ἐγὼ αἴτιός εἰμι· ἐγὼ γάρ σε συγκαθεῖρξα τούτῳ τῷ ἀμάχῳ πράγματι.

8. 3. 25 in.: *καλοῦ ὄντος τοῦ χωρίου ἔδειξε τέρμα ὡς ἐπὶ πέντε σταδίων χωρίου.*

Plat. Euthyd. 303 D: *ἐγὼ γὰρ εὖ οἶδα ὅτι τούτους τοὺς λόγους πάνυ μὲν ἂν ὀλίγοι ἀγαπῷεν ἄνθρωποι ὅμοιοι ὑμῖν, οἱ δ' ἄλλοι οὕτω νοοῦσιν* [1]) *αὐτούς, ὥστ' εὖ οἶδα ὅτι αἰσχυνθεῖεν ἂν μᾶλλον κ.τ.λ.*

Transeo ad exempla Latina. Excipiam etiam ex his et praemittam nonnulla quae propter particulam non sine offensione mea brevi intervallo iteratam mihi visa sunt memoranda. Veluti

atque sexies legitur in Cic. Cat. 3. 14/5;
autem quater „ „ Verr. II. 5. 87;
(de)inde bis „ Liv. 1. 32. 7, ter in 2. 40. 9/10;
itaque „ „ Caes. B. G. 3. 10 med./11 in., Cic. Cat. 3. 4 med./5 in., ter in Verr. II. 2. 89 med./90;
nam „ „ Cic. Man. 15;
ne ... quidem „ „ Liv. 9. 3. 3/4;
tametsi „ „ Cic. Verr. II. 5. 158 in.;
ut quinquies „ „ Cat. 3. 4 parte priore;
velut bis „ Liv. 5. 42. 8.

Pauca haec esse concedo. Sed, quod iam supra statui: propono quae mihi notaveram *hoc non agenti*, additis vel memoratis nonnullis quae postea vidi ab aliis animadversa. Hinc factum ut ex tam multis scriptoribus nullum omnino locum afferrem [2]); hinc etiam orta varietas quae est in numeris locorum quos apud quemque scriptorem ego adhuc inveneram; quae varietas ne quem forte fallat, aperte dico nihil satis tuto inde effici posse de vera frequentia. Sed haec cum ingenue fatear, illud non dubito affirmare — quod neminem paulo diligentius legentem facile fugere scriberem, nisi legissem quae statuit Schmalz in sua Lateinische Grammatik[4] p. 680 ima [3]) —: apud Caesarem utique

1) An recte Naber suspicatus est Platonem scripsisse *μισοῦσιν*? Ceterum accedat hic locus iis quos Schanz in ann. de Crit. 53 E contulisse supra monui.

2) Tacitea exempla videre licet in nota de A. 1. 81 ed. Weidm..

3) Verba sunt haec: „Umgekehrt müssen wir es als eine Nachlässigkeit bezeichnen, wenn in geringem Zwischenraum eben dieselben Worte wiederholt werden. Wenn bei

exempla minime esse rara. Neque ego nunc primus ita iudico; quod nisi ipse intellexissem, discere potui a viro doctissimo Meusel in Ztschr. f. d. Gymn. 1911, Jhrsber. p. 104. Sed illud quoque cum ipse animadverti tum Meusel monuit, aliena nonnumquam viros doctos huc traxisse; itaque ne idem quod illi peccarem, diligenter cavendum censui. Vel sic tamen tantum numerum exemplorum collectum habere mihi videbar, ut operae pretium ducerem eorum genera aliquot distinguere.

Atque primum genus est, cum binae sententiae vel bina sententiae membra sive incipiunt ab eadem voce sive eadem terminantur. Veluti

B. G. 1. 1. 2/3: *hi omnes* lingua, institutis, legibus inter se differunt .... *horum omnium* fortissimi sunt Belgae.

3. 1/2: His rebus adducti .... constituerunt .... cum proximis civitatibus pacem et amicitiam *confirmare*. ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt; in tertium annum profectionem lege *confirmant*.

10. 3: ipse in Italiam magnis itineribus *contendit* .... et, qua proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum his quinque legionibus ire *contendit*.

18. 6/7: (Caesar reperit Dumnorigem) matrem in Biturigibus homini illic nobilissimo ac potentissimo *conlocasse*; ipsum ex Helvetiis uxorem habere, sororem ex matre et propinquas suas nuptum in alias civitates *conlocasse*.

36. 4: (Ariovistus respondit) magnam Caesarem iniuriam *facere*, qui suo adventu vectigalia sibi deteriora *faceret*.

38. 3/4: omnium rerum .... summa erat in eo oppido *facultas*, idemque natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret *facultatem*.

50. 2/3: (Caesar) ubi ne tum quidem eos prodire intellexit, circiter meridie exercitum *in castra reduxit*. tum demum Ariovistus partem suarum copiarum, quae castra minora oppugnaret, misit. acriter utrimque usque ad vesperum pugnatum est. solis occasu suas copias Ariovistus .... *in castra reduxit*.

---

den guten Schriftstellern dies sehr selten vorkommt, so bei Caesar, wo der lässige Stil der Kommentarien sich bemerklich macht, ..."

3. 9. 3/5: (Veneti) ea quae ad usum navium pertinent, providere instituunt, hoc maiore spe, quod multum natura loci *confidebant*. pedestria esse itinera concisa aestuariis ... sciebant, neque nostros exercitus .... diutius apud se morari posse *confidebant*.

4. 13. 6: quos sibi Caesar oblatos gavisus illos retineri *iussit*; ipse omnes copias castris eduxit equitatumque ... extremum agmen subsequi *iussit*.

5. 50. 5: Caesar consulto equites cedere .... *iubet*, simul .... in his administrandis rebus quam maxime concursari et cum simulatione agi timoris *iubet* [1]):

6. 13. 5: (Druides) fere de omnibus controversis publicis privatisque *constituunt*, et si quod est admissum facinus .... idem decernunt, praemia poenasque *constituunt*.

Alterum genus hoc habet proprium, quod eiusdem vocis eadem forma vel formae variae non, ut in primi generis exemplis, similem in sententiis vel sententiae membris occupant sedem, sed diversam. Cuiusmodi sunt

1. 7. 1/2: Caesari cum id nuntiatum esset, ... *quam maximis potest* itineribus in Galliam ulteriorem contendit et ad Genavam pervenit. provinciae toti *quam maximum potest* militum numerum imperat. (Cf. infra 5. 49. 6/7).

10. 3: ob eas causas ei munitioni, quam *fecerat*, T. Labienum legatum prae*fecit* [2]).

25. 3/4: Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod .... ferrum .... neque evellere neque sinistra impedita satis commode *pugnare* poterant, multi ut .... praeoptarent scutum manu emittere et nudo corpore *pugnare*.

34. 1: placuit ei, ut ad Ariovistum legatos mitteret, qui ab eo postularent, uti aliquem locum medium *utriusque* conloquio deligeret: velle sese de re publica et de summis *utriusque* rebus cum eo agere.

54. 1: Hoc proelio trans *Rhenum* nuntiato Suebi, qui ad ripas *Rheni* venerant, domum reverti coeperunt; quos Ubii, qui proximi *Rhenum* incolunt, perterritos senserunt.

---

1) Hoc alterum „iubet" delevit Paul.
2) Meusel invitis codicibus edidit „praeficit".

2. 13. 1: Caesar obsidibus *acceptis* .... in deditionem Suessiones *accepit* [1]).

3. 11. 3: P. Crassum .... in Aquitaniam proficisci iubet, ne ex his *nationibus* auxilia in Galliam mittantur ac tantae *nationes* coniungantur.

4. 4. 7: his interfectis navibusque *eorum occupatis* .... flumen transierunt atque omnibus *eorum* aedificiis *occupatis* reliquam partem hiemis se *eorum* copiis aluerunt.

5. 3: his *rebus* atque auditionibus permoti de summis saepe *rebus* consilia ineunt.

6. 1/2: Qua consuetudine *cognita* Caesar .... ad exercitum proficiscitur. eo cum venisset, ea, quae fore suspicatus erat, facta *cognovit*.

16. 7: (Ubii dixerunt) tantum esse nomen atque *opinionem* eius exercitus ...., uti *opinione* et amicitia populi Romani tuti esse possent.

5. 3. 7: (Indutiomarus dixit se) si Caesar *permitteret*, ad eum in castra venturum et suas civitatisque fortunas eius fidei *permissurum*.

18. 5: eo *impetu* milites ierunt ...., ut hostes *impetum* legionum atque equitum sustinere non possent.

34. 1/2: (duces barbarorum pronuntiari iusserunt) omnia *in* victoria *posita* existimarent .... nostri tametsi ab duce et a fortuna deserebantur, tamen omnem spem salutis *in* virtute *ponebant*.

37. 1: (Sabinus) iussus arma abicere *imperatum* facit suisque ut idem faciant *imperat*.

49. 6/7: (Caesar) *quam* aequissimo *potest* loco castra communit atque *quam* maxime *potest* contrahit. (Cf. supra 1. 7. 1/2).

6. 6. 3/4: ille .... hostium se habiturum numero *confirmat*, si aut Ambiorigem aut eius legatos finibus suis recepissent. his *confirmatis* rebus .... in Treveros proficiscitur. (Cf. B. C. 1. 74. 3: Quibus *confirmatis* rebus se statim signa translaturos *confirmant*.)

9. 1/4: Caesar .... Rhenum transire *constituit*; ..... His *con-*

---

1) Etiam hoc loco, uti in 1. 10. 3, Meusel pro codicum Perfecto scripsit Praesens, quod habet Vascosana quoque editio.

stitutis rebus .... facere pontem *instituit.* nota atque *instituta* ratione .... opus efficitur.

10. 2: Ubiis imperat, ut pecora *deducant* .... sperans barbaros atque imperitos homines inopia cibariorum ad*ductos* ad iniquam pugnandi condicionen posse *deduci.*

35. 2/3: hic quantum in bello fortuna possit et quantos *adferat* casus cognosci potuit. dissipatis ac perterritis hostibus .... manus erat nulla, quae parvam modo causam timoris *adferret.*

7. 14. 5: praeterea salutis *causa* rei familiaris commoda neglegenda: vicos .... incendi oportere hoc spatio quoque versus, quo pabulandi *causa* adire posse videantur.

63. 5: *re* impetrata contendunt, ut ipsis summa imperii tradatur, et *re* in controversiam deducta totius Galliae concilium Bibracte indicitur.

7: ab hoc concilio .... Treveri *afuerunt* ...., quod *aberant* longius et a Germanis premebantur, quae fuit causa, quare toto *abessent* bello.

Reliquum est genus tertium, quod efficitur iis locis ubi repetitio, si minus frequens esset, aut omnino non offenderet, aut suam haberet defensionem. Veluti quod in 1. 2. 3 legimus: „undique loci natura Helvetii continentur: una *ex parte* flumine Rheno ....; altera *ex parte* monte Iura": stultitiae est talia carpere. Sed quod in proxima paragrapho sequuntur haec: „his rebus fiebat, ut .... minus facile finitimis bellum inferre possent; qua *ex parte* homines bellandi cupidi magno dolore adficiebantur" — in eo quidem magnum Caesarem neglegentiae accusare ausim. Similis est res in locis hisce; quam similitudinem ut brevissime significem, uncinis circumdabo eam periodi vel sententiae partem quae per se lecta vacare reprehensione mihi videtur.

1. 8. 2/4: [eo opere perfecto praesidia disponit, castella communit, quo facilius, si se invito transire *conarentur,* prohibere posset. ubi .... legati ad eum reverterunt, ... si vim facere *conentur,* prohibiturum ostendit.] Helvetii .... non numquam interdiu, saepius noctu si perrumpere possent *conati* operis munitione et militum concursu et telis repulsi hoc *conatu* destiterunt.

40. 1: [Haec cum animadvertisset, convocato *consilio* omniumque ordinum ad id *consilium* adhibitis centurionibus] vehementer eos incusavit: primum, quod aut quam in partem aut quo *consilio* ducerentur sibi quaerendum .... putarent.

49. 1/3: [ultra eum *locum*, quo in *loco* Germani consederant, circiter passus DC ab his,] castris idoneum *locum* delegit acieque triplici instructa ad eum *locum* venit. primam et secundam aciem in armis esse, tertiam castra munire iussit. hic *locus* ab hoste circiter passus DC, uti dictum est, aberat [1]).

52. 3: [ita nostri acriter in *hostes* .... impetum fecerunt itaque *hostes* repente celeriterque procurrerunt,] ut spatium pila in *hostes* coiciendi non daretur.

2. 13. 2/3: [qui cum se .... in *oppidum* Bratuspantium contulissent atque ab eo *oppido* Caesar .... circiter milia passuum V abesset,] omnes maiores natu ex *oppido* egressi .... voce significare coeperunt sese in eius fidem ac potestatem venire .... item, cum ad *oppidum* accessisset ...., pueri mulieresque .... pacem ab Romanis petierunt.

Nec vero caret iusta excusatione, si in commentariis de bello aliquo usque recurrit nomen castrorum. Sunt tamen certi denique fines, quos excessos esse equidem arbitror in

1. 48. 1/4: „Eodem die *castra* promovit et milibus passuum VI a Caesaris *castris* sub monte consedit. postridie eius diei praeter *castra* Caesaris suas copias traduxit et milibus passuum duobus ultra eum *castra* fecit .... ex eo die dies continuos V Caesar pro *castris* suas copias produxit .... Ariovistus his omnibus diebus exercitum *castris* continuit.

49. 5/50.1—3: munitis *castris* duas ibi legiones reliquit ...., quattuor reliquas in *castra* maiora reduxit. Proximo die .... Caesar ex *castris* utrisque copias suas eduxit paulumque a maioribus *castris* progressus aciem instruxit .... ubi ne

---

1) Non me fugit et J. Lange et eum quo neminem diligentius Caesaris sermonem perscrutatum esse opinor, Meusel negavisse verba illa: „hic locus .... aberat" esse Caesaris. Atque Meusel quidem l.l. pag. 105 ea damnavit non propter verbum vel verba repetita, sed propter rem tam brevi intervallo bis relatam. Ego vero ne ipse quidem perspicio, quid spatium illud DC passuum admodum habuerit memorabile. An forte quod exiguum erat, quodque inde apparebat quam audacter Caesar Ariovistum ad decertandum illexisset? Sed haec ut dubitanter quaero, illud plane ignoro, quid tandem movere potuerit aliquem ut talia verbis Caesaris adderet.

tum quidem eos prodire intellexit, ... exercitum in *castra* reduxit. tum demum Ariovistus partem suarum copiarum, quae *castra* minora oppugnaret, misit. ..... solis occasu suas copias Ariovistus .... in *castra* reduxit.

Satis, opinor, exemplorum ex Caesare; minus fortasse quam satis, multo minus certe quam vellem quamque inveniri posse mihi est persuasum, notavi apud Ciceronem. Sed ne haec quidem, quamvis essent pauca, omittenda duxi, cum vel sic sufficere viderentur ad eum locum tuendum quem nuperrime v. cl. Hartman in huius Bibliothecae vol. XLI p. 176 corruptum esse suspicatus est propterea quod displicuit ei pronomen quoddam brevissimo intervallo iteratum. Legitur hic locus in Verr. II. 5. 177, verba sunt haec: „Ego *mei* rationem iam officii confido esse omnibus iniquissimis *meis* persolutam". Ubi si „ingratum istud *mei* — *meis*" vitii est indicium, similiter de locis similibus iudicandum esse dixerim, in his de

Cic. Man. 20 in.: [Quoniam de genere belli *dixi*, nunc de magnitudine pauca *dicam*] [1]). Potest enim hoc *dici*, ...

Verr. II. 2. 66: eumque iudicem falsum *iudicasse iudicavit.*

4. 30 in.: Cibyratae sunt fratres quidam, Tlepolemus et Hiero; quorum alterum fingere *opinor* e cera solitum esse, alterum esse pictorem. Hosce *opinor* .... domo profugisse.

132: mediocrine tandem dolore eos affectos esse *arbitramini*? Non ita est, iudices: primum .... deos, quos a maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter et retinendos esse *arbitrantur*.

5. 64 in.: Iste .... si qui senes ac deformes erant, eos in hostium numero *ducit*; qui aliquid formae, aetatis artificiique habebant, ab*ducit* omnes.

65: *Hominem* nostis, consuetudinem *omnium* tenetis: qui ducem praedonum aut hostium ceperit, quam libenter eum palam ante oculos *omnium* esse patiatur. *Hominem* in tanto conventu Syracusis vidi neminem, iudices, qui archipiratam captum sese vidisse diceret, cum *omnes* .... videre cuperent. Quid accidit cur tanto opere iste *homo* occultaretur ....?

---

1) De his uncinis dixi supra in p. 411.

Homines maritumi .... cum eius cruciatu atque supplicio pascere oculos .... vellent, potestas aspiciendi nemini facta est.

70 extr.: Et ut quivis *facile* perspiceret id ab isto actum esse ut ille suppositus *facile* et libenter se illum, qui non erat, esse simularet, ...

72 extr./73 in.: ita dicam ut, si me in eo querimonia .... non modo vires, verum etiam vita deficiat, id mihi *praeclarum* et iucundum putem. — Haec igitur est gesta res, haec victoria *praeclara*: .....

101 in.: Qui .... classe a*missa* refugerant, dicebant quot ex sua quisque nave *missos* sciret esse.

109: Sed quid ego hospitii iura in hac *inmani belua* commemoro? Qui Sthenium Thermitanum, hospitem suum .... causa indicta capite damnavit, ab eo nunc hospitiorum iura atque officia quaeramus? cum homine enim crudeli nobis res est, an cum fera atque *inmani belua*?

126: Facilis est populi *causa*; legem enim se sociorum *causa* iussisse .... dicet.

142: Sextius converso baculo oculos misero *tundere* vehementissime coepit. Itaque *ille*, cum sanguis os oculosque complesset, concidit, cum *illi* nihilo minus iacenti latera *tunderent*, ut aliquando spondere se diceret. Sic *ille* affectus *illim* tum pro mortuo sublatus perbrevi postea est mortuus.

179 extr.: non omnes, qui tanto se scelere obstrinxerunt, ut .... *iudicium* corrumperent, in discrimen aut *iudicium* vocandi?

Div. in Q. Caec. 4 [1]): Tuli graviter et acerbe, iudices, in eum me locum ad*duci*, ut .... ad accusandum tra*ducerer*.

15/6: cum *id* ita perspicuum sit ut oculis iudicare possitis, nescio cur hoc mihi detrimento esse debeat, si *id* mihi obiciatur, me potissimum esse delectum. Verum *id* mihi non sumo, ...

40 extr. 4/in.: [quam longe tu te ab his rebus abesse arbitrare, quas .... antea nunquam *cogitasti* ....? .... Iam nunc mente et *cogitatione* prospicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sint; ....;] quae cum *cogito*,

1) Hunc locum Ciceronis et qui deinde sequuntur debeo Emilio Thomas, qui optimam curavit editionem Divinationis et librorum de Signis et Suppliciis.

iam nunc timeo quidnam pro .... magnitudine rerum dignum eloqui possim. Tu horum nihil metuis, nihil *cogitas*, nihil laboras; ..... Ac si tibi nemo responsurus esset, tamen ipsam causam, ut ego arbitror, demonstrare non posses. Nunc ne illud quidem *cogitas*, ...

46/7: cum .... ex illius *invidia* deonerare aliquid et in te traiicere coeperit, ..., poterisne eius orationis subire *invidiam*? *Vide* modo, etiam atque etiam considera; mihi enim *videtur* periculum fore ne ille .... praestringat aciem ingenii tui teque ab institutis tuis cogitationibusque abducat. Atque huiusce rei iudicium iam continuo *video* futurum.

62: *Quamobrem*, si iure posses eum accusare, tamen .... id pie facere non posses; cum vero .... praetori tuo periculum crees, fatearis necesse est te illi iniustum impiumque bellum inferre conari. Etenim ista quaestura *ad eam rem* valet, ut elaborandum tibi in ratione reddenda sit, *quamobrem* eum, cui quaestor fueris, accuses.

70: Et *profecto* aut hoc remedium est aegrotanti .... rei publicae iudiciisque corruptis ....; aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, *profecto* nulla umquam medicina his tot incommodis reperietur.

71/2: Quamobrem hoc statuere, iudices, debetis, Q. Caecilium ...., qui, neque ut ante *collectam* famam conservet neque uti reliqui temporis spem confirmet, laborat, non nimis hanc causam severe .... acturum; ..... A nobis multos obsides habet populus Romanus, ...; habet existimationem multo sudore, labore vigiliisque *collectam*; ut si .... tantulum offensum titubatumque sit, .. ea quae singillatim ac diu *collecta* sunt, uno tempore universa perdamus.

Temporum ordine servato iam venio ad exempla Vergiliana. Nam, quod iam ante me viderunt Heyne (in nota de G. 1. 302), Wagner (in notis de E. 616, G. 2. 125, Ae. 3. 84), Wunderlich (in Observ. in Tib. 1. 4. 67), Norden (in Commentarii in Ae. librum pp. 237/8), alii fortasse: ne Vergilius quidem eiusmodi repetitionem vitavit. Et Wunderlich quidem et Wagner et Norden, quod affirmaverunt, id etiam subiectis locis aliquot idoneis stabiliverunt; quos locos ego ex instituto meo simul cum iis quos ipse collegi, afferam.

Verg. E. 6. 3/8:

cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
vellit et admonuit: 'pastorem, Tityre, pingues
pascere oportet oves, deductum *dicere* carmen'.
nunc ego (namque super tibi erunt qui *dicere* laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella)
agrestem tenui meditabor harundine musam.

14/6: Silenum pueri somno videre *iacentem*,
inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho;
serta procul, tantum capiti delapsa, *iacebant*.

Hic Heyne, qui loco supra laudato scripsit: „*curant*; *curas*; non refugit Maro", annotavit: „Omnino ieiunus est versus, et multo magis *τὸ iacebant* post vs. 14 *videre iacentem*".

84/6: ille canit (pulsae *referunt* ad sidera valles),
cogere donec oves stabulis numerumque *referri*
iussit et invito processit Vesper Olympo.

G. 1. 301/2:

mutuaque inter se laeti convivia *curant*.
invitat genialis hiems *curasque* resolvit.

2. 125/7: et gens illa quidem sumptis non *tarda* pharetris.
Media fert tristes sucos *tardum*que saporem
felicis mali .....

Hoc loco Burmann „vix", inquit, „credo bis eandem vocem a Poëta positam".

292/7: (aesculus) radice in Tartara *tendit*.

. . . .

(ergo) multa virum volvens durando saecula vincit.
tum fortis late ramos et bracchia *tendens*
huc illuc media ipsa ingentem sustinet umbram.

Quod Ribbeck contra plurimorum et optimorum codicum consensum scripsit „pandens", quia sit „elegantius propter vs. 292", recte improbavit Norden in Comm. in Ae. librum VI. p. 238, ubi contulit huius ipsius libri vss. 684/5.

3. 524/6: ad *terram*que fluit devexo pondere cervix.
quid labor aut benefacta iuvant? quid vomere *terras*
invertisse graves?

Ae. 1. 375/7:

nos Troia antiqua, si vestras *forte* per aures
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos
forte sua Libycis tempestas appulit oris.

„*Forte* h. l. etiam ideo ingratum est, quia proxime praecedit *forte per aures*". Sic Peerlkamp.

503/6: talis erat Dido, talem se laeta ferebat
per *medios* instans operi regnisque futuris.
tum foribus divae, *media* e testudine templi,
saepta armis solioque alte subnixa resedit.

1. 613/7: Obstipuit primo aspectu Sidonia Dido,
casu deinde viri tanto, et sic ore locuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula *casus*
insequitur?

2. 65/70: *accipe* nunc Danaum insidias et crimine ab uno
disce omnes.
namque ut conspectu in medio turbatus inermis
constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
accipere?

470/1: (Pyrrhus) exultat telis et *luce* coruscus aëna,
qualis ubi in *lucem* coluber mala gramina pastus,
. . . .

Iterum sui ipse immemor Heyne moleste tulit *lucem* post *luce*.

3. 27/33: nam quae prima solo ruptis radicibus arbor
vellitur, huic atro liquuntur *sanguine* guttae
et terram tabo maculant. mihi frigidus horror
membra quatit, gelidusque coit formidine *sanguis*.
rursus et alterius lentum convellere vimen
insequor et causas penitus temptare latentes:
ater et alterius sequitur de cortice *sanguis*.

Repetitum in vs. 33 „sanguis" egregie faceret ad horrorem pingendum, nisi idem nomen intercederet in vs. 30.

79/84: egressi *veneramur* Apollinis urbem.
rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
vittis et sacra redimitus tempora lauro,
occurrit, veterem Anchisen adgnovit amicum.

iungimus hospitio dextras et tecta subimus.
Templa dei saxo *venerabar* structa vetusto:
. . . .

200/2: excutimur cursu et caecis erramus in *undis*.
ipse diem noctemque negat discernere caelo
nec meminisse viae media Palinurus in *unda*.

344/51: talia *fundebat* lacrimans longosque ciebat
incassum fletus, cum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert
*adgnoscit*que suos laetusque ad limina ducit
et multum lacrimas verba inter singula *fundit*.
procedo, et parvam Troiam simulataque magnis
Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum
adgnosco . . . .

4. 412/4: improbe Amor, quid non mortalia pectora *cogis*?
ire iterum in lacrimas, iterum temptare precando
cogitur . . . .

531/5: ingeminant curae, *rursus*que resurgens
saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
sic adeo insistit secumque ita corde volutat:
En quid ago? *rursus*ne procos inrisa priores
experiar?

555/7: (Aeneas) carpebat *somnos* rebus iam rite paratis.
huic se forma dei voltu redeuntis eodem
obtulit in *somnis* ....

5. 779/82: At Venus interea Neptunum exercita curis
adloquitur talesque effundit *pectore* questus:
Iunonis gravis ira neque exsaturabile *pectus*
cogunt me . . . .

Praecessisse *pectore*, ergo Schraderum emendasse *nec exsaturabile numen* scripsit Peerlkamp.

6. 684/5: isque ubi *tendentem* adversum per gramina vidit
Aenean, alacres palmas utrasque *tetendit*.

Peerlkamp, cum fateatur „semper huiusmodi repetitiones vitare ne hominis quidem esse diligentissimi", tamen illud *tendentem*‿*tetendit* negat esse „castigati scriptoris" et Vergilium hoc loco sui dissimilem extitisse arbitrari videtur, scripsit certe „multa" esse

„documenta in Aeneide, quantopere Virgilius ingratas repetitiones vitare studuerit"· Quae omnia probanda censeo, modo haec teneantur: in definiendo, quid sit satis castigatum, quid ingratum, mirabile esse nisi dissenserint antiqui homines ab hodiernis; deinde, etiamsi constaret nullam esse dissensionem, tamen concedendum, quod humanum sit, id etiam antiquis scriptoribus accidere potuisse: saepe ut sui essent dissimiles; quod ubi factum esse affirment testes optimi, non recte his hac in re fidem negari.

9. 176/2: Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides, *comitem* Aeneae quem miserat Ida
venatrix iaculo celerem levibusque sagittis;
et iuxta *comes* Euryalus ....

193/4: (omnes Aeneam) ex*poscunt* mittique viros qui certa re-
si tibi quae *posco* promittunt .... [portent.

11. 34/8: circum omnis famulumque manus Troianaque turba
et *maestum* Iliades crinem de more solutae.
ut vero Aeneas foribus sese intulit altis,
ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
pectoribus, *maesto*que inmugit regia luctu.

12. 853/9: [harum unam *celerem* demisit ab aethere summo
Iuppiter inque omen Iuturnae occurrere iussit.
illa volat *celeri*que ad terram turbine fertur.] [1]).
non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta,
. . . .
celeres incognita transilit umbras.

Denuo a se ipse aberrans Heyne scripsit: »Vix tamen Maro, si carmen emendasset, ter eadem voce usurus fuisset". Etiam secundum Peerlkamp „Male *celeres* brevi intervallo ter repetitur".

Reliquus est Livius. Apud quem annon plurimis locis eadem vox brevi intervallo recurrat plurimosque ob id ipsum viri docti vitiose traditos putaverint, si quis forte dubitat, is legat longissimam notam qua Drakenborch contra I. Fr. Gronovium et A. Perizonium defendit nomen collis iteratum in 1. 3 extr..

---

1) Iterum moneo de harum uncinarum usu me supra dixisse in pag. 411.

Neque latuit res ante Drakenborch nec post eum abiit in oblivionem; H. J. Müller certe et alibi de ea monuit et in explicando 1. 53. 4 universe scripsit Livianam esse eam repetitionem quae fiat sive perspicuitatis causa, sive ut vitetur pronomen, sive propter festinationem, exempla autem utilia aliquot indicavit in annotatione de 4. 61. 8. Utilia, inquam, exempla Müller ibi indicavit; non omnia tamen quae contulit mea facere potui. Quod idem valet in copiam haud sane parvam quam congessit Drakenborch eo maxime loco quem dixi, cuius copiae magna aut maior pars non dubito quin debeatur Livii curae et studio, ego autem — quod iterum dico — eius tantum repetitionis ingratae exempla adhibere decrevi, quam non quaesitam esse putarem, adeo ut admonitus ipse scriptor fortasse eam reprehensurus et correcturus mihi videretur. Quo in numero sunt:

Liv. 1. 1. 3/5: (satis constat) Enetos Troianosque eas *tenuisse* terras. .... Aeneam .... ab Sicilia classe ad Laurentem agrum *tenuisse*. .... ibi egressi Troiani ...., cum praedam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea *tenebant* loca, ... concurrunt.

17. 4: timor deinde patres incessit, ne *civitatem* sine imperio, exercitum sine duce multarum circa *civitatium* inritatis *animis* vis aliqua externa adoriretur. et esse igitur aliquod caput placebat, et nemo alteri concedere in *animum* inducebat. (Cf. infra 45. 31. 4; 22. 5. 8, 45. 42. 1).

32. 7/9: [*peragit* deinde postulata. inde Iovem testem facit: 'si .... esse'. haec cum fines suprascandit, ..., haec forum ingressus paucis verbis carminis concipiendique iuris iurandi mutatis *peragit*] [1]). si non deduntur quos exposcit, diebus tribus et triginta — tot enim sollennes sunt — *peractis*, bellum .... indicit.

47. 6: iuvenem instigat nec conquiescere *ipsa* potest, si, cum Tanaquil .... tantum moliri potuisset animo ...., *ipsa* .... nullum monumentum .... faceret. (Cf. infra 45. 41. 6/7).

53. 4: Gabios propinquam *urbem* nequiquam vi adortus, cum obsidendi quoque *urbem* spes .... adempta esset, postremo .... fraude ac dolo adgressus est.

---

1) Quod ne ter quidem dictum displiceat: de his uncinis vide supra p. 411.

59. 2/3: cultrum deinde Conlatino tradit, inde Lucretio ac Valerio stupentibus *miraculo rei* .... elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt concientque *miraculo*, ut fit, *rei* novae atque indignitate homines.

2. 18. 3/4: triginta iam coniurasse populos .... *satis constabat.* In hac tantarum expectatione rerum sollicita civitate dictatoris primum creandi mentio orta. sed nec quo anno nec quibus consulibus .... parum creditum *sit*, nec quis primum dictator creatus *sit*, *satis constat.*

21 in./22 in.: Triennio deinde *nec* certa *pax nec bellum fuit* .... Cum Volscorum gente Latino bello *neque pax neque bellum fuerat.*

23. 14: iam prope erat ut *ne* consulum *quidem* maiestas coerceret iras hominum, cum incerti, morando an veniendo plus periculi contraherent, *tandem* in senatum *veniunt*; frequentique *tandem* [1]) curia non modo inter patres, sed *ne* inter consules *quidem* ipsos ratio con*veniebat.*

48. 5: At a Veiente hoste clades accepta .... actumque de exercitu foret, ni Caeso Fabius in *tempore* subsidio *venisset.* ex eo *tempore* neque pax neque bellum cum Veientibus fuit; res proxime in formam latrocinii *venerat.*

3. 38. 11: indignitate *rerum* cesserant in agros suarumque *rerum* erant amissa publica.

4. 55. 4: nuntii veniunt *arcem* Carventanam .... Aequos interfectis paucis custodibus *arcis* invasisse; alios recurrentes in *arcem*, alios palantes in agris caesos.

61. 6/8: [praeterque *arcem* cetera capta; in *arcem* munitam natura globus armatorum concessit; infra *arcem* caesi captique multi mortales.] *arx* deinde obsidebatur; nec aut vi capi poterat .... aut spem dabat deditionis omni publico frumento .... in *arcem* convecto; taedioque recessum inde foret, ni servus *arcem* Romanis prodidisset. (Cf. infra 9. 24. 11 et 29. 6. 10).

---

1) Dubito utrum studiose Livius hoc adverbium repetiverit eamque repetitionem litteris obliquis significare ego non debuerim, an, quod opinatus est H. J. Müller in septima certe editione, fortuito; mutare vero alterum „tandem" cum J. Fr. Gron. et J. Periz. non ausim nec delere cum Wesenberg, Madvig, M. Müller aliisque.

5. 44. 1: Ardeates, inquit, veteres amici, novi etiam cives mei, quando et *vestrum* beneficium ita tulit et fortuna hoc eguit mea: nemo *vestrum* condicionis meae oblitum me huc processisse putet.

54. 4: non sine causa di hominesque hunc urbi condendae *locum* elegerunt: saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis *locis* fruges devehantur,...., regionem Italiae mediam, ad incrementum urbis natum unice *locum*.

8. 10. 9/10: castra secundum proelium capta multique mortales ibi vivi *oppressi*. .... Decii corpus ne eo die inveniretur, nox quaerentes *oppressit*.

11. 13: [Latium Capuaque *agro* multati. Latinus *ager*] Privernati addito *agro*, et Falernus .... plebi Romanae dividitur.

9. 24. 11: trepidi magistratus missis ad *arcem* exploratoribus cum tela et armatos tenere *arcem* multiplicato numero audirent, avertunt animos a spe recuperandae *arcis*. (Cf. supra 4. 61. 6/8.)

27. 8/9: dextra pars.... latius patefacta *stetit*; sinistris, praeterquam quod confertiores *steterant* .... additae vires.....

21. 24. 4: [et accepturum eos in castra sua se laetum nec cunctanter se ipsum ad eos *venturum*; hospitem enim se Galliae, non hostem ad*venisse*] nec stricturum ante gladium, si per Gallos liceat, quam in Italiam *venisset*.

22. 5. 8: *animus* suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat; tantusque fuit ardor *animorum*, adeo intentus pugnae *animus* ut eum motum terrae .... nemo pugnantium senserit [1]). (Cf. infra 45. 42. 1, supra 1. 17. 4).

28. 10/2: principio levem armaturam di*mittit*, deinde conferto agmine *mittit* [2]) equites; postremo, cum hostibus quoque subsidia *mitti* videret, instructis legionibus procedit. et Hannibal laborantibus suis .... *mittens* auxilia .... iam iustam expleverat aciem, ac totis utriumque viribus certatur. prima levis armatura Romanorum .... *succedens* tumulum, pulsa detrusaque terrorem in *succedentem* [3]) intulit equitem. .... (Cf. infra 24. 19. 6 et 44. 31. 6).

---

1) „animorum" Doujat et Hearne omiserunt, „animus" delevit Madvig.

2) „mittit" delevit Ruperti, „dimittit" Madvig J. F. Gronovium secutus.

3) „subsequentem", quod scribendum existimavit Madvig, edidit Riemann.

24. 13. 7: ut nihil *procedebat*, ad populandum agrum Neapolitanum magis ira quam potiundae urbis spe *processit*.

19. 6: cum multa *succedentes* temere moenibus Romani milites acciperent vulnera neque satis inceptum *succederet*, Fabius omittendam rem .... censebat. (Cf. supra 22. 28. 10/2).

26. 17. 2: eum exercitum Puteolis in *naves* inpositum Nero in Hispaniam transportavit. cum Tarraconem *navibus* venisset expositisque ibi copiis et *navibus* subductis socios quoque navales .... armasset, ... (Cf. infra 27. 22. 9 et 12).

25. 4/5: memor Aetolici .... *belli* .... in Thessaliam descendit, ubi [1]) ad *bellum* secum adversus Aetolos capessendum incitari posse homines credebat.

50. 14: *dilectu* clientium habito cum *delectis* mille et quadringentis equitibus .... ad Scipionem revertit.

27. 22. 9: (decretum est) M. Valerius Laevinus .... classem, quae ad Siciliam erat, *navium* septuaginta obtineret, adderet eo triginta *naves*, quae ad Tarentum priore anno fuerant; cum ea centum *navium* classe .... in Africam traiceret.

12: P. Licinio Varo .... negotium datum, ut *naves* longas triginta veteres reficeret, quae Ostiae erant, et viginti novas *naves* sociis navalibus compleret, ut quinquaginta *navium* classe oram maris. .... tueri posset.

Omnem offensionem Livius vitasset, si scripsisset in 9: „adderet eo triginta, quae fuerant", in 12: „viginti novas sociis navalibus compleret". Non neglegenter tamen forsitan nomen substantivum addiderit, sed nimis diligenter secundum sermonem decretorum. Ceterum cf. supra 26. 17. 2.

29. 6. 2: spes autem adfectandae eius *rei* ex minima *re* adfulsit. latrociniis magis quam iusto bello in Bruttiis gerebantur *res*.

10: scalas ad editam altitudinem *arcis* fabricatas portantes .... signum dedere proditoribus *arcis*. (Cf. supra 4. 55. 4 et 61. 6/8).

30. 3/5: cum ad fines regni per*venisset*, quingenti ferme Numidae ad eum *convenerunt*. igitur Mauris inde, sicut *convenerat*, retro ad regem remissis, quamquam aliquanto minor spe multitudo nec cum qua tantam rem adgredi satis

1) Sic dubitanter Luchs.

Homines maritumi .... cum eius cruciatu atque supplicio pascere oculos .... vellent, potestas aspiciendi nemini facta est.

70 extr.: Et ut quivis *facile* perspiceret id ab isto actum esse ut ille suppositus *facile* et libenter se illum, qui non erat, esse simularet, ...

72 extr./73 in.: ita dicam ut, si me in eo querimonia .... non modo vires, verum etiam vita deficiat, id mihi *praeclarum* et iucundum putem. — Haec igitur est gesta res, haec victoria *praeclara*: .....

101 in.: Qui .... classe a*missa* refugerant, dicebant quot ex sua quisque nave *missos* sciret esse.

109: Sed quid ego hospitii iura in hac *inmani belua* commemoro? Qui Sthenium Thermitanum, hospitem suum .... causa indicta capite damnavit, ab eo nunc hospitiorum iura atque officia quaeramus? cum homine enim crudeli nobis res est, an cum fera atque *inmani belua*?

126: Facilis est populi *causa*; legem enim se sociorum *causa* iussisse .... dicet.

142: Sextius converso baculo oculos misero *tundere* vehementissime coepit. Itaque *ille*, cum sanguis os oculosque complesset, concidit, cum *illi* nihilo minus iacenti latera *tunderent*, ut aliquando spondere se diceret. Sic *ille* affectus *illim* tum pro mortuo sublatus perbrevi postea est mortuus.

179 extr.: non omnes, qui tanto se scelere obstrinxerunt, ut .... *iudicium* corrumperent, in discrimen aut *iudicium* vocandi?

Div. in Q. Caec. 4 [1]): Tuli graviter et acerbe, iudices, in eum me locum ad*duci*, ut .... ad accusandum tra*ducerer*.

15/6: cum *id* ita perspicuum sit ut oculis iudicare possitis, nescio cur hoc mihi detrimento esse debeat, si *id* mihi obiciatur, me potissimum esse delectum. Verum *id* mihi non sumo, ...

40 extr. 4/in.: [quam longe tu te ab his rebus abesse arbitrare, quas .... antea nunquam *cogitasti* ....? .... Iam nunc mente et *cogitatione* prospicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sint; ....;] quae cum *cogito*,

---

1) Hunc locum Ciceronis et qui deinde sequuntur debeo Emilio Thomas, qui optimam curavit editionem Divinationis et librorum de Signis et Suppliciis.

iam nunc timeo quidnam pro .... magnitudine rerum dignum eloqui possim. Tu horum nihil metuis, nihil *cogitas*, nihil laboras; ..... Ac si tibi nemo responsurus esset, tamen ipsam causam, ut ego arbitror, demonstrare non posses. Nunc ne illud quidem *cogitas*, ...

46/7: cum .... ex illius *invidia* deonerare aliquid et in te traiicere coeperit, ..., poterisne eius orationis subire *invidiam*? *Vide* modo, etiam atque etiam considera; mihi enim *videtur* periculum fore ne ille .... praestringat aciem ingenii tui teque ab institutis tuis cogitationibusque abducat. Atque huiusce rei iudicium iam continuo *video* futurum.

62: *Quamobrem*, si iure posses eum accusare, tamen .... id pie facere non posses; cum vero .... praetori tuo periculum crees, fatearis necesse est te illi iniustum impiumque bellum inferre conari. Etenim ista quaestura *ad eam rem* valet, ut elaborandum tibi in ratione reddenda sit, *quamobrem* eum, cui quaestor fueris, accuses.

70: Et *profecto* aut hoc remedium est aegrotanti .... rei publicae iudiciisque corruptis ....; aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, *profecto* nulla umquam medicina his tot incommodis reperietur.

71/2: Quamobrem hoc statuere, iudices, debetis, Q. Caecilium ...., qui, neque ut ante *collectam* famam conservet neque uti reliqui temporis spem confirmet, laborat, non nimis hanc causam severe .... acturum; ..... A nobis multos obsides habet populus Romanus, ...; habet existimationem multo sudore, labore vigiliisque *collectam*; ut si .... tantulum offensum titubatumque sit, .. ea quae singillatim ac diu *collecta* sunt, uno tempore universa perdamus.

Temporum ordine servato iam venio ad exempla Vergiliana. Nam, quod iam ante me viderunt Heyne (in nota de G. 1. 302), Wagner (in notis de E. 616, G. 2. 125, Ae. 3. 84), Wunderlich (in Observ. in Tib. 1. 4. 67), Norden (in Commentarii in Ae. librum pp. 237/8), alii fortasse: ne Vergilius quidem eiusmodi repetitionem vitavit. Et Wunderlich quidem et Wagner et Norden, quod affirmaverunt, id etiam subiectis locis aliquot idoneis stabiliverunt; quos locos ego ex instituto meo simul cum iis quos ipse collegi, afferam.

Verg. E. 6. 3/8:

cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
vellit et admonuit: 'pastorem, Tityre, pingues
pascere oportet oves, deductum *dicere* carmen'.
nunc ego (namque super tibi erunt qui *dicere* laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella)
agrestem tenui meditabor harundine musam.

14/6: Silenum pueri somno videre *iacentem*,
inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho;
serta procul, tantum capiti delapsa, *iacebant*.

Hic Heyne, qui loco supra laudato scripsit: „*curant*; *curas*; non refugit Maro", annotavit: „Omnino ieiunus est versus, et multo magis *τὸ iacebant* post vs. 14 *videre iacentem*".

84/6: ille canit (pulsae *referunt* ad sidera valles),
cogere donec oves stabulis numerumque *referri*
iussit et invito processit Vesper Olympo.

G. 1. 301/2:

mutuaque inter se laeti convivia *curant*.
invitat genialis hiems *curasque* resolvit.

2. 125/7: et gens illa quidem sumptis non *tarda* pharetris.
Media fert tristes sucos *tardum*que saporem
felicis mali . . . .

Hoc loco Burmann „vix", inquit, „credo bis eandem vocem a Poëta positam".

292/7: (aesculus) radice in Tartara *tendit*.

. . . .

(ergo) multa virum volvens durando saecula vincit.
tum fortis late ramos et bracchia *tendens*
huc illuc media ipsa ingentem sustinet umbram.

Quod Ribbeck contra plurimorum et optimorum codicum consensum scripsit „pandens", quia sit „elegantius propter vs. 292", recte improbavit Norden in Comm. in Ae. librum VI. p. 238, ubi contulit huius ipsius libri vss. 684/5.

3. 524/6: ad *terram*que fluit devexo pondere cervix.
quid labor aut benefacta iuvant? quid vomere *terras*
invertisse graves?

Ae. 1. 375/7:
nos Troia antiqua, si vestras *forte* per aures
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos
forte sua Libycis tempestas appulit oris.
„*Forte* h. l. etiam ideo ingratum est, quia proxime praecedit *forte per aures*". Sic Peerlkamp.
503/6: talis erat Dido, talem se laeta ferebat
per *medios* instans operi regnisqus futuris.
tum foribus divae, *media* e testudine templi,
saepta armis solioque alte subnixa resedit.
1. 613/7: Obstipuit primo aspectu Sidonia Dido,
casu deinde viri tanto, et sic ore locuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula *casus*
insequitur?
2. 65/70: *accipe* nunc Danaum insidias et crimine ab uno
disce omnes.
namque ut conspectu in medio turbatus inermis
constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quae nunc tellus, inquit, quae me aequora possunt
accipere?
470/1: (Pyrrhus) exultat telis et *luce* coruscus aëna,
qualis ubi in *lucem* coluber mala gramina pastus,
. . . .
Iterum sui ipse immemor Heyne moleste tulit *lucem* post *luce*.
3. 27/33: nam quae prima solo ruptis radicibus arbor
vellitur, huic atro liquuntur *sanguine* guttae
et terram tabo maculant. mihi frigidus horror
membra quatit, gelidusque coit formidine *sanguis*.
rursus et alterius lentum convellere vimen
insequor et causas penitus temptare latentes:
ater et alterius sequitur de cortice *sanguis*.
Repetitum in vs. 33 „sanguis" egregie faceret ad horrorem pingendum, nisi idem nomen intercederet in vs. 30.
79/84: egressi *veneramur* Apollinis urbem.
rex Anius, rex idem hominum Phoebique sacerdos,
vittis et sacra redimitus tempora lauro,
occurrit, veterem Anchisen adgnovit amicum.

iungimus hospitio dextras et tecta subimus.
Templa dei saxo *venerabar* structa vetusto:
. . . .

200/2: excutimur cursu et caecis erramus in *undis.*
ipse diem noctemque negat discernere caelo
nec meminisse viae media Palinurus in *unda.*

344/51: talia *fundebat* lacrimans longosque ciebat
incassum fletus, cum sese a moenibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus adfert
*adgnoscit*que suos laetusque ad limina ducit
et multum lacrimas verba inter singula *fundit.*
procedo, et parvam Troiam simulataque magnis
Pergama et arentem Xanthi cognomine rivum
adgnosco . . . .

4. 412/4: improbe Amor, quid non mortalia pectora *cogis*?
ire iterum in lacrimas, iterum temptare precando
cogitur . . . .

531/5: ingeminant curae, *rursus*que resurgens
saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.
sic adeo insistit secumque ita corde volutat:
En quid ago? *rursus*ne procos inrisa priores
experiar?

555/7: (Aeneas) carpebat *somnos* rebus iam rite paratis.
huic se forma dei voltu redeuntis eodem
obtulit in *somnis* . . . .

5. 779/82: At Venus interea Neptunum exercita curis
adloquitur talesque effundit *pectore* questus:
Iunonis gravis ira neque exsaturabile *pectus*
cogunt me . . . .

Praecessisse *pectore*, ergo Schraderum emendasse *nec exsaturabile numen* scripsit Peerlkamp.

6. 684/5: isque ubi *tendentem* adversum per gramina vidit
Aenean, alacres palmas utrasque *tetendit.*

Peerlkamp, cum fateatur „semper huiusmodi repetitiones vitare ne hominis quidem esse diligentissimi", tamen illud *tendentem*‿*tetendit* negat esse „castigati scriptoris" et Vergilium hoc loco sui dissimilem extitisse arbitrari videtur, scripsit certe „multa" esse

„documenta in Aeneide, quantopere Virgilius ingratas repetitiones vitare studuerit". Quae omnia probanda censeo, modo haec teneantur: in definiendo, quid sit satis castigatum, quid ingratum, mirabile esse nisi dissenserint antiqui homines ab hodiernis; deinde, etiamsi constaret nullam esse dissensionem, tamen concedendum, quod humanum sit, id etiam antiquis scriptoribus accidere potuisse: saepe ut sui essent dissimiles; quod ubi factum esse affirment testes optimi, non recte his hac in re fidem negari.

9. 176/2: Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides, *comitem* Aeneae quem miserat Ida
venatrix iaculo celerem levibusque sagittis;
et iuxta *comes* Euryalus ....

193/4: (omnes Aeneam) ex*poscunt* mittique viros qui certa re-
si tibi quae *posco* promittunt .... [portent.

11. 34/8: circum omnis famulumque manus Troianaque turba
et *maestum* Iliades crinem de more solutae.
ut vero Aeneas foribus sese intulit altis,
ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
pectoribus, *maesto*que inmugit regia luctu.

12. 853/9: [harum unam *celerem* demisit ab aethere summo
Iuppiter inque omen Iuturnae occurrere iussit.
illa volat *celeri*que ad terram turbine fertur.] [1]).
non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta,
. . . .
celeres incognita transilit umbras.

Denuo a se ipse aberrans Heyne scripsit: »Vix tamen Maro, si carmen emendasset, ter eadem voce usurus fuisset". Etiam secundum Peerlkamp „Male *celeres* brevi intervallo ter repetitur".

Reliquus est Livius. Apud quem annon plurimis locis eadem vox brevi intervallo recurrat plurimosque ob id ipsum viri docti vitiose traditos putaverint, si quis forte dubitat, is legat longissimam notam qua Drakenborch contra I. Fr. Gronovium et A. Perizonium defendit nomen collis iteratum in 1. 3 extr..

1) Iterum moneo de harum uncinarum usu me supra dixisse in pag. 411.

Neque latuit res ante Drakenborch nec post eum abiit in oblivionem; H. J. Müller certe et alibi de ea monuit et in explicando 1. 53. 4 universe scripsit Livianam esse eam repetitionem quae fiat sive perspicuitatis causa, sive ut vitetur pronomen, sive propter festinationem, exempla autem utilia aliquot indicavit in annotatione de 4. 61. 8. Utilia, inquam, exempla Müller ibi indicavit; non omnia tamen quae contulit mea facere potui. Quod idem valet in copiam haud sane parvam quam congessit Drakenborch eo maxime loco quem dixi, cuius copiae magna aut maior pars non dubito quin debeatur Livii curae et studio, ego autem — quod iterum dico — eius tantum repetitionis ingratae exempla adhibere decrevi, quam non quaesitam esse putarem, adeo ut admonitus ipse scriptor fortasse eam reprehensurus et correcturus mihi videretur. Quo in numero sunt:

Liv. 1. 1. 3/5: (satis constat) Enetos Troianosque eas *tenuisse* terras. .... Aeneam .... ab Sicilia classe ad Laurentem agrum *tenuisse*. .... ibi egressi Troiani ...., cum praedam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea *tenebant* loca, ... concurrunt.

17. 4: timor deinde patres incessit, ne *civitatem* sine imperio, exercitum sine duce multarum circa *civitatium* inritatis *animis* vis aliqua externa adoriretur. et esse igitur aliquod caput placebat, et nemo alteri concedere in *animum* inducebat. (Cf. infra 45. 31. 4; 22. 5. 8, 45. 42. 1).

32. 7/9: [*peragit* deinde postulata. inde Iovem testem facit: 'si .... esse'. haec cum fines suprascandit, ..., haec forum ingressus paucis verbis carminis concipiendique iuris iurandi mutatis *peragit*] [1]). si non deduntur quos exposcit, diebus tribus et triginta — tot enim sollennes sunt — *peractis*, bellum .... indicit.

47. 6: iuvenem instigat nec conquiescere *ipsa* potest, si, cum Tanaquil .... tantum moliri potuisset animo ...., *ipsa* .... nullum monumentum .... faceret. (Cf. infra 45. 41. 6/7).

53. 4: Gabios propinquam *urbem* nequiquam vi adortus, cum obsidendi quoque *urbem* spes .... adempta esset, postremo .... fraude ac dolo adgressus est.

---

1) Quod ne ter quidem dictum displiceat: de his uncinis vide supra p. 411.

59. 2/3: cultrum deinde Conlatino tradit, inde Lucretio ac Valerio stupentibus *miraculo rei* .... elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt concientque *miraculo*, ut fit, *rei* novae atque indignitate homines.

2. 18. 3/4: triginta iam coniurasse populos .... *satis constabat*. In hac tantarum expectatione rerum sollicita civitate dictatoris primum creandi mentio orta. sed nec quo anno nec quibus consulibus .... parum creditum *sit*, nec quis primum dictator creatus *sit*, *satis constat*.

21 in./22 in.: Triennio deinde *nec* certa *pax nec bellum fuit* .... Cum Volscorum gente Latino bello *neque pax neque bellum fuerat*.

23. 14: iam prope erat ut *ne* consulum *quidem* maiestas coerceret iras hominum, cum incerti, morando an veniendo plus periculi contraherent, *tandem* in senatum *veniunt*; frequentique *tandem* [1]) curia non modo inter patres, sed *ne* inter consules *quidem* ipsos ratio con*veniebat*.

48. 5: At a Veiente hoste clades accepta .... actumque de exercitu foret, ni Caeso Fabius in *tempore* subsidio *venisset*. ex eo *tempore* neque pax neque bellum cum Veientibus fuit; res proxime in formam latrocinii *venerat*.

3. 38. 11: indignitate *rerum* cesserant in agros suarumque *rerum* erant amissa publica.

4. 55. 4: nuntii veniunt *arcem* Carventanam .... Aequos interfectis paucis custodibus *arcis* invasisse; alios recurrentes in *arcem*, alios palantes in agris caesos.

61. 6/8: [praeterque *arcem* cetera capta; in *arcem* munitam natura globus armatorum concessit; infra *arcem* caesi captique multi mortales.] *arx* deinde obsidebatur; nec aut vi capi poterat .... aut spem dabat deditionis omni publico frumento .... in *arcem* convecto; taedioque recessum inde foret, ni servus *arcem* Romanis prodidisset. (Cf. infra 9. 24. 11 et 29. 6. 10).

---

1) Dubito utrum studiose Livius hoc adverbium repetiverit eamque repetitionem litteris obliquis significare ego non debuerim, an, quod opinatus est H. J. Müller in septima certe editione, fortuito; mutare vero alterum „tandem" cum J. Fr. Gron. et J. Periz. non ausim nec delere cum Wesenberg, Madvig, M. Müller aliisque.

5. 44. 1: Ardeates, inquit, veteres amici, novi etiam cives mei, quando et *vestrum* beneficium ita tulit et fortuna hoc eguit mea: nemo *vestrum* condicionis meae oblitum me huc processisse putet.

54. 4: non sine causa di hominesque hunc urbi condendae *locum* elegerunt: saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis *locis* fruges devehantur, ..., regionem Italiae mediam, ad incrementum urbis natum unice *locum*.

8. 10. 9/10: castra secundum proelium capta multique mortales ibi vivi *oppressi*. .... Decii corpus ne eo die inveniretur, nox quaerentes *oppressit*.

11. 13: [Latium Capuaque *agro* multati. Latinus *ager*] Privernati addito *agro*, et Falernus .... plebi Romanae dividitur.

9. 24. 11: trepidi magistratus missis ad *arcem* exploratoribus cum tela et armatos tenere *arcem* multiplicato numero audirent, avertunt animos a spe recuperandae *arcis*. (Cf. supra 4. 61. 6/8.)

27. 8/9: dextra pars .... latius patefacta *stetit*; sinistris, praeterquam quod confertiores *steterant* .... additae vires. ....

21. 24. 4: [et accepturum eos in castra sua se laetum nec cunctanter se ipsum ad eos *venturum*; hospitem enim se Galliae, non hostem ad*venisse*] nec stricturum ante gladium, si per Gallos liceat, quam in Italiam *venisset*.

22. 5. 8: *animus* suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat; tantusque fuit ardor *animorum*, adeo intentus pugnae *animus* ut eum motum terrae .... nemo pugnantium senserit [1]). (Cf. infra 45. 42. 1, supra 1. 17. 4).

28. 10/2: principio levem armaturam di*mittit*, deinde conferto agmine *mittit* [2]) equites; postremo, cum hostibus quoque subsidia *mitti* videret, instructis legionibus procedit. et Hannibal laborantibus suis .... *mittens* auxilia .... iam iustam expleverat aciem, ac totis utriumque viribus certatur. prima levis armatura Romanorum .... *succedens* tumulum, pulsa detrusaque terrorem in *succedentem* [3]) intulit equitem. .... (Cf. infra 24. 19. 6 et 44. 31. 6).

1) „animorum" Doujat et Hearne omiserunt, „animus" delevit Madvig.

2) „mittit" delevit Ruperti, „dimittit" Madvig J. F. Gronovium secutus.

3) „subsequentem", quod scribendum existimavit Madvig, edidit Riemann.

24. 13. 7: ut nihil *procedebat,* ad populandum agrum Neapolitanum magis ira quam potiundae urbis spe *processit.*

19. 6: cum multa *succedentes* temere moenibus Romani milites acciperent vulnera neque satis inceptum *succederet,* Fabius omittendam rem .... censebat. (Cf. supra 22. 28. 10/2).

26. 17. 2: eum exercitum Puteolis in *naves* inpositum Nero in Hispaniam transportavit. cum Tarraconem *navibus* venisset expositisque ibi copiis et *navibus* subductis socios quoque navales .... armasset, ... (Cf. infra 27. 22. 9 et 12).

25. 4/5: memor Aetolici .... *belli* .... in Thessaliam descendit, ubi [1]) ad *bellum* secum adversus Aetolos capessendum incitari posse homines credebat.

50. 14: *dilectu* clientium habito cum *delectis* mille et quadringentis equitibus .... ad Scipionem revertit.

27. 22. 9: (decretum est) M. Valerius Laevinus .... classem, quae ad Siciliam erat, *navium* septuaginta obtineret, adderet eo triginta *naves,* quae ad Tarentum priore anno fuerant; cum ea centum *navium* classe .... in Africam traiceret.

12: P. Licinio Varo .... negotium datum, ut *naves* longas triginta veteres reficeret, quae Ostiae erant, et viginti novas *naves* sociis navalibus compleret, ut quinquaginta *navium* classe oram maris. .... tueri posset.

Omnem offensionem Livius vitasset, si scripsisset in 9: „adderet eo triginta, quae fuerant", in 12: „viginti novas sociis navalibus compleret". Non neglegenter tamen forsitan nomen substantivum addiderit, sed nimis diligenter secundum sermonem decretorum. Ceterum cf. supra 26. 17. 2.

29. 6. 2: spes autem adfectandae eius *rei* ex minima *re* adfulsit. latrociniis magis quam iusto bello in Bruttiis gerebantur *res.*

10: scalas ad editam altitudinem *arcis* fabricatas portantes .... signum dedere proditoribus *arcis.* (Cf. supra 4. 55. 4 et 61. 6/8).

30. 3/5: cum ad fines regni per*venisset,* quingenti ferme Numidae ad eum *convenerunt.* igitur Mauris inde, sicut *convenerat,* retro ad regem remissis, quamquam aliquanto minor spe multitudo nec cum qua tantam rem adgredi satis

---

1) Sic dubitanter Luchs.

auderet, *convenerat*, ... regulo ad Thapsum occurrit.
11, 2: missis qui .... Mazaetullo praeter inpunitatem sua *omnia* cum fide restitui sponderent, ambo praeoptantes exilio modicam domi fortunam, *omnia*, ne id fieret, Carthaginiensibus de industria agentibus, ad sese perduxit.

34. 5. 9: [nonne id agmen, quo obruta haec *urbs* esset, matronae averterunt? iam *urbe* capta a Gallis,] quo redempta *urbs* est? nempe aurum matronae consensu omnium in publicum contulerunt [1]).

36. 31. 6: auditis legatis *extemplo* profectus Quinctius a Megalopoli ad Diophanem praetorem Achaeorum misit, qui *extemplo* reducere eum a Messene exercitum et venire ad se iuberet.
42. 4/5: pergit *protinus* navigare Peloponnesum. Samen Zacynthumque, quia partis Aetolorum maluerant esse, *protinus* depopulatus Maleam petit.

38. 22. 2: flexere *iter* in partem montis quae una habebat *iter*....

39. 18. 1: tanta fuga ex urbe facta erat, ut, quia multis actiones et *res* peribant, cogerentur praetores .... *res* in diem tricesimum differre.

40. 49. 1: (cum) alii voluntate, alii metu iugum *acciperent*, centum tria oppida intra paucos dies in deditionem *accepit*....

41. 8. 5/6: legati Sardorum .... et L. Minucius Thermus .... in *senatum* venit. ab his edoctus est *senatus*, quantum belli eae provinciae haberent. Moverunt *senatum* et legationes socium nominis Latini, ..., tandem in *senatum* introductae.
21. 5/6: qui superaverant, longinquo, *maxime* quartanae, implicabantur morbo. servitia *maxime* moriebantur. (Cf. infra 43. 20. 2/3).

42. 7. 8/9: pugna tam pervicax multos absumpserat Ligurum, et in fuga *passim caesi* sunt. decem milia hominum *caesa* traduntur, amplius septingenti *passim* capti .... [2]).

---

1) Sic codex Moguntinus et in altera ed. Weidm. Weissenborn, cui non persuasit Madvig Livium scripsisse: „iam capta a Gallis quo redempta urbs est?" Etiam H. J. Müller in tertia editione servavit urbis nomen et in Abl. abs. et subiecti loco positum.

2) Inclusit hoc „passim" Madvig, quem secutus est Weissenborn in altera ed. Weidm..

43. 20. 2/3: (responsum tulerunt) ad conandum id quod velit pecuniam *maxime* deesse. haec Stuberram rettulere regi tum *maxime* captivos ex Illyrico vendenti. (Cf. supra 41. 21. 5/6).

22. 1/2: eo die ad finem agri Aetolici *castra posita.* inde altero die ad Stratum perventum; ubi prope Inachum amnem *castris positis* ...., clausas portas .... invenit.

44. 31. 6: praetor Romanus, quia prima *successerant* prospere, ..., instructo exercitu ad moenia *succedit.* (Cf. supra 22. 28. 10/2).

45. 31. 4: tria genera principum in *civitatibus* erant; duo, quae adulando aut Romanorum imperium aut amicitiam regum sibi privatim opes oppressis faciebant *civitatibus*; ..... (Cf. supra 1. 17. 4).

33. 1: Edito ludicro *omnis generis* clupeisque aereis in naves inpositis cetera *omnis generis* arma cumulata in ingentem acervum .... succendit.

41. 6/7: rex *ipse* tradentibus prope *ipsis* dis in templo Samothracum cum liberis est captus. mihi quoque *ipsi* nimia iam fortuna videri ..... (Cf. supra 1. 47. 6).

42. 1: haec tanto dicta *animo* magis confudere audientium *animos* quam si miserabiliter .... locutus esset. (Cf. supra 1. 17. 4).

Disputatione ad finem perducta — neque enim opus esse rebar summam eius facere; quam si quis tamen requirat, is iterum legat quae scripsi de Verg. Ae. 6. 684/5 — cum dolore cogitabam eum virum iam non esse inter vivos, cui hoc qualecumque opusculum quasi promisissem ut amico et hortatori, probare speravissem ut magistro et huius Bibliothecae custodi, nunc igitur fas est ut pro inferiis offeram: Samuelem dico Adrianum Naber.

VARIA.

(AD PROPERTIUM, TACITUM, TIBULLUM).

SCRIPSIT

J. W. BECK.

Prop. II 12, 13 sqq.:

In me tela manent, manet et puerilis imago:
Sed certe pennas perdidit ille suas,
15 Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi iocundum est siccis habitare medullis?
Si puer est alio traice puella tuo. (?)
Intactos isto satius temptare veneno:
20 Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea.

Ex variis codicum lectionibus [1]) haud dubie colligitur versum 18 in archetypo, ita ut supra scripsi, traditum fuisse. Quae quam absurda sint, prima fronte nemo non videt. Primum displicent illa 'si puer est', ubi expectamus 'si puer es', tum illud vocabulum 'puella' maxime nos offendit. Unde tale monstrum ortum est? Ut statim dicam quid censeam, videtur mihi corruptela, ut saepissime fit, nata esse ex male auditis vocibus hisce:

si puer es tu alio traice bella tua.

Quas librarius sic tradidit: *si puer est alio traice uella tua,* quae verba pro viribus correxit archetypi auctor: si puer est alio traice puella tuo, ex 'uella' aliquid quod saltem intellegeret contexens, deinde 'tua' levi mutatione (*tuo*) male cum 'alio' conectens.

---

1) *pudor* V_2, *puer* O — *est* O — *alio* O — *puella tuo* O (*loco* N m. rec.) — *tela puer* V_2.

Sed 'puer' hoc loco Amor [1]) est ipse: cf. imprimis I 9, 21: ..... pueri totiens arcum sentire medullis (cf. I 6, 23 puer iste, I 7, 15 p. hic, I 19, 5 noster p., III 30, 28 ille p.); 'est alio' ex male auditis 'es tu alio' orta sunt; 'traice' apud Propertium trium syllabarum est: cf. Hosius, Prop. El. p. 182. Condemnanda igitur et ob alias et ob hanc causam quae Phillimore proposuit: si puer est, animo traice puella tuo. Neque Hosii 'si pudor est' (V_2) huic loco subsidio esse potest. Nam ut alibi suum locum obtineat, huc minime quadrat (cf. I 9, 33 quare, si pudor est, quam primum errata fatere). B et V litterae interdum in traditione commutabantur; unde *uella* pro *bella*: cf. IV 1, 33 *uiol(a)e* omnes codd.; legendum *Bovillae*, unde *boilae*: *uoilae*, *uiolae* traiectis vocalibus natum est: Praef. Ed. Birtianae cod. Neapolitani (p. xxii).

Sic denique explicandus hic versus: si tu re vera Amor es, noli siccis habitare medullis, sed bella tua (cf. vs. 16), quae assiduus meo sanguini (cf. Hosius p. 187) geris, alio traice! Praestat 'intactos' temptare isto tuo veneno (vs. 19), nam nunc non ego, sed tenuis umbra mea a te vexatur.

Tac. Ann. XII 49: in cod. M:

Erat Cappadociae procurator Iulius Paelignus, ignavia animi et deridiculo corporis iuxta despiciendus, sed Claudio perquam familiaris, cum privatis olim c̄usationes curaret, iners otium oblectaret.

Lipsius legebat: 'cum privatus olim conversatione scurrarum ...' Hoc est corrigere scriptorem, non emendare. Res, ut opinor, levissimi generis est. Deme solum litteram *s* finalem substantivi *privatis* et locus sanus evadit.

Ante omnia hoc tenendum est Tacitum, qui *σεμνῶς* scribere solebat, sordida vocabula quantum poterat vitare. De qua re Norden, Kunstprosa I p. 331 pauca adnotavit hoc exemplum Taciti non tangens. 'Conversationes' pro vulgari „consuetudines' dicitur (cf. Plauti Ps. 64: nunc nostri amores, mores, consuetudines | iocus ludus, sermo, suavisaviatio | compressiones artae amantum comparum, cet.).

---

1) Vocabulo 'amor' poeta hoc loco uti non potuit.

Verbum illud 'curaret' minime delendum esse videtur, quia T. significat Cappadociae procuratorem olim aliam provinciam 'curasse'; cf. Suet. Claud. 5: abiecta spe dignitatis (sc. Tiberio imperante) ad *otium* concessit, modo in hortis et suburbano, modo in Campaniae secessu delitescens, atque ex contubernio *sordidissimorum hominum* super veterem segnitiae notam ebrietatis quoque et aleae infamiam subiit.

Praeterea ne deleatur *ὁμοιοτέλευτον curaret — oblectaret* (paronomasia cf. ann. XII 18 cultu vultuque).

Causa autem levis corruptelae est littera *s* finalis in hac sententia toties repetita, ut vitio loquendi haec littera etiam locum vetitum occuparet.

Tib. I 4, 41—44 (Priapus de puero quodam amato poetae suadet et haec):

41 Ne [1]) comes ire neges, quamvis via longa paretur
42 Et Canis arenti torreat arva siti,
43 Quamvis praetexens picta ferrugine caelum
44 Venturam mittat [2]) imbrifer arcus aquam.

In his versibus nihil est quod offendat praeter unum illud vocabulum vs. 44' secundum, quod supra correxi [3]). De coniecturis vide Class. Quarterly Vol. VI 3 (1912); optima omnium est ea, quam amicus v. Wageningen proposuit (*alliciat* et sic cum nota interrogat. Th. L. L.). Videtur mihi haec lectio, quod ad rem palaeographicam attinet, ratione habita codicum recentiorum et archetypi XIV fere saeculi non facile posse defendi. Unicum verbum quod et lectionibus traditis et sententiae, quam hic locus poscit, respondet, est 'mittat' sc. ad caelum, cf. Seneca N.Q. I 6, 1 'vehere' et Ovid. Met. I 271 'afferre' (concipit iris aquas alimentaque nubibus adfert). Ex hoc vocabulo omnes corruptas lectiones explicare possis: *venturāmittat* vel *venturammittat* et ad 'amiciat' et ad 'admittat' et ad 'annutiat' ducere potuit.

1) *Neu* O.
2) *amiciat* A *annutiat* GV; *annutet* g *admittat* V 2 superscr.
3) De syll. brevi in caesura producta cf. Luc. Müller, Praef. Tib. p. XXXI, quocum non consentio; cf. et Praef. Prop. p. LI.

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex pag.* 134).

CV.

DE IUDICIIS IN REM DUPLICIBUS.

Pars altera.

Praedii quoque possessor Germanorum institutis auctorem sistere debet, quum convenitur [1]); nisi in ea causa sit, ut auctoris datio remitti ei debeat. Remittitur enim, qui hereditario iure se defendit [2]), non hercle ex abundanti, quae opinio est Rudolphi Hübner [3]), poterat enim dare auctorem testatoris sui; sed, sicuti diximus, remittitur ei auctoris datio. Potest praeterea ex privilegio remissa esse auctoris datio, cuius privilegii formam servavit nobis Marculphus [4]); est autem talis. Conceditur ecclesiae cuidam, ut post mortem donatorum vel venditorum suorum, *si absque heredibus de hac luce discesser(i)nt, si* deinde *aliquis per quodlibet ingenium* de praediis donatis vel venditis *e(a)m in-*

1) Brunner, *Forschungen* (1894) p. 641: *„der bekannte Satz, ... dass der Beklagte, der sich nicht auf rechte Gewere berufen kann, im Grundstücksprozess seinen Auktor zu Ding bringen muss"*. Remittit ad Marculph. I 36, cui testimonio frustra resistit Tamassia, *Archivio giur.* 72 (1904) p. 460, 462/3.

2) Capitul. 278 § 8: *de . . . . legitima hereditate non est auctoritas requirenda.*

3) *Immobiliarproz.* p. 114: *„dass verstorbene Erblasser nicht herangezogen werden konnten, hat sich immer von selbst verstanden"*.

4) I 36.

Neque latuit res ante Drakenborch nec post eum abiit in oblivionem; H. J. Müller certe et alibi de ea monuit et in explicando 1. 53. 4 universe scripsit Livianam esse eam repetitionem quae fiat sive perspicuitatis causa, sive ut vitetur pronomen, sive propter festinationem, exempla autem utilia aliquot indicavit in annotatione de 4. 61. 8. Utilia, inquam, exempla Müller ibi indicavit; non omnia tamen quae contulit mea facere potui. Quod idem valet in copiam haud sane parvam quam congessit Drakenborch eo maxime loco quem dixi, cuius copiae magna aut maior pars non dubito quin debeatur Livii curae et studio, ego autem — quod iterum dico — eius tantum repetitionis ingratae exempla adhibere decrevi, quam non quaesitam esse putarem, adeo ut admonitus ipse scriptor fortasse eam reprehensurus et correcturus mihi videretur. Quo in numero sunt:

Liv. 1. 1. 3/5: (satis constat) Enetos Troianosque eas *tenuisse* terras. .... Aeneam .... ab Sicilia classe ad Laurentem agrum *tenuisse*. .... ibi egressi Troiani ...., cum praedam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea *tenebant* loca, ... concurrunt.

17. 4: timor deinde patres incessit, ne *civitatem* sine imperio, exercitum sine duce multarum circa *civitatium* inritatis *animis* vis aliqua externa adoriretur. et esse igitur aliquod caput placebat, et nemo alteri concedere in *animum* inducebat. (Cf. infra 45. 31. 4; 22. 5. 8, 45. 42. 1).

32. 7/9: [*peragit* deinde postulata. inde Iovem testem facit: 'si .... esse'. haec cum fines suprascandit, ..., haec forum ingressus paucis verbis carminis concipiendique iuris iurandi mutatis *peragit*] [1]). si non deduntur quos exposcit, diebus tribus et triginta — tot enim sollennes sunt — *peractis*, bellum .... indicit.

47. 6: iuvenem instigat nec conquiescere *ipsa* potest, si, cum Tanaquil .... tantum moliri potuisset animo ...., *ipsa* .... nullum monumentum .... faceret. (Cf. infra 45. 41. 6/7).

53. 4: Gabios propinquam *urbem* nequiquam vi adortus, cum obsidendi quoque *urbem* spes .... adempta esset, postremo .... fraude ac dolo adgressus est.

---

1) Quod ne ter quidem dictum displiceat: de his uncinis vide supra p. 411.

59. 2/3: cultrum deinde Conlatino tradit, inde Lucretio ac Valerio stupentibus *miraculo rei* .... elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt concientque *miraculo,* ut fit, *rei* novae atque indignitate homines.

2. 18. 3/4: triginta iam coniurasse populos .... *satis constabat.* In hac tantarum expectatione rerum sollicita civitate dictatoris primum creandi mentio orta. sed nec quo anno nec quibus consulibus .... parum creditum *sit,* nec quis primum dictator creatus *sit, satis constat.*

21 in./22 in.: Triennio deinde *nec* certa *pax nec bellum fuit* .... Cum Volscorum gente Latino bello *neque pax neque bellum fuerat.*

23. 14: iam prope erat ut *ne* consulum *quidem* maiestas coerceret iras hominum, cum incerti, morando an veniendo plus periculi contraherent, *tandem* in senatum *veniunt*; frequentique *tandem* [1]) curia non modo inter patres, sed *ne* inter consules *quidem* ipsos ratio con*veniebat.*

48. 5: At a Veiente hoste clades accepta .... actumque de exercitu foret, ni Caeso Fabius in *tempore* subsidio *venisset.* ex eo *tempore* neque pax neque bellum cum Veientibus fuit; res proxime in formam latrocinii *venerat.*

3. 38. 11: indignitate *rerum* cesserant in agros suarumque *rerum* erant amissa publica.

4. 55. 4: nuntii veniunt *arcem* Carventanam .... Aequos interfectis paucis custodibus *arcis* invasisse; alios recurrentes in *arcem,* alios palantes in agris caesos.

61. 6/8: [praeterque *arcem* cetera capta; in *arcem* munitam natura globus armatorum concessit; infra *arcem* caesi captique multi mortales.] *arx* deinde obsidebatur; nec aut vi capi poterat .... aut spem dabat deditionis omni publico frumento .... in *arcem* convecto; taedioque recessum inde foret, ni servus *arcem* Romanis prodidisset. (Cf. infra 9. 24. 11 et 29. 6. 10).

---

1) Dubito utrum studiose Livius hoc adverbium repetiverit eamque repetitionem litteris obliquis significare ego non debuerim, an, quod opinatus est H. J. Müller in septima certe editione, fortuito; mutare vero alterum „tandem" cum J. Fr. Gron. et J. Periz. non ausim nec delere cum Wesenberg, Madvig, M. Müller aliisque.

27

5. 44. 1: Ardeates, inquit, veteres amici, novi etiam cives mei, quando et *vestrum* beneficium ita tulit et fortuna hoc eguit mea: nemo *vestrum* condicionis meae oblitum me huc processisse putet.

54. 4: non sine causa di hominesque hunc urbi condendae *locum* elegerunt: saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis *locis* fruges devehantur, ..., regionem Italiae mediam, ad incrementum urbis natum unice *locum*.

8. 10. 9/10: castra secundum proelium capta multique mortales ibi vivi *oppressi*. .... Decii corpus ne eo die inveniretur, nox quaerentes *oppressit*.

11. 13: [Latium Capuaque *agro* multati. Latinus *ager*] Privernati addito *agro*, et Falernus .... plebi Romanae dividitur.

9. 24. 11: trepidi magistratus missis ad *arcem* exploratoribus cum tela et armatos tenere *arcem* multiplicato numero audirent, avertunt animos a spe recuperandae *arcis*. (Cf. supra 4. 61. 6/8.)

27. 8/9: dextra pars .... latius patefacta *stetit*; sinistris, praeterquam quod confertiores *steterant* .... additae vires. ....

21. 24. 4: [et accepturum eos in castra sua se laetum nec cunctanter se ipsum ad eos *venturum*; hospitem enim se Galliae, non hostem ad*venisse*] nec stricturum ante gladium, si per Gallos liceat, quam in Italiam *venisset*.

22. 5. 8: *animus* suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat; tantusque fuit ardor *animorum*, adeo intentus pugnae *animus* ut eum motum terrae .... nemo pugnantium senserit [1]). (Cf. infra 45. 42. 1, supra 1. 17. 4).

28. 10/2: principio levem armaturam di*mittit*, deinde conferto agmine *mittit* [2]) equites; postremo, cum hostibus quoque subsidia *mitti* videret, instructis legionibus procedit. et Hannibal laborantibus suis .... *mittens* auxilia .... iam iustam expleverat aciem, ac totis utriumque viribus certatur. prima levis armatura Romanorum .... *succedens* tumulum, pulsa detrusaque terrorem in *succedentem* [3]) intulit equitem. .... (Cf. infra 24. 19. 6 et 44. 31. 6).

---

1) „animorum" Doujat et Hearne omiserunt, „animus" delevit Madvig.

2) „mittit" delevit Ruperti, „dimittit" Madvig J. F. Gronovium secutus.

3) „subsequentem", quod scribendum existimavit Madvig, edidit Riemann.

24. 13. 7: ut nihil *procedebat,* ad populandum agrum Neapolitanum magis ira quam potiundae urbis spe *processit.*

19. 6: cum multa *succedentes* temere moenibus Romani milites acciperent vulnera neque satis inceptum *succederet,* Fabius omittendam rem .... censebat. (Cf. supra 22. 28. 10/2).

26. 17. 2: eum exercitum Puteolis in *naves* inpositum Nero in Hispaniam transportavit. cum Tarraconem *navibus* venisset expositisque ibi copiis et *navibus* subductis socios quoque navales .... armasset, ... (Cf. infra 27. 22. 9 et 12).

25. 4/5: memor Aetolici .... *belli* .... in Thessaliam descendit, ubi [1]) ad *bellum* secum adversus Aetolos capessendum incitari posse homines credebat.

50. 14: *dilectu* clientium habito cum *delectis* mille et quadringentis equitibus .... ad Scipionem revertit.

27. 22. 9: (decretum est) M. Valerius Laevinus .... classem, quae ad Siciliam erat, *navium* septuaginta obtineret, adderet eo triginta *naves,* quae ad Tarentum priore anno fuerant; cum ea centum *navium* classe .... in Africam traiceret.

12: P. Licinio Varo .... negotium datum, ut *naves* longas triginta veteres reficeret, quae Ostiae erant, et viginti novas *naves* sociis navalibus compleret, ut quinquaginta *navium* classe oram maris. .... tueri posset.

Omnem offensionem Livius vitasset, si scripsisset in 9: „adderet eo triginta, quae fuerant", in 12: „viginti novas sociis navalibus compleret". Non neglegenter tamen forsitan nomen substantivum addiderit, sed nimis diligenter secundum sermonem decretorum. Ceterum cf. supra 26. 17. 2.

29. 6. 2: spes autem adfectandae eius *rei* ex minima *re* adfulsit. latrociniis magis quam iusto bello in Bruttiis gerebantur *res.*

10: scalas ad editam altitudinem *arcis* fabricatas portantes .... signum dedere proditoribus *arcis.* (Cf. supra 4. 55. 4 et 61. 6/8).

30. 3/5: cum ad fines regni per*venisset,* quingenti ferme Numidae ad eum *convenerunt.* igitur Mauris inde, sicut *convenerat,* retro ad regem remissis, quamquam aliquanto minor spe multitudo nec cum qua tantam rem adgredi satis

---

1) Sic dubitanter Luchs.

auderet, *convenerat*, ... regulo ad Thapsum occurrit.
11/2: missis qui .... Mazaetullo praeter inpunitatem sua *omnia* cum fide restitui sponderent, ambo praeoptantes exilio modicam domi fortunam, *omnia*, ne id fieret, Carthaginiensibus de industria agentibus, ad sese perduxit.

34. 5. 9: [nonne id agmen, quo obruta haec *urbs* esset, matronae averterunt? iam *urbe* capta a Gallis,] quo redempta *urbs* est? nempe aurum matronae consensu omnium in publicum contulerunt [1]).

36. 31. 6: auditis legatis *extemplo* profectus Quinctius a Megalopoli ad Diophanem praetorem Achaeorum misit, qui *extemplo* reducere eum a Messene exercitum et venire ad se iuberet.
42. 4/5: pergit *protinus* navigare Peloponnesum. Samen Zacynthumque, quia partis Aetolorum maluerant esse, *protinus* depopulatus Maleam petit.

38. 22. 2: flexere *iter* in partem montis quae una habebat *iter*....

39. 18. 1: tanta fuga ex urbe facta erat, ut, quia multis actiones et *res* peribant, cogerentur praetores .... *res* in diem tricesimum differre.

40. 49. 1: (cum) alii voluntate, alii metu iugum *acciperent*, centum tria oppida intra paucos dies in deditionem *accepit*....

41. 8. 5/6: legati Sardorum .... et L. Minucius Thermus.... in *senatum* venit. ab his edoctus est *senatus*, quantum belli eae provinciae haberent. Moverunt *senatum* et legationes socium nominis Latini, ..., tandem in *senatum* introductae.
21. 5/6: qui superaverant, longinquo, *maxime* quartanae, implicabantur morbo. servitia *maxime* moriebantur. (Cf. infra 43. 20. 2/3).

42. 7. 8/9: pugna tam pervicax multos absumpserat Ligurum, et in fuga *passim caesi* sunt. decem milia hominum *caesa* traduntur, amplius septingenti *passim* capti .... [2]).

---

1) Sic codex Moguntinus et in altera ed. Weidm. Weissenborn, cui non persuasit Madvig Livium scripsisse: „iam capta a Gallis quo redempta urbs est?" Etiam H. J. Müller in tertia editione servavit urbis nomen et in Abl. abs. et subiecti loco positum.

2) Inclusit hoc „passim" Madvig, quem secutus est Weissenborn in altera ed. Weidm..

43. 20. 2/3: (responsum tulerunt) ad conandum id quod velit pecuniam *maxime* deesse. haec Stuberram rettulere regi tum *maxime* captivos ex Illyrico vendenti. (Cf. supra 41. 21. 5/6).
22. 1/2: eo die ad finem agri Aetolici *castra posita.* inde altero die ad Stratum perventum; ubi prope Inachum amnem *castris positis* ...., clausas portas .... invenit.

44. 31. 6: praetor Romanus, quia prima *successerant* prospere, ..., instructo exercitu ad moenia *succedit.* (Cf. supra 22. 28. 10/2).

45. 31. 4: tria genera principum in *civitatibus* erant; duo, quae adulando aut Romanorum imperium aut amicitiam regum sibi privatim opes oppressis faciebant *civitatibus*; ..... (Cf. supra 1. 17. 4).
33. 1: Edito ludicro *omnis generis* clupeisque aereis in naves inpositis cetera *omnis generis* arma cumulata in ingentem acervum .... succendit.
41. 6/7: rex *ipse* tradentibus prope *ipsis* dis in templo Samothracum cum liberis est captus. mihi quoque *ipsi* nimia iam fortuna videri ..... (Cf. supra 1. 47. 6).
42. 1: haec tanto dicta *animo* magis confudere audientium *animos* quam si miserabiliter .... locutus esset. (Cf. supra 1. 17. 4).

Disputatione ad finem perducta — neque enim opus esse rebar summam eius facere; quam si quis tamen requirat, is iterum legat quae scripsi de Verg. Ae. 6. 684/5 — cum dolore cogitabam eum virum iam non esse inter vivos, cui hoc qualecumque opusculum quasi promisissem ut amico et hortatori, probare speravissem ut magistro et huius Bibliothecae custodi, nunc igitur fas est ut pro inferiis offeram: SAMUELEM dico ADRIANUM NABER.

VARIA.

(AD PROPERTIUM, TACITUM, TIBULLUM).

SCRIPSIT

J. W. BECK.

Prop. II 12, 13 sqq.:

In me tela manent, manet et puerilis imago:
  Sed certe pennas perdidit ille suas,
15 Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam,
  Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi iocundum est siccis habitare medullis?
  Si puer est alio traice puella tuo. (?)
Intactos isto satius temptare veneno:
20 Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea.

Ex variis codicum lectionibus [1]) haud dubie colligitur versum 18 in archetypo, ita ut supra scripsi, traditum fuisse. Quae quam absurda sint, prima fronte nemo non videt. Primum displicent illa 'si puer est', ubi expectamus 'si puer es', tum illud vocabulum 'puella' maxime nos offendit. Unde tale monstrum ortum est? Ut statim dicam quid censeam, videtur mihi corruptela, ut saepissime fit, nata esse ex male auditis vocibus hisce:

si puer es tu alio traice bella tua.

Quas librarius sic tradidit: *si puer est alio traice uella tua,* quae verba pro viribus correxit archetypi auctor: si puer est alio traice puella tuo, ex 'uella' aliquid quod saltem intellegeret contexens, deinde 'tua' levi mutatione (*tuo*) male cum 'alio' conectens.

---

1) *pudor* V_2, *puer* O — *est* O — *alio* O — *puella tuo* O (*loco* N m. rec.) — *tela puer* V_2.

Sed 'puer' hoc loco Amor [1]) est ipse: cf. imprimis I 9, 21: ..... pueri totiens arcum sentire medullis (cf. I 6, 23 puer iste, I 7, 15 p. hic, I 19, 5 noster p., III 30, 28 ille p.); 'est alio' ex male auditis 'es tu alio' orta sunt; 'traice' apud Propertium trium syllabarum est: cf. Hosius, Prop. El. p. 182. Condemnanda igitur et ob alias et ob hanc causam quae Phillimore proposuit: si puer est, animo traice puella tuo. Neque Hosii 'si pudor est' (V_2) huic loco subsidio esse potest. Nam ut alibi suum locum obtineat, huc minime quadrat (cf. I 9, 33 quare, si pudor est, quam primum errata fatere). B et V litterae interdum in traditione commutabantur; unde *uella* pro *bella*: cf. IV 1, 33 *uiol(a)e* omnes codd.; legendum *Bovillae*, unde *boilae*: *uoilae*, *uiolae* traiectis vocalibus natum est: Praef. Ed. Birtianae cod. Neapolitani (p. XXII).

Sic denique explicandus hic versus: si tu re vera Amor es, noli siccis habitare medullis, sed bella tua (cf. vs. 16), quae assiduus meo sanguini (cf. Hosius p. 187) geris, alio traice! Praestat 'intactos' temptare isto tuo veneno (vs. 19), nam nunc non ego, sed tenuis umbra mea a te vexatur.

Tac. Ann. XII 49: in cod. M:

Erat Cappadociae procurator Iulius Paelignus, ignavia animi et deridiculo corporis iuxta despiciendus, sed Claudio perquam familiaris, cum privatis olim c̄usationes curaret, iners otium oblectaret.

Lipsius legebat: 'cum privatus olim conversatione scurrarum ...' Hoc est corrigere scriptorem, non emendare. Res, ut opinor, levissimi generis est. Deme solum litteram *s* finalem substantivi *privatis* et locus sanus evadit.

Ante omnia hoc tenendum est Tacitum, qui *σεμνῶς* scribere solebat, sordida vocabula quantum poterat vitare. De qua re Norden, Kunstprosa I p. 331 pauca adnotavit hoc exemplum Taciti non tangens. 'Conversationes' pro vulgari „consuetudines' dicitur (cf. Plauti Ps. 64: nunc nostri amores, mores, consuetudines | iocus ludus, sermo, suavisaviatio | compressiones artae amantum comparum, cet.).

---

1) Vocabulo 'amor' poeta hoc loco uti non potuit.

testimonium ad firmandam eam sufficit [1]). Non enim Francorum iure omnis regia charta, id est, quae se regiam adserit, pro genuina habetur, nec is sensus est legis Ripuariae 60 § 6: *quodsi testamentum* [2]) *regi(um) absque contrario testamento fals(u)m clamaverit, non aliunde quam de vita componat.* Sequitur enim (§ 7): *quodsi duo testamenta regum ex* (= in) *una(m) rem extiteri(n)t, semper prior duplicem sortiatur portionem* [3]). Ergo, qui habet contrarium testamentum, ei permittitur vel bessem vel trientem rei vindicare; consequens est interdicto contineri, ne quis in rem agat, quam rem testamento rex donaverit, absque contrario testamento, id est, ne quis impugnet regis voluntatem et donatoris, quemadmodum graviter multatur lege Salica [4]), si quis in causa migrantis *contra ordinationem regis testare praesumpserit.* Pertinet igitur legis Ripuariae comminatio non proprie ad eos qui *falsa clamant* regia testamenta, sed qui adversus regium testamentum litigant [5]). Unde simul apparet, quo sensu regia testamenta apud Francos publicam fidem habuisse dici possint [6]), id est, non, ut credatur iis omnimodo sicut hodie apud Transrhenanos praediorum monumentis [7]), sed ut omnimodo pareatur. Alioquin iure Ripuario, qui chartam falsam dicit nec transpungit, is (59 § 2) *a testibus convincitur* (58 § 5) *quod sciunt dic(entibus)* [8]), sin transpungit, sive archidiaconus chartam scrip-

---

1) Brunner, *Rechtsgesch.* II (1892) p. 420³ (laudat ibi Gregor. Turon. X 19 (p. 432, 6-11), unde tamen colligitur potius ad refellendam chartam sufficere referendarii testimonium. Sed non dubito, quin illud quoque verum sit). Cf. id. ibid. p. 113; I (1906) p. 566; Bresslau, *Handbuch der Urkundenlehre* I (1912) p. 642-646.

2) I. e. instrumentum.

3) Atqui *GU* 31 et 63 videtur priori tota res attribui. Ergo propius accedit *GU* 421a („*auf Grund der* lex Gothorum").

4) 14 § 4.

5) Cf Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 420: „*die Königsurkunde . . . war unanfechtbar*"; Hübner, *Immobiliarproz.* p. 71, 87⁴, 138³. Recte quidem Schroeder, *Rechtsgeschichte* (1907) p. 274: „*ihre Echtheit vorausgesetzt*, (*war die Königsurkunde*) *unanfechtbar*". „*Die Anfechtung einer echten Königsurkunde war mit Todesstrafe bedroht*".

6) Cf. Hübner, *Immobiliarproz* p. 138: „*bekanntlich genossen Königsurkunden öffentlichen Glauben*".

7) Cf. e. g. *Motive zu dem B. G.-B.* III (1888) p. 209.

8) Cf. l. Alamann. 2 § 1 (atque de *presbytero*: Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 423 not. 17).

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(*Continuantur ex pag.* 134).

CV.

DE IUDICIIS IN REM DUPLICIBUS.

Pars altera.

Praedii quoque possessor Germanorum institutis auctorem sistere debet, quum convenitur [1]); nisi in ea causa sit, ut auctoris datio remitti ei debeat. Remittitur enim, qui hereditario iure se defendit [2]), non hercle ex abundanti, quae opinio est Rudolphi Hübner [3]), poterat enim dare auctorem testatoris sui; sed, sicuti diximus, remittitur ei auctoris datio. Potest praeterea ex privilegio remissa esse auctoris datio, cuius privilegii formam servavit nobis Marculphus [4]); est autem talis. Conceditur ecclesiae cuidam, ut post mortem donatorum vel venditorum suorum, *si absque heredibus de hac luce discesser(i)nt, si* deinde *aliquis per quodlibet ingenium* de praediis donatis vel venditis *e(a)m in-*

---

1) Brunner, *Forschungen* (1894) p. 641: *„der bekannte Satz, ... dass der Beklagte, der sich nicht auf rechte Gewere berufen kann, im Grundstücksprozess seinen Auktor zu Ding bringen muss"*. Remittit ad Marculph. I 36, cui testimonio frustra resistit Tamassia, *Archivio giur.* 72 (1904) p. 460, 462/3.

2) Capitul. 278 § 8: *de .... legitima hereditate non est auctoritas requirenda.*

3) *Immobiliarproz.* p. 114: *„dass verstorbene Erblasser nicht herangezogen werden konnten, hat sich immer von selbst verstanden"*.

4) I 36.

quietare voluerit, licentiam habe(a)t in [1]) *vice auctorum suorum ips(a) .... eorum* praediorum *causas adsumere.* Ergo licentia ei tribuitur *adsumendi* [2]) *vel obmallandi* [3]) *et per eorum* [4]) *instrumenta aut de annis rem, unde tunc a quolibet inquietari vide(bi)tur, partibus ecclesiae .... contra quemcumque saciendi* [5]). Est in hac formula nodus, quem manifestat quidem Huebner [6]), non vero solvit. *De annis*, permittitur ecclesiae, sine auctore ut sibi *saciat*, quum longi temporis praescriptio hoc saltem praestare debere videatur, ut quis auctoris dandi necessitate solutus sit, quod videtur Huebnero irrefragabile, docet enim natura hoc fieri [7]), fieri simpliciter docuerat Heusler [8]). Opinio Huebneri eo videtur innixa, quod solam arbitratur possessionem ad praescriptionem sufficere, quo admisso nihilomagis absurdum fuerit auctoris dationem exigi ab eo, qui ex persona auctoris, non sua, obicit praescriptionem [9]), quive uti vult possessionis adiectione [10]). Atqui de hoc ipso, utrum possessio sola ad praescriptionem sufficiat, dispiciendum est [11]). Sed requiritur titulus apud Chlotarium II [12]), potuit igitur eodem modo auctor requiri et apud Marculphum datio eius remitti *de annis* vindicanti; hoc tantum

---

1) *In* abundat.

2) I. e. *respondendi* (quod in inferioribus substituitur).

3) I. e. defendendi (capitul. 142 (l. Sal. VII) § 7; form. Merk. 28). Decepit et Carolum du Cange et Rudolphum Huebner (*Immobiliarproz.* p. 112 lin. 7) theologus Auxilius.

4) *Eorum* abundat.

5) I. e. vindicandi (cf. Brunner, *zur Rechtsgesch. der Urk.* I (1880) p. 284/5; Bruckner, *Charakteristik der germ. Elemente im italienischen* (1899) p. 24).

6) *Immobiliarproz.* p. 112: „*der Privilegierte darf sich, wie wenn er selbst der erste Erwerber wäre, auf originären (E)rwerb .... berufen*".

7) *Immobiliarproz.* p. 149: „*beruft sich der Besitzer auf langen Besitz, so ist es ja .... von selbst klar, dass er es gerade dadurch vermeidet .... den Rechtstitel .... angeben zu müssen*".

8) *Gewere* p. 80: „*der Beweis dreiszigjähriger Rechtsübung befreit von der Pflicht, sich über seinen Besitztitel zu verantworten*". Locum exscripsit Hübner, *Immobiliarproz.* p. 80.

9) Hoc fit *GU* (= Hübner, *Gerichtsurkunden der fränkischen Zeit*) nis. 373; 931. Et hic et ubique laudamus τὰ πρωτότυπα, numquam viri clarissimi indices.

10) Fit *GU* 452 (Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 517 not. 28); 495; 770.

11) Dispiciendum esse, vidit Heusler, quaesivit tamen (*Gewere* p. 83/4) de solo Langobardorum iure. Est praeterea eius falsissima antiquorum iudicum doctrinae (Expos. (§ 3) Grim. 4) interpretatio.

12) Capitul. 8 § 13. — De iure Longobardico vid. infra.

terest, quia sicut ille non praestat ius, si negatur quaesitum, ita ne hic quidem veritatem chartae, si falsa dicitur. Quamquam putat Heusler [1]), quum quis chartam habeat, auctorem iuris ideo sistendum, ut chartae veritatem atque per hanc ius defendat (*„so ist die Thätigkeit des Auktors Rechtfertigung des Beweismittels, und darin eingeschlossen Gewährschaft des Rechts"*), quasi vero iuris auctor chartae veritatem defendere possit aut debeat. Sistitur iuris auctor aut post chartae reprobationem [2]) aut non reprobata charta [3]). Post reprobationem veram facere chartam qui posset? non reprobata charta quid attineret? Hoc quidem vitavit Brunner [4]), sed docet ipse, quum charta reprobetur nec defendatur, tunc iuris auctorem in alterius auctoris locum succedere (*„so haben* (*der Aussteller der gescholtenen Urkunde oder sein Erbe*) *als Gewährsmänner an Stelle des* .... cancellarius (*Entsteh. der Schwurger. p.* 64[5]: (*dessen*) *Gewährschaft versagt*) *die Vertheidigung zu führen"*), quod aeque sensu caret. Non enim succedit iuris auctor in locum alterius auctoris, sed superest iuris nomine auctoris datio, perinde quasi nulla charta ostensa esset. In errorem induxit utrumque legis Ripuariae textus [5]): *quodsi v(e)nd(i)t(o)r vel hered(e)s su(i) supervixerint, ipsi testamentum* [6]) *virire* [7]) *debent* [8]) *aut multam* [9]) *incurrere*, ubi iam confunditur instrumenti et proprietatis defensio. Apparet, quam falsa sit opinio, tunc iuris auctorem sistendum esse, quum charta dicatur falsa. Manet prima: tunc opus esse, quum ius possessoris pendeat ex iure auctoris, et tertia: tunc sistendum

---

6 dicitur auctor *cartulae*, intelligitur proprietatis auctor. Similiter *re(m)* et *scripturam auctoricare* alternatur (quod observavit Heusler, *Gewere* p. 500) in *GU* no. 359. Fit similiter in *GU* no. 520.

1) *Gewere* p. 500.

2) L. Rip. 58 § 6.

3) Quodsi charta etiam vera facta sit, iam non videtur ulla actio superesse, licet possit vera esse, nec tamen proprietatis iustus auctor.

4) *Rechtsgesch.* II p. 423.

5) 59 § 6.

6) I. e. instrumentum.

7) I. e. defendere.

8) Licet charta ab adversario falsa dicta sit et possit veritas chartae per cancellarium vel per chartarum comparationem (l. Rip. 59 § 5) approbari. Non videtur hoc intellexisse Huebner, *Immobiliarproz.* p. 113.

9) *Multam* intelligo, *quae in charta scripta est*, ut in capitul. 39 § 7; 104 § 7.

esse, quum ipsius ius in dubium vocatum sit. Sed pendet semper ius possessoris ex iure auctoris, nisi post ipsam comparationem ad praescriptionem tempus suppeditavit [1]), itaque deberet, si prima sententia vera esset, in omnibus speciebus, ubi non comparet auctor, tempus suppeditasse; quod ad tertiam sententiam attinet, in omnibus speciebus, in quibus sistitur auctor nec tamen de iure ipsius disceptatur, dicendum foret, quin dicit Hübner [2]), inopia chartae [3]) ad auctoris dationem descensum. Potest vel hoc vel illud verum esse, videant nihilominus viri docti, an hic quoque conveniat interpretatio, quam de iure Attico proposuimus: auctorem sistendum esse, si postuletur. Quia porro instrumento prolato plerumque auctoris datio non postulatur — cur enim actor postularet, quod sua nihil intersit — evenit, ut pro auctore plerumque charta ostendatur et sit charta auctoris loco. Quamquam displicet sermo Huebnero [4]) („*ich möchte .... nicht mit Heusler mich so ausdrücken, dass (die) Urkunde Ersatz für Stellung des Gewährsmanns geboten habe*"), sed, quidni placeat, non intelligo, quum scribat ipse [5]) initio semper sistendum fuisse auctorem („*dass es eine Zeit gegeben hat, in der diese Vertheidigung die einzige .... war* (p. 131: *in der derivativer Rechtserwerb .... der Klage entgegen gehalten werden konnte*), *dafür sind noch eine Reihe sicherer Anhaltspunkte vorhanden*"). Ergo concedit ipse, ubi olim auctor sistendus fuerit, ibi postea chartam sufficere visam. Apud Longobardos quoque perinde ut apud Transalpinos plerumque charta [6]) ostenditur [7])

---

1) Quod non suppeditavit, auctoris datio imperatur *GU* 722 (*Immobiliarproz.* p. 123). Ex diverso *GU* 373; 452; 495; 770; 931 probat comparator auctorem possedisse, sed, ut videtur, post mortem eius (certo affirmari potest de *GU* 495).

2) *Immobiliarprozess* p. 115/25 passim.

3) „*aus Mangel an andern Beweismitteln*" (p. 120).

4) *Immobiliarproz.* p. 113/4.

5) Op. cit. p. 108.

6) Vel notitia, sed charta multo saepius. Veluti libri Papiensis formulae innumerabiles habent *ecce cartam*; ter tantum invenio *ecce brevem*: (4) Liutpr. 69; (1) Liutpr. 74; (3) Lud. Pii 16. Ex veris litibus cf. *GU* no. 1139, ex reliquis monumentis *GU* 981. *Exemplar* non valet, nisi de autentica aliunde constet (*GU* 642).

7) Hübner, *Immobiliarproz.* p. 134 sqq. — Ex libro Papiensi huc pertinent formulae ad Roth. 170; 233; Carol. 78; Loth. 31; (1) Guid. 5; (1) Guid. 6; (2) Oth. I, 1; (2), (3) Oth. I, 2 (omnes de terra); Roth. 235; (3) Aist. 3 (de libertate).

vel testes traditionis [1]), non auctor [2]), sistuntur, etiamsi extraneus petit [3]); adeoque auctoris datio negligitur, ut in enumerandis defendendi rationibus haec interdum [4]) omittatur [5]). Fuit tamen apud eos res controversa, utrum omnimodo *wadia* [6]) *de auctore danda* essent, an posset *in loco auctoris* possessor *stare* [7]) *et ostend(endo) chartam* se defendere, quod fieri videmus [8]) in form. Liutpr. 77, sed Glossator adnotat, ita fieri *pro usu secundum quosdam asinos, secundum valentes numquam Longobardu(m) sta(re) loco auctoris* [9]). Ceterum fueritne *asinorum* [10]) an *valentium* [11]) recta sententia, an probanda media: tunc permitti possessori auctoris loco ut stet, quum auctor ei *cartam sine defensione fecerit* [12]),

---

1) Ex libro Papiensi cf. form (2) Roth. 67: *probet per scriptum aut per testes*; (3) Roth. 182: *ostendat notitiam aut probet per testes*; (4) Roth. 195: *probet per testes ant per notitiam ant per iudices* (cf Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 394 not. 16). — Interveniunt pro actore *GU* no. 640 (Heusler, *Gewere* p. 35); 674; 682, atque fortasse 648, sed pro possidente *GU* no. 847; 1477.

2) Sed interdum èt charta èt secundum chartam auctor (*GU* 742; 769).

3) Huc pertinent ex libro Papiensi omnes loci quos laudavi, at ex veris litibus, quo remittit Hübner (op. cit. p. 134 sqq.) *GU* 636; 680; 702; 832; 833; 856.

4) Ex libro Papiensi cf. Aist. 22 (in causa libertatis), ex veris litibus *GU* 741, 839, 856 (posteriorem utrumque locum exscripsit Schupfer, *l'Allodio* (1886) § 56. 10), 875, 920, 959. Trans Alpes fit similiter *GU* 334.

5) Fit secus *GU* 763 (quam non plene exscripsit Heusler, *Gewere* p. 58 not. 1) et in privilegio imperatorio Pisano anni 1081 (Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* V p. 379[35]: *et illum, super quem reclamatio venerit de terra, si querentem* (= *garantem*) *habere potuerit vel possessionem per legem iurare voluerit, per pugnam fatigari non sinemus*). Est huic affine privilegium Lucense eiusdam anni (*Archivio storico ital.* X (1847) *Docum.* 1: *si auctorem vel datorem habuerit, per pugnam vel duellum non fatigetur Tricennalem possessionem* ibi interpretor: rem ad tricennalem praescriptionem pertinentem).

6) I. e. pignora.

7) Sunt chartae, quibus id ipsum comparatori ab auctore permittatur (Brunner, *Rechtsgesch.* II p. 516), quocirca negat Schupfer (*l'Allodio* (1886) § 57) rem ad ius publicum pertinere. Sed nulla fuit religio Longobardis, quominus ius publicum pactis mutarent (Kohler, *Urkunden aus Verona* (1883) p. 17 not. ad p. 16), sicut ne Graecis quidem (Demosth. XXXV § 13, § 39; *Inscr. jur. gr.* XV A § 7 (cf. Brasloff, *zur Kenntniss des Volksrechts* (1902) p. 10 not. 1, pertinere qui putat clausulam ad leges nondum latas); Michel (suppl.) 1549 (i. f.); *BGU* 1127).

8) Secus in form. Liutpr. 115.

9) Cf. Hübner, *Immobiliarproz.* p. 127/8.

10) I. e. antiquorum.

11) I. e. Valcausi.

12) Ea videtur esse sententia Expositoris (§ 8) Oth. I, 1. De genere chartae cf. Schupfer, *l'Allodio* (1886) § 56. 13.

ideo minus refert, quia hic quoque apparet successisse chartae prolationem in locum auctoris dationis [1]), et quia iuris Romani et Longobardici non ea summa differentia est [2]), *qu(od) Longobardus semper d(e)t auctorem et numquam st(e)t loco auctoris, at Romanus semper st(e)t loco auctoris et numquam auctorem d(e)t* [3]), sed in eo potius consistit, quod *litigatorum alii ostendunt rem esse suam, unde appellantur, ut rei Longobardi, alii ostendunt rem, unde agunt, suam esse, ut* (*actores*) *Romani* [4]), quod Glossatoris testimonium rerum documentis plene confirmatur [5]). Fuerunt tamen etiam apud Longobardos [6]), qui negarent, hac in re esse differentiam proprii iuris et Romani, proinde neutra lege cogi possessorem *terram*, quam possideat, *suam esse probare* [7]). Nam de re mobili contendere non audent [8]). Atqui, si de re mobili constat, finitum est atque decisum de praediorum vindicatione, demonstrat enim lex Rotharis [9]) eandem in utroque genere defendendi esse rationem. Praescribitur ibi: *si quis alium de re mobili aut immobili pulsaverit dicendo quod malo ordine possideat et .... per annos quinque fuerit possessio, tunc ill(um) qui pos-*

---

1) Hoc vel ideo demonstratur, quia cartam ostendere et *loco auctoris stare* idem est.

2) Esse putat Laband, *Vermögensr. Kl.* p. 125 (ia. p. 124).

3) Glossa ad form. Roth. 231. Ita fieri *pro usu* docet Schupfer, *l'Allodio* § 56. 1: *„noi avvisiamo che essa* (*glossa*) *non accenni se non a ciò che si praticava comunemente"*. Quod verum esse censet Tamassia (*Arch. giur.* 72 (1904) p. 477) in Longobardo possessore nam *pro usu* Romanum quoque dedisse auctorem.

4) Glossa ad Roth. 151 (remittit ad Roth. 151; 355 (non 360); Grim. 4 *et alias complures*). Glossa ad Roth. 319: *hic videtur* (= hinc intelligitur), *quod .... tenens habet ius suum dicere secundum vl.* Similis controversia ut hic inter ius Longobardicum et Romanum est in form. Visigoth. 40 inter actorem (*cur eam* (*rem*) *in tuo servitio habeas edicito*) et reum (*convincere te oportet*).

5) Brunner, *Forschungen* (1894) p. 114: *„in den Urkunden wird es geradezu als Sache des Beklagten bezeichnet*, ut rationem ponat, *d. h., dass er durch Angabe und Beweis der* causa possessionis *der Klage gegenüber Rechenschaft gebe"*; Hübner, *Immobiliarproz.* p. 164/5. — Horum et ipsius glossae (ad Roth. 151) nullam aut habuit rationem Schupfer (*l'Allodio* § 56-58) aut nunc habet Tamassia, *Arch. giur.* 72 (1904) p. 449-480.

6) Simile est apud Francos, quod non dubitat Beaumanoir (ed. 1899/1900), quin debeat actor rationem ponere, etiamsi rem mobilem vindicaturus sit (nis. 198 (*„car demande qui est faite et l'on ne dit raison pourquoi .... ne vaut rien*); 280).

7) Expos. (§ 1) Liutpr. 89: *appellatus terram alienam malo ordine possidere neque Romanorum neque Longobardorum lege cogitur suam esse probare.*

8) Locos expositionis supra dedimus.

9) 228.

sedit aut per sacramentum debe(re) negare aut per pugnam defendere, si petitor [1]) id maluerit, et ipse *potuerit.* Ergo praediorum ius apud Longobardos qui putabant cum iure Romano convenire, ii haerebant in edicto et *erant quidam, qui dicebant, possessionem quinque annorum non valere,* id est, nihil novi tribuere [2]), *possessori, quum unius anni possessor eodem modo per pugnam se defend(a)t aut per sacramentum, si actor suam rem probare non potuerit, quemadmodum possessor quinque annorum,* aptato scilicet edicto ad ius Romanum, quo probatio incumbit actori. Quibus Expositor [3]), cui persuasum erat ipsi quoque, aptandum esse edictum ad ius Romanum [4]), respondet: regem post quinquennium petitori probationem denegare (*male dicebant, quia quinque annorum possessor, si de malo ordine* [5]) (*per sacramentum aut per pugnam*) *se defendere potuerit, rem non amittet, etiamsi actor rem suam esse probare possit*). Visum aliis eo pertinere edictum, ut habeat possessor quinque annorum interdictum veluti possessorium, supra docuimus. Unice quidem vera est Brunneri [6]) interpretatio: remittere regem ei, qui per quinque annos possederit, necessitatem auctoris dandi, quemadmodum alio edicto [7]) post quinque annorum possessionem chartam remittit ei, qui ab ipso

---

1) Non, quia, *si quis qualemcumque hominem ad regem accusaverit, quod (ad) animae suae pertineat periculum,* tunc licet accusato *per pugnam crimen .... desuper se .... eicere* (Roth. 9), dubitandum est — dubitat Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV § 63[20] (p. 380) — quin regulariter petitor tantum ad pugnam possit provocare (Expos. (§ 3) Roth. 366; expos. (§ 3) Roth. 202; glossa Liutpr. 11). Cf. van Kuyk, *Hist. besch. ov. het antw.* Diss. Leid. (1908) p. 13/4, 24/5; Loening, *Reinigungseid* (1880) p. 75-80; Zorn, *Beweisverf. nach Langob. Recht* (1872) p. 15[1]. Sunt nihilominus exempla duelli oblatitii non tantum Roth. 9 (Zorn p. 36; dissentit Loening p. 78/9) sed etiam l. Alam. 43 (44) (concedit Loening p. 117[23]; cf. praeterea Brunner, *Sitzungsber.* (*Berlin*) 1901 p. 953 not 4) atque singula apud Paulum Diac. IV c. 49 (i. f.); Nithardum II 5 (med.); Liutpr., Hist. Ottonis c. 7.

2) Cf. Expos. (§ 1) Grim. 2: *quid possessio secundum hanc legem ipsis valeat, quia* etc. Alio modo *quinque annorum possessionem valere,* id est, iura eius conservata esse, negat Expositor (§ 3) Aist. 9.

3) (§ 2) Roth. 228 Similiter solvit formularum auctor (ante formulas): *ante quinque annos dicat actor, qu(i)d sibi res pertineat, ut legitur in Romana lege.*

4) Expos. (§ 4 priore) Roth. 359

5) I e. de invasione (cf. l. Rip. 59 § 8). Etenim violentam possessionem non parere praescriptionem demonstravimus.

6) *Rechtsgesch.* II p. 517 (post not. 29).

7) Roth. 227.

petitore emisse se dicat, modo emisse se iuret. Ubi similiter secta haeret, sed non eodem modo extricat sese, quia nominatim ibi rex actori permittit, ut post quinquennium probet rem non esse venditam sed locatam. Ergo formularum auctor, quia hic non potest post quinquennium probationem denegare, intra quinquennium remittit iusiurandum [1]), quo fit ut adversarii possessio petitori proficiat, ipsi noceat quinquennium possedisse.

(*Continuabitur*).

1) vv. *in(t)ra quinque annos .... absque sacramento remanet suo loco possessio*

AD PERSII PROLOGUM.

Quoniam vacui aliquid hic restat spatii, pauca de Persii prologo addere lubet. Semet ipsum poeta vs. 6 *semipaganum* appellat, quod vocabulum praestantissimus editor Groninganus sic accipit ut *paganus* sit *poëta*. Incredibile hoc mihi videtur, neque mihi Ciceronis locus, ad quem provocat ille, persuadet. Nihil enim ibi legitur quod de *poëtis* cogitare nos cogat. Sed hic illud *semipaganus* legens non potes non putare in altera parte contumeliae aliquid inesse, memor vocabulorum qualia sunt *semifer*, *semimortuus*, *semisomnis* atque illud ἡμίτραγος quod in Luciani Baccho pro absurdo ἡμιστρατιώτης est legendum. Neque me nunc fallunt vocabula a *semi* incipientia, quorum contraria est natura, qualia sunt *semideus*, *semivir*, *semidoctus*, sed illa quoque eiusmodi sunt ut statim unusquisque quae sit eorum vis perspiciat. Quis vero aequalium Persium potuisset intelligere si „ipse semipaganus" hoc dixisset sensu: „ego qui tantummodo pro altera parte poëta sum", quis non statim eadem verba intelligeret, si haec esset poetae mens: „ego semi-rusticus"? Sed fac recte interpretatum editorem nostratem, tum quoque *carmen nostrum* hunc habebit sensum: „carmen quale semipoetae facere solent", neque hic locus documento est, ubi *noster* pro *meus* dictum sit, tamen cum eo verbum in singulari iungi posse. Quod tamen omnino ita se habere probe novi.

J. J. H.

DE NOVA HORATII CARMEN IV 8
(DONAREM PATERAS)
INTERPRETANDI VIA.

SCRIPSIT

J. W. BECK.

.... *unsere Ode ist von Anfang bis zu Ende echt.*

P. Cauer (a. 1892).

Post commentationes acutissimas, quas scripsit A. Elter, professor Bonnensis [1]), denuo philologorum cohortis pars Meinekianis valedixit [2]). Nam intellexerunt haud pauci vim et auctoritatem illius legis, quam dicebant, oportere concludi in eius generis carmina, in quibus vera divisio stropharum ipsius carminis indole et numero flagitaretur. At de hoc errore philologico ne unum quidem verbum amplius perdere praestat. Qui igitur hac doctrina feliciter liberatus carmen illud octavum libri IV explicare velit, omnes coniecturas vel emendationes aut olim aut nuper aut hodie factas — quibus nobis non opus est — seponat. Horatii opera satis accurate tradita esse scimus, virtutes eius atque vitia ut amicorum fere novimus neque eum tanta elegantia tantoque poetico ingenio scripsisse quanto ante plerique putarent, omnibus hodie constat [3]).

Itaque vinculo hoc molesto deiecto — ne dicam de illo male interpretandi i. e. nodum in scirpo quaerendi morbo in hoc car-

1) Progr. Universitatis Bonnensis 1905, 1906, 1907 (I; II 1. 2. 3).

2) Teuffel, R. L. II (6. Aufl.) p. 65.

3) Redslob, Kritische Bemerkungen zu Horaz (Weimar 1912). Vorwort: Das von ihm geprägte Wort „brevis esse laboro, obscurus fio" passt auf ihn selbst.

mine conspicuo — novam eandemque simplicem quandam interpretandi viam indicare tempus esse existimo. In hoc carmine omnia fere, quae olim dixi [1]) teneo, nisi quod sententiam meam novis argumentis confirmare probabilioremque reddere spero fore ut mihi contingat.

Carmen igitur sodali cuidam diviti eidemque artis poeticae amanti, cui nomen est C. Marcius Censorinus L. f. (cos. a. 8 a. C.), dedicavit poeta. Cur hoc carmen huic viro scripserit, quo tempore miserit, cur hanc ipsam formam elegerit, haec omnia satis obscura sunt. Merum ἐγκώμιον est poetarum vel artis poeticae: sine poetis neque gloria neque honor est, neque homines immortalitatem adipiscuntur neque deorum μῦθοι oriri potuerunt. Ecce thema vetustum (cf. Pind. Ol. XI (X) 95; Theocr. 16. 48)! Poeta gloriae praeco praecipuus est. Sic Cicero in oratione pro Archia poeta § 20: neque enim quisquam est tam aversus a Musis qui non mandari versibus aeternum suorum laborum praeconium facile patiatur (§ 20) [2]) et Hor. Ep. II 1, 248 Nec magis expressi, cet. [3]), tum imprimis cf. c. IV 9 ad Lollium. Multum autem differt hoc carmen ab illo. Lollius sentire poterat, quid hoc praeconium valeret, Censorinus, qui, quantum scimus, nihil memorabile fecerat, ipso dono gloriari contentus esse debebat (cf. Cic. ac. II 33, 102, Liv. Periocha 49, Vell. II 102). Ex his locis illi nobis aliquid pretii habere videntur, ubi traditum est ex maioribus Censorini aliquem consulem fuisse anno eodem quo bellum Punicum tertium geri coeptum est.

Horatius saepius theoriam rhetoricam in artem poeticam transtulit, quod ex ipso carmine de arte poetica (Norden, Hermes 1905 (XL) 481—528) aliisque colligi potest (Kukula, Röm. Säkularpoesie 1911, p. 13). In explicanda Ecloga illa IV Vergilii divisionem proposuit Kukula non minus probabilem (l.l. p. 51). Stropharum igitur divisione relicta carmen hoc, Censo-

1) Horazstudien (1907) p. 33—36 = Rhein. Mus. N. F. 62, 631 sqq.

2) Cf. et § 30: An statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt: consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam?

3) Nec magis expressi voltus per aenea signa
quam per vatis opus mores animique virorum
clarorum apparent.

rino sane satis idoneum, ἐγκώμιον quoddam poetarum, prosaice et rhetorice consartum, levi ironia imbutum perspiciemus.

In quattuor partes divisum est: I *Prooemium* (vs. 1—8), II *Transitio* + *propositio* (vs. 9—12), III *Tractatio* (vs. 13—27), IV *Conclusio* vel *epilogus transitione praemissa* (vs. 28 + 29—34). Laudat poeta munus suum (vs. 12), laudat simul artem suam. Subdivisio carminis minute et adamussim facta est. Media pars (tractatio) constat ex his versibus: 3 (13, 14, **15**) + 2 (**15**, 16) + 3 (17, 18, **19**) + 2 (**19**, **20**) + 3 (**20**, 21, 22) + 3 (22, 23, 24) + 3 (25, 26, 27). Ceterum triadum usus Horatianus ubique invenitur: in prooemio (pateras, aera, tripodas), in tractatione (tria bella Punica), in 26 (virtus, favor, lingua), in epilogo 29, 30 + 31, 32 + 33, 34 (1. Hercules, 2. Castor et Pollux, 3. Bacchus). Bellum Punicum tertium coeptum est *L. Marcio Censorino* M'. Manilio Coss. (Liv. Periocha 49, cf. Thes. L. L. Suppl. II 318). Vs. 17 et 18 ad hoc bellum pertinent, **15** et 16 ad b. Pun. secundum [1]), et quid aequius est quam bellum quoque Punicum primum hoc loco significari? Erat enim inter monumenta vetusta fori Romani columna illa Duilii (aetate Augusti restaurata) [2]), quam nemo Romanus non noverat. Ad hanc pertinent vss. 13 sqq. Similis trias est initio c. II 12, ubi *Scipio Africanus minor*, *Hannibal* et *pugnae navales primi belli Punici* tanguntur vel nominantur. In propatulo est haec verba: 'eius qui .... rediit', tanquam in parenthesi addita esse [3]); quamquam non eleganter neque poetice dicta sunt, carere iis tamen hoc loco non possumus (cf. Cic. de off. 2. 76 imitatus patrem Africanus nihilo locupletior Carthagine eversa). Horatius Scipionem minorem nominare vel laudare amat, Scipionem maiorem non memorat (Rh. Mus. 62, 633). Ad 'Calabr(as) Pierides' illius consuetudinis poetarum nobis in mentem venit (trabe Cypria, carmen Maeonium, Daunia Camena). Sunt igitur 'Musae carminis epici'; cf. versus quintus sequentis carminis IX: non, si priores Maeonius tenet sedes

---

1) Hoc bellum etiam in c. IV 4 memoratur. Vide imprimis vs. 37—40 (Rh. Mus. l.l.).

2) Wölfflin, Die Inschrift der Col. rostr. Sitz. Ber. der Bayer. Akad. 1890 III.

3) Prop. IV 2, 35 .... et eius | traicit alterno qui leve pondus equo. De Genitivis cumulatis cf. Draeger, H. S., I p. 472: Cic. Philip. 7, 5 cuius .... innumerabilia scelera urbani consulatus.

Homerus. Nemo est scilicet, quin de Ennio poeta cogitet, qui in Annalibus etiam bellorum Punicorum partem priorem et maiorem caneret. Neque 'Maeonias musas' neque 'musam Maronis' hic quisquam ferat. 'Virtus .... potentium vatum (vs. 26)' satis explanatur per Cic. pro Archia 10. 25 huius (Archiae) ingenium et *virtutem* in scribendo et copiam non expetisset? Intellegitur id quod una cum ingenio in poeta desiderari non debet, sc. ars illa vel poeticae artis studium (A. P. 408 sqq.) 'Virtus' ea, de qua Hor. A. P. 308 loquitur, tractatur fusius a versu 347 sqq.

In versibus 22—25 habemus duo exempla 'hominum' et Romani et Graeci regis. Sequitur *transitio* (vs. 28): Dignum laude virum Musa vetat mori i. e. itaque mortales, ut Romulus (Epod. 16, 13 ossa Quirini) et Aeacus, gloriam immortalem per poetas adipiscuntur (quidnam Censorinus cogitaret tum cum haec legebat?). *Epilogus*: Quin sunt quos caelo Musa beët, sic fit (i. e. poetarum arte) ut Hercules mensae Iovis accumbat, Castor et Pollux nautis in caelo splendeant, Bacchus deus hominibus prosit. Quod hoc loco poetae honori est, id ei probro apud Aetnae poetam ignotum tribuitur (fallacia vatum vs. 29).

Quantum in hoc carmine interpretando ab Eltero differam, videbit is qui et Elteri commentationes et meas perlegerit. Ubi de re stropharum disputat, me habet sodalem. Quocumque modo haec res se habet, opuscula collegae aestumatissimi me iam complures annos vinxerunt et occupaverunt. Verissima vero sunt quae olim Magister ille, omnibus philologis carissimus, Buechelerum dico, mihi scripsit: „Sie werden an der originellen, gelehrten, scharfsinnigen Argumentation sich wohl aehnlich wie ich erbauen oder belehren" [1]).

Ut haec scriberem maxime impulit me Elteri acutissima disputatio. Uter nostrum aenigma hoc philologicum solvendi viam aperuerit dies docebit. Simplicissima huius carminis interpretandi ratio mihi quidem certissima esse videtur: nihil addere, nihil detrahere, nihil mutare, nodum in scirpo non quaerere, audaces argutias vitare, sana mente non scholastice legere, intellegere velle, corrigere nolle.

---

1) Scripsit haec vir summus Bonnae die XXI m. Augusti 1907. Anno subsequenti III m. Mai mortuus est.

terest, quia sicut ille non praestat ius, si negatur quaesitum, ita ne hic quidem veritatem chartae, si falsa dicitur. Quamquam putat Heusler [1]), quum quis chartam habeat, auctorem iuris ideo sistendum, ut chartae veritatem atque per hanc ius defendat (*„so ist die Thätigkeit des Auktors Rechtfertigung des Beweismittels, und darin eingeschlossen Gewährschaft des Rechts"*), quasi vero iuris auctor chartae veritatem defendere possit aut debeat. Sistitur iuris auctor aut post chartae reprobationem [2]) aut non reprobata charta [3]). Post reprobationem veram facere chartam qui posset? non reprobata charta quid attineret? Hoc quidem vitavit Brunner [4]), sed docet ipse, quum charta reprobetur nec defendatur, tunc iuris auctorem in alterius auctoris locum succedere (*„so haben (der Aussteller der gescholtenen Urkunde oder sein Erbe) als Gewährsmänner an Stelle des ....* cancellarius (*Entsteh. der Schwurger. p.* 64[5]: (*dessen*) *Gewährschaft versagt*) *die Vertheidigung zu führen"*), quod aeque sensu caret. Non enim succedit iuris auctor in locum alterius auctoris, sed superest iuris nomine auctoris datio, perinde quasi nulla charta ostensa esset. In errorem induxit utrumque legis Ripuariae textus [5]): *quodsi v(e)nd(i)t(o)r vel hered(e)s su(i) supervixerint, ipsi testamentum* [6]) *virire* [7]) *debent* [8]) *aut multam* [9]) *incurrere*, ubi iam confunditur instrumenti et proprietatis defensio. Apparet, quam falsa sit opinio, tunc iuris auctorem sistendum esse, quum charta dicatur falsa. Manet prima: tunc opus esse, quum ius possessoris pendeat ex iure auctoris, et tertia: tunc sistendum

---

6 dicitur auctor *cartulae*, intelligitur proprietatis auctor. Similiter *re(m)* et *scripturam auctoricare* alternatur (quod observavit Heusler, *Gewere* p. 500) in *GU* no. 359. Fit similiter in *GU* no. 520.

1) *Gewere* p. 500.

2) L. Rip. 58 § 6.

3) Quodsi charta etiam vera facta sit, iam non videtur ulla actio superesse, licet possit vera esse, nec tamen proprietatis iustus auctor.

4) *Rechtsgesch.* II p. 423.

5) 59 § 6.

6) I. e. instrumentum.

7) I. e. defendere.

8) Licet charta ab adversario falsa dicta sit et possit veritas chartae per cancellarium vel per chartarum comparationem (l. Rip. 59 § 5) approbari. Non videtur hoc intellexisse Huebner, *Immobiliarproz.* p. 113.

9) *Multam* intelligo, *quae in charta scripta est*, ut in capitul. 39 § 7; 104 § 7.

esse, quum ipsius ius in dubium vocatum sit. Sed pendet semper ius possessoris ex iure auctoris, nisi post ipsam comparationem ad praescriptionem tempus suppeditavit [1]), itaque deberet, si prima sententia vera esset, in omnibus speciebus, ubi non comparet auctor, tempus suppeditasse; quod ad tertiam sententiam attinet, in omnibus speciebus, in quibus sistitur auctor nec tamen de iure ipsius disceptatur, dicendum foret, quin dicit Hübner [2]), inopia chartae [3]) ad auctoris dationem descensum. Potest vel hoc vel illud verum esse, videant nihilominus viri docti, an hic quoque conveniat interpretatio, quam de iure Attico proposuimus: auctorem sistendum esse, si postuletur. Quia porro instrumento prolato plerumque auctoris datio non postulatur — cur enim actor postularet, quod sua nihil intersit — evenit, ut pro auctore plerumque charta ostendatur et sit charta auctoris loco. Quamquam displicet sermo Huebnero [4]) („*ich möchte .... nicht mit Heusler mich so ausdrücken, dass* (*die*) *Urkunde Ersatz für Stellung des Gewährsmanns geboten habe*"), sed, quidni placeat, non intelligo, quum scribat ipse [5]) initio semper sistendum fuisse auctorem („*dass es eine Zeit gegeben hat, in der diese Vertheidigung die einzige .... war* (p. 131: *in der derivativer Rechtserwerb .... der Klage entgegen gehalten werden konnte*), *dafür sind noch eine Reihe sicherer Anhaltspunkte vorhanden*"). Ergo concedit ipse, ubi olim auctor sistendus fuerit, ibi postea chartam sufficere visam. Apud Longobardos quoque perinde ut apud Transalpinos plerumque charta [6]) ostenditur [7])

---

1) Quod non suppeditavit, auctoris datio imperatur *GU* 722 (*Immobiliarproz.* p. 123). Ex diverso *GU* 373; 452; 495; 770; 931 probat comparator auctorem possedisse, sed, ut videtur, post mortem eius (certo affirmari potest de *GU* 495).

2) *Immobiliarprozess* p. 115/25 passim.

3) „*aus Mangel an andern Beweismitteln*" (p. 120).

4) *Immobiliarproz.* p. 113/4.

5) Op. cit. p. 108.

6) Vel notitia, sed charta multo saepius. Veluti libri Papiensis formulae innumerabiles habent *ecce cartam*; ter tantum invenio *ecce brevem*: (4) Liutpr. 69; (1) Liutpr. 74; (3) Lud. Pii 16. Ex veris litibus cf. *GU* no. 1139, ex reliquis monumentis *GU* 981. *Exemplar* non valet, nisi de autentica aliunde constet (*GU* 642).

7) Hübner, *Immobiliarproz* p. 134 sqq. — Ex libro Papiensi huc pertinent formulae ad Roth. 170; 233; Carol. 78; Loth. 31; (1) Guid. 5; (1) Guid. 6; (2) Oth. I, 1; (2), (3) Oth. I, 2 (omnes de terra); Roth. 235; (3) Aist. 3 (de libertate).

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

J. VAN LEEUWEN J.F., J. J. HARTMAN.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUADRAGESIMUM PRIMUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1913.

INDEX.

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

petitore emisse se dicat, modo emisse se iuret. Ubi similiter secta haeret, sed non eodem modo extricat sese, quia nominatim ibi rex actori permittit, ut post quinquennium probet rem non esse venditam sed locatam. Ergo formularum auctor, quia hic non potest post quinquennium probationem denegare, intra quinquennium remittit iusiurandum [1]), quo fit ut adversarii possessio petitori proficiat, ipsi noceat quinquennium possedisse.

(*Continuabitur*).

1) vv. *in(t)ra quinque annos .... absque sacramento remanet suo loco possessio*

AD PERSII PROLOGUM.

Quoniam vacui aliquid hic restat spatii, pauca de Persii prologo addere lubet. Semet ipsum poeta vs. 6 *semipaganum* appellat, quod vocabulum praestantissimus editor Groninganus sic accipit ut *paganus* sit *poëta*. Incredibile hoc mihi videtur, neque mihi Ciceronis locus, ad quem provocat ille, persuadet. Nihil enim ibi legitur quod de *poëtis* cogitare nos cogat. Sed hic illud *semipaganus* legens non potes non putare in altera parte contumeliae aliquid inesse, memor vocabulorum qualia sunt *semifer*, *semimortuus*, *semisomnis* atque illud *ἡμίτραγος* quod in Luciani Baccho pro absurdo *ἡμιστρατιώτης* est legendum. Neque me nunc fallunt vocabula a *semi* incipientia, quorum contraria est natura, qualia sunt *semideus*, *semivir*, *semidoctus*, sed illa quoque eiusmodi sunt ut statim unusquisque quae sit eorum vis perspiciat. Quis vero aequalium Persium potuisset intelligere si „ipse semipaganus" hoc dixisset sensu: „ego qui tantummodo pro altera parte poëta sum", quis non statim eadem verba intelligeret, si haec esset poetae mens: „ego semi-rusticus"? Sed fac recte interpretatum editorem nostratem, tum quoque *carmen nostrum* hunc habebit sensum: „carmen quale semipoetae facere solent", neque hic locus documento est, ubi *noster* pro *meus* dictum sit, tamen cum eo verbum in singulari iungi posse. Quod tamen omnino ita se habere probe novi.

J. J. H.

DE NOVA HORATII CARMEN IV 8
(DONAREM PATERAS)
INTERPRETANDI VIA.

SCRIPSIT

J. W. BECK.

> .... *unsere Ode ist von Anfang bis zu Ende echt.*
>
> P. Cauer (a. 1892).

Post commentationes acutissimas, quas scripsit A. Elter, professor Bonnensis [1]), denuo philologorum cohortis pars Meinekianis valedixit [2]). Nam intellexerunt haud pauci vim et auctoritatem illius legis, quam dicebant, oportere concludi in eius generis carmina, in quibus vera divisio stropharum ipsius carminis indole et numero flagitaretur. At de hoc errore philologico ne unum quidem verbum amplius perdere praestat. Qui igitur hac doctrina feliciter liberatus carmen illud octavum libri IV explicare velit, omnes coniecturas vel emendationes aut olim aut nuper aut hodie factas — quibus nobis non opus est — seponat. Horatii opera satis accurate tradita esse scimus, virtutes eius atque vitia ut amicorum fere novimus neque eum tanta elegantia tantoque poetico ingenio scripsisse quanto ante plerique putarent, omnibus hodie constat [3]).

Itaque vinculo hoc molesto deiecto — ne dicam de illo male interpretandi i. e. nodum in scirpo quaerendi morbo in hoc car-

---

1) Progr. Universitatis Bonnensis 1905, 1906, 1907 (I; II 1. 2. 3).

2) Teuffel, R. L. II (6. Aufl.) p. 65.

3) Redslob, Kritische Bemerkungen zu Horaz (Weimar 1912). Vorwort: Das von ihm geprägte Wort „brevis esse laboro, obscurus fio" passt auf ihn selbst.

mine conspicuo — novam eandemque simplicem quandam interpretandi viam indicare tempus esse existimo. In hoc carmine omnia fere, quae olim dixi [1]) teneo, nisi quod sententiam meam novis argumentis confirmare probabilioremque reddere spero fore ut mihi contingat.

Carmen igitur sodali cuidam diviti eidemque artis poeticae amanti, cui nomen est C. Marcius Censorinus L. f. (cos. a. 8 a. C.), dedicavit poeta. Cur hoc carmen huic viro scripserit, quo tempore miserit, cur hanc ipsam formam elegerit, haec omnia satis obscura sunt. Merum ἐγκώμιον est poetarum vel artis poeticae: sine poetis neque gloria neque honor est, neque homines immortalitatem adipiscuntur neque deorum μῦθοι oriri potuerunt. Ecce thema vetustum (cf. Pind. Ol. XI (X) 95; Theocr. 16. 48)! Poeta gloriae praeco praecipuus est. Sic Cicero in oratione pro Archia poeta § 20: neque enim quisquam est tam aversus a Musis qui non mandari versibus aeternum suorum laborum praeconium facile patiatur (§ 20) [2]) et Hor. Ep. II 1, 248 Nec magis expressi, cet. [3]), tum imprimis cf. c. IV 9 ad Lollium. Multum autem differt hoc carmen ab illo. Lollius sentire poterat, quid hoc praeconium valeret, Censorinus, qui, quantum scimus, nihil memorabile fecerat, ipso dono gloriari contentus esse debebat (cf. Cic. ac. II 33, 102, Liv. Periocha 49, Vell. II 102). Ex his locis illi nobis aliquid pretii habere videntur, ubi traditum est ex maioribus Censorini aliquem consulem fuisse anno eodem quo bellum Punicum tertium geri coeptum est.

Horatius saepius theoriam rhetoricam in artem poeticam transtulit, quod ex ipso carmine de arte poetica (Norden, Hermes 1905 (XL) 481—528) aliisque colligi potest (Kukula, Röm. Säkularpoesie 1911, p. 13). In explicanda Ecloga illa IV Vergilii divisionem proposuit Kukula non minus probabilem (l.l. p. 51). Stropharum igitur divisione relicta carmen hoc, Censo-

---

1) Horazstudien (1907) p. 33—36 = Rhein. Mus. N. F. 62, 631 sqq.

2) Cf. et § 30: An statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt: consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam?

3) Nec magis expressi voltus per aenea signa
quam per vatis opus mores animique virorum
clarorum apparent.

sit [1]), archidiaconus [2]), siu cancellarius scripsit [3]), cancellarius [4]), *cum ipsis testibus qui tabulas conscripserunt* [5]), veram esse chartam iurare debet, id est, cuius nomen habeat, eius rogatu et secundum nuncupationem scriptam, aut litem perdere qui chartam ostendit [6]), nisi etiamnunc auctorem sistat [7]). Erit igitur idem ius, acsi charta ostensa esset nulla, hoc tantum discrimine, quod, ubi cancellarius vel archidiaconus semel chartae testimonium dixerit nec perfecerit, tunc ipse restituere rem cum multa iubetur [8]), cuius periculi vitandi causa solebant cancellarii fideiussorem accipere de charta stabili facienda, id est, qui se obligaret ut contradictorem *tacere fac(eret).* Quam clausulam in Burgundicis quibusdam chartis invenit Bresslau [9]). E superioribus apparet numquam auctorem sisti, quod charta dicatur falsa, ex diverso sisti, quod vera non probetur, quia tunc perinde est, quasi charta non sit [10]). Ius autem illud Ripuarium paulisper apud Salicos, Burgundiones, Visigothos denique, qui eorum sub Francorum imperio erant, receptum capitularibusque cum Longobardis communicatum esse, opinio est Henrici Brunner [11]), neque in summa re errat [12]), si quidem sub Ludovico Pio sca-

1) Scribit archidiaconus libertates eornm, qui in ecclesia manumittuntur (l. Rip. 58 § 1).

2) Is quidem *sibi septimus* (l. Rip. 58 § 5).

3) Scribit cancellarius venditiones (l. Rip. 59 § 1), donationes (l. Rip. 59 § 7), libertates (capitul. 104 § 7), res iudicatas (*GU* no. 404 cf. l. Rip. 59 § 7).

4) Is quidem cum sacramentalibus totidem, quot fuerint firmatores (l. Rip. 59 § 2), id est *septem* vel *duodecim* (l. Rip. 59 § 1).

5) L. Rip. 58 § 5.

6) L. Rip. 59 § 3.

7) L. Rip. 58 § 6: *quodsi archidiaconus ista adimplere contempserit et auctorem,* id est, proprietatis auctorem, (*is*), *qui .... ingenuum dimisit* (§ 7 *auctor dimissionis*) *non inven*(*e*)*r*(*i*)*t.*

8) L. Rip. 58 § 6 cit.: *tunc tabularium,* id est, in ecclesia manumissum, *ipse archidiaconus cum* 45 *semisolidis et cum omnibus rebus suis proprio dom*(*i*)*no stud*(*e*)*at reservare.*

9) *Forschungen z. deutschen Gesch.* XXVI (1886) p. 26/7.

10) Prorsus eodem modo res laborabit, si negatur nec probari potest, cartam pertinere ad id ipsum praedium, quod petitur (*GU* 695; 769).

11) *Rechtsgesch.* II p. 425.

12) Nam de Visigothis argumentum (ex *GU* no. 404, non 351) fragile est, magisque ibi demonstratur cancellarios sicuti ad Salicos et Alamannos (Brunner, *z. Rechtsgesch. der Urk.* I p. 235/6) ad Visigothos penetrasse quam ipsum ius Ripuarium. Etenim cancellario detracto ad ius Salicum spectare videtur charta.

Homerus. Nemo est scilicet, quin de Ennio poeta cogitet, qui in Annalibus etiam bellorum Punicorum partem priorem et maiorem caneret. Neque 'Maeonias musas' neque 'musam Maronis' hic quisquam ferat. 'Virtus ..... potentium vatum (vs. 26)' satis explanatur per Cic. pro Archia 10. 25 huius (Archiae) ingenium et *virtutem* in scribendo et copiam non expetisset? Intellegitur id quod una cum ingenio in poeta desiderari non debet, sc. ars illa vel poeticae artis studium (A. P. 408 sqq.) 'Virtus' ea, de qua Hor. A. P. 308 loquitur, tractatur fusius a versu 347 sqq.

In versibus 22—25 habemus duo exempla 'hominum' et Romani et Graeci regis. Sequitur *transitio* (vs. 28): Dignum laude virum Musa vetat mori i. e. itaque mortales, ut Romulus (Epod. 16, 13 ossa Quirini) et Aeacus, gloriam immortalem per poetas adipiscuntur (quidnam Censorinus cogitaret tum cum haec legebat?). *Epilogus*: Quin sunt quos caelo Musa beët, sic fit (i. e. poetarum arte) ut Hercules mensae Iovis accumbat, Castor et Pollux nautis in caelo splendeant, Bacchus deus hominibus prosit. Quod hoc loco poetae honori est, id ei probro apud Aetnae poetam ignotum tribuitur (fallacia vatum vs. 29).

Quantum in hoc carmine interpretando ab Eltero differam, videbit is qui et Elteri commentationes et meas perlegerit. Ubi de re stropharum disputat, me habet sodalem. Quocumque modo haec res se habet, opuscula collegae aestumatissimi me iam complures annos vinxerunt et occupaverunt. Verissima vero sunt quae olim Magister ille, omnibus philologis carissimus, Buechelerum dico, mihi scripsit: „Sie werden an der originellen, gelehrten, scharfsinnigen Argumentation sich wohl aehnlich wie ich erbauen oder belehren" [1]).

Ut haec scriberem maxime impulit me Elteri acutissima disputatio. Uter nostrum aenigma hoc philologicum solvendi viam aperuerit dies docebit. Simplicissima huius carminis interpretandi ratio mihi quidem certissima esse videtur: nihil addere, nihil detrahere, nihil mutare, nodum in scirpo non quaerere, audaces argutias vitare, sana mente non scholastice legere, intellegere velle, corrigere nolle.

---

1) Scripsit haec vir summus Bonnae die XXI m. Augusti 1907. Anno subsequenti III m. Mai mortuus est.

terest, quia sicut ille non praestat ius, si negatur quaesitum, ita ne hic quidem veritatem chartae, si falsa dicitur. Quamquam putat Heusler [1]), quum quis chartam habeat, auctorem iuris ideo sistendum, ut chartae veritatem atque per hanc ius defendat (*„so ist die Thätigkeit des Auktors Rechtfertigung des Beweismittels, und darin eingeschlossen Gewährschaft des Rechts"*), quasi vero iuris auctor chartae veritatem defendere possit aut debeat. Sistitur iuris auctor aut post chartae reprobationem [2]) aut non reprobata charta [3]). Post reprobationem veram facere chartam qui posset? non reprobata charta quid attineret? Hoc quidem vitavit Brunner [4]), sed docet ipse, quum charta reprobetur nec defendatur, tunc iuris auctorem in alterius auctoris locum succedere (*„so haben (der Aussteller der gescholtenen Urkunde oder sein Erbe) als Gewährsmänner an Stelle des ....* cancellarius (*Entsteh. der Schwurger. p.* 64[5]: *(dessen) Gewährschaft versagt) die Vertheidigung zu führen"*), quod aeque sensu caret. Non enim succedit iuris auctor in locum alterius auctoris, sed superest iuris nomine auctoris datio, perinde quasi nulla charta ostensa esset. In errorem induxit utrumque legis Ripuariae textus [5]): *quodsi v(e)nd(i)t(o)r vel hered(e)s su(i) supervixerint, ipsi testamentum* [6]) *virire* [7]) *debent* [8]) *aut multam* [9]) *incurrere*, ubi iam confunditur instrumenti et proprietatis defensio. Apparet, quam falsa sit opinio, tunc iuris auctorem sistendum esse, quum charta dicatur falsa. Manet prima: tunc opus esse, quum ius possessoris pendeat ex iure auctoris, et tertia: tunc sistendum

---

6 dicitur auctor *cartulae*, intelligitur proprietatis auctor. Similiter *re(m)* et *scripturam auctoricare* alternatur (quod observavit Heusler, *Gewere* p. 500) in *GU* no. 359. Fit similiter in *GU* no. 520.

1) *Gewere* p. 500.

2) L. Rip. 58 § 6.

3) Quodsi charta etiam vera facta sit, iam non videtur ulla actio superesse, licet possit vera esse, nec tamen proprietatis iustus auctor.

4) *Rechtsgesch.* II p. 423.

5) 59 § 6.

6) I. e. instrumentum.

7) I. e. defendere.

8) Licet charta ab adversario falsa dicta sit et possit veritas chartae per cancellarium vel per chartarum comparationem (l. Rip. 59 § 5) approbari. Non videtur hoc intellexisse Huebner, *Immobiliarproz.* p. 113.

9) *Multam* intelligo, *quae in charta scripta est*, ut in capitul. 39 § 7; 104 § 7.

esse, quum ipsius ius in dubium vocatum sit. Sed pendet semper ius possessoris ex iure auctoris, nisi post ipsam comparationem ad praescriptionem tempus suppeditavit [1]), itaque deberet, si prima sententia vera esset, in omnibus speciebus, ubi non comparet auctor, tempus suppeditasse; quod ad tertiam sententiam attinet, in omnibus speciebus, in quibus sistitur auctor nec tamen de iure ipsius disceptatur, dicendum foret, quin dicit Hübner [2]), inopia chartae [3]) ad auctoris dationem descensum. Potest vel hoc vel illud verum esse, videant nihilominus viri docti, an hic quoque conveniat interpretatio, quam de iure Attico proposuimus: auctorem sistendum esse, si postuletur. Quia porro instrumento prolato plerumque auctoris datio non postulatur — cur enim actor postularet, quod sua nihil intersit — evenit, ut pro auctore plerumque charta ostendatur et sit charta auctoris loco. Quamquam displicet sermo Huebnero [4]) („*ich möchte .... nicht mit Heusler mich so ausdrücken, dass* (*die*) *Urkunde Ersatz für Stellung des Gewährsmanns geboten habe*"), sed, quidni placeat, non intelligo, quum scribat ipse [5]) initio semper sistendum fuisse auctorem („*dass es eine Zeit gegeben hat, in der diese Vertheidigung die einzige .... war* (p. 131: *in der derivativer Rechtserwerb .... der Klage entgegen gehalten werden konnte*), *dafür sind noch eine Reihe sicherer Anhaltspunkte vorhanden*"). Ergo concedit ipse, ubi olim auctor sistendus fuerit, ibi postea chartam sufficere visam. Apud Longobardos quoque perinde ut apud Transalpinos plerumque charta [6]) ostenditur [7])

1) Quod non suppeditavit, auctoris datio imperatur *GU* 722 (*Immobiliarproz.* p. 123). Ex diverso *GU* 373; 452; 495; 770; 931 probat comparator auctorem possedisse, sed, ut videtur, post mortem eius (certo affirmari potest de *GU* 495).

2) *Immobiliarprozess* p. 115/25 passim.

3) „*aus Mangel an andern Beweismitteln*" (p. 120).

4) *Immobiliarproz.* p. 113/4.

5) Op. cit. p. 108.

6) Vel notitia, sed charta multo saepius. Veluti libri Papiensis formulae innumerabiles habent *ecce cartam*; ter tantum invenio *ecce brevem*: (4) Liutpr. 69; (1) Liutpr. 74; (3) Lud. Pii 16. Ex veris litibus cf. *GU* no. 1139, ex reliquis monumentis *GU* 981. *Exemplar* non valet, nisi de autentica aliunde constet (*GU* 642).

7) Hübner, *Immobiliarproz.* p. 134 sqq. — Ex libro Papiensi huc pertinent formulae ad Roth. 170; 233; Carol. 78; Loth. 31; (1) Guid. 5; (1) Guid. 6; (2) Oth. I, 1; (2), (3) Oth. I, 2 (omnes de terra); Roth. 235; (3) Aist. 3 (de libertate).

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

J. VAN LEEUWEN J.F., J. J. HARTMAN.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. Holwerda, H. T. Karsten, J. C. Naber,
M. C. Valeton, J. Woltjer.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUADRAGESIMUM PRIMUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1913.

ideo minus refert, quia hic quoque apparet successisse chartae prolationem in locum auctoris dationis [1]), et quia iuris Romani et Longobardici non ea summa differentia est [2]), *qu(od) Longobardus semper d(e)t auctorem et numquam st(e)t loco auctoris, at Romanus semper st(e)t loco auctoris et numquam auctorem d(e)t* [3]), sed in eo potius consistit, quod *litigatorum alii ostendunt rem esse suam, unde appellantur, ut rei Longobardi, alii ostendunt rem, unde agunt, suam esse, ut (actores) Romani* [4]), quod Glossatoris testimonium rerum documentis plene confirmatur [5]). Fuerunt tamen etiam apud Longobardos [6]), qui negarent, hac in re esse differentiam proprii iuris et Romani, proinde neutra lege cogi possessorem *terram*, quam possideat, *suam esse probare* [7]). Nam de re mobili contendere non audent [8]). Atqui, si de re mobili constat, finitum est atque decisum de praediorum vindicatione, demonstrat enim lex Rotharis [9]) eandem in utroque genere defendendi esse rationem. Praescribitur ibi: *si quis alium de re mobili aut immobili pulsaverit dicendo quod malo ordine possideat et .... per annos quinque fuerit possessio, tunc ill(um) qui pos-*

---

1) Hoc vel ideo demonstratur, quia cartam ostendere et *loco auctoris stare* idem est.

2) Esse putat Laband, *Vermögensr. Kl.* p. 125 (ia. p. 124).

3) Glossa ad form. Roth. 231. Ita fieri *pro usu* docet Schupfer, *l'Allodio* § 56. 1: „*noi avvisiamo che essa (glossa) non accenni se non a ciò che si praticava comunemente*". Quod verum esse censet Tamassia (*Arch. giur.* 72 (1904) p. 477) in Longobardo possessore nam *pro usu* Romanum quoque dedisse auctorem.

4) Glossa ad Roth. 151 (remittit ad Roth. 151; 355 (non 360); Grim. 4 *et alias complures*). Glossa ad Roth. 319: *hic videtur* (= hinc intelligitur), *quod .... tenens habet ius suum dicere secundum vl.* Similis controversia ut hic inter ius Longobardicum et Romanum est in form. Visigoth. 40 inter actorem (*cur eam (rem) in tuo servitio habeas edicito*) et reum (*convincere te oportet*).

5) Brunner, *Forschungen* (1894) p. 114: „*in den Urkunden wird es geradezu als Sache des Beklagten bezeichnet,* ut rationem ponat, *d. h., dass er durch Angabe und Beweis der* causa possessionis *der Klage gegenüber Rechenschaft gebe*"; Hübner, *Immobiliarproz.* p. 164/5. — Horum et ipsius glossae (ad Roth. 151) nullam ant habuit rationem Schupfer (*l'Allodio* § 56-58) aut nunc habet Tamassia, *Arch. giur.* 72 (1904) p. 449-480.

6) Simile est apud Francos, quod non dubitat Beaumanoir (ed. 1899/1900), quin debeat actor rationem ponere, etiamsi rem mobilem vindicaturus sit (nis. 198 („*car demande qui est faite et l'on ne dit raison pourquoi .... ne vaut rien*); 280).

7) Expos. (§ 1) Liutpr. 89: *appellatus terram alienam malo ordine possidere neque Romanorum neque Longobardorum lege cogitur suam esse probare.*

8) Locos expositionis supra dedimus.

9) 228.

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

petitore emisse se dicat, modo emisse se iuret. Ubi similiter secta haeret, sed non eodem modo extricat sese, quia nominatim ibi rex actori permittit, ut post quinquennium probet rem non esse venditam sed locatam. Ergo formularum auctor, quia hic non potest post quinquennium probationem denegare, intra quinquennium remittit iusiurandum [1]), quo fit ut adversarii possessio petitori proficiat, ipsi noceat quinquennium possedisse.

(*Continuabitur*).

1) vv. *in(t)ra quinque annos .... absque sacramento remanet suo loco possessio*

AD PERSII PROLOGUM.

Quoniam vacui aliquid hic restat spatii, pauca de Persii prologo addere lubet. Semet ipsum poeta vs. 6 *semipaganum* appellat, quod vocabulum praestantissimus editor Groninganus sic accipit ut *paganus* sit *poëta*. Incredibile hoc mihi videtur, neque mihi Ciceronis locus, ad quem provocat ille, persuadet. Nihil enim ibi legitur quod de *poëtis* cogitare nos cogat. Sed hic illud *semipaganus* legens non potes non putare in altera parte contumeliae aliquid inesse, memor vocabulorum qualia sunt *semifer*, *semimortuus*, *semisomnis* atque illud *ἡμίτραγος* quod in Luciani Baccho pro absurdo *ἡμιστρατιώτης* est legendum. Neque me nunc fallunt vocabula a *semi* incipientia, quorum contraria est natura, qualia sunt *semideus*, *semivir*, *semidoctus*, sed illa quoque eiusmodi sunt ut statim unusquisque quae sit eorum vis perspiciat. Quis vero aequalium Persium potuisset intelligere si „ipse semipaganus" hoc dixisset sensu: „ego qui tantummodo pro altera parte poëta sum", quis non statim eadem verba intelligeret, si haec esset poetae mens: „ego semi-rusticus"? Sed fac recte interpretatum editorem nostratem, tum quoque *carmen nostrum* hunc habebit sensum: „carmen quale semipoetae facere solent", neque hic locus documento est, ubi *noster* pro *meus* dictum sit, tamen cum eo verbum in singulari iungi posse. Quod tamen omnino ita se habere probe novi.

J. J. H.

DE NOVA HORATII CARMEN IV 8
(DONAREM PATERAS)
INTERPRETANDI VIA.

SCRIPSIT

J. W. BECK.

.... unsere Ode ist von Anfang bis zu Ende echt.

P. Cauer (a. 1892).

Post commentationes acutissimas, quas scripsit A. Elter, professor Bonnensis [1]), denuo philologorum cohortis pars Meinekianis valedixit [2]). Nam intellexerunt haud pauci vim et auctoritatem illius legis, quam dicebant, oportere concludi in eius generis carmina, in quibus vera divisio stropharum ipsius carminis indole et numero flagitaretur. At de hoc errore philologico ne unum quidem verbum amplius perdere praestat. Qui igitur hac doctrina feliciter liberatus carmen illud octavum libri IV explicare velit, omnes coniecturas vel emendationes aut olim aut nuper aut hodie factas — quibus nobis non opus est — seponat. Horatii opera satis accurate tradita esse scimus, virtutes eius atque vitia ut amicorum fere novimus neque eum tanta elegantia tantoque poetico ingenio scripsisse quanto ante plerique putarent, omnibus hodie constat [3]).

Itaque vinculo hoc molesto deiecto — ne dicam de illo male interpretandi i. e. nodum in scirpo quaerendi morbo in hoc car-

1) Progr. Universitatis Bonnensis 1905, 1906, 1907 (I; II 1. 2. 3).

2) Teuffel, R. L. II (6. Aufl.) p. 65.

3) Redslob, Kritische Bemerkungen zu Horaz (Weimar 1912). Vorwort: Das von ihm geprägte Wort „brevis esse laboro, obscurus fio" passt auf ihn selbst.

mihi contigit — totam eandemque simplicem quandam interpretandi viam indicare tempus esse existimo. In hoc carmine omnia fere, quae olim dixi¹), teneo, nisi quod sententiam meam novis argumentis confirmare probabilioremque reddere spero fore ut mihi contingat.

Carmen igitur sodali cuidam diviti eidemque artis poeticae amanti, cui nomen est C. Marcius Censorinus L. f. (cos. a. 8 a. C.), dedicavit poeta. Cur hoc carmen huic viro scripserit, quo tempore miserit, cur hanc ipsam formam elegerit, haec omnia satis obscura sunt. Merum *ἐγκώμιον* est poetarum vel artis poeticae: sine poetis neque gloria neque honor est, neque homines immortalitatem adipiscuntur neque deorum [illegible] oriri potuerunt. Ecce thema vetustum (cf. Pind. Ol. XI (X), 95; Theocr. 16. 48)! Poeta gloriae praeco praecipuus est. Sic Cicero in oratione pro Archia poeta § 20: neque enim quisquam est tam aversus a Musis qui non mandari versibus aeternum suorum laborum praeconium facile patiatur (§ 20, ²) et Hor. Ep. II 1, 248 Nec magis expressi, cet. ³), tum imprimis cf. c. IV 9 ad Lollium. Multum autem differt hoc carmen ab illo. Lollius sentire poterat, quid hoc praeconium valeret, Censorinus, qui, quantum scimus, nihil memorabile fecerat, ipso dono gloriari contentus esse debebat (cf. Cic. ac. II 33, 102, Liv. Periocha 49, Vell. II 102). Ex his locis illi nobis aliquid pretii habere videntur, ubi traditum est ex maioribus Censorini aliquem consulem fuisse anno eodem quo bellum Punicum tertium geri coeptum est.

Horatius saepius theoriam rhetoricam in artem poeticam transtulit, quod ex ipso carmine de arte poetica (Norden, Hermes 1905 (XL) 481—528) aliisque colligi potest (Kukula, Röm. Säkularpoesie 1911, p. 13). In explicanda Ecloga illa IV Vergilii divisionem proposuit Kukula non minus probabilem (l.l. p. 51). Stropharum igitur divisione relicta carmen hoc, Censo-

1) Horazstudien (1907) p. 33—36 = Rhein. Mus. N. F. 62, 631 sqq.

2) Cf. et § 30: An statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt: consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam?

3) Nec magis expressi voltus per aenea signa
quam per vatis opus mores animique virorum
clarorum apparent.

rino sane satis idoneum, ἐγκώμιον quoddam poetarum, prosaice et rhetorice consartum, levi ironia imbutum perspiciemus.

In quattuor partes divisum est: I *Prooemium* (vs. 1—8), II *Transitio* + *propositio* (vs. 9—12), III *Tractatio* (vs. 13—27), IV *Conclusio* vel *epilogus transitione praemissa* (vs. 28 + 29—34). Laudat poeta munus suum (vs. 12), laudat simul artem suam. Subdivisio carminis minute et adamussim facta est. Media pars (tractatio) constat ex his versibus: 3 (13, 14, **15**) + 2 (**15**, 16) + 3 (17, 18, **19**) + 2 (**19**, **20**) + 3 (**20**, 21, **22**) + 3 (**22**, 23, 24) + 3 (25, 26, 27). Ceterum triadum usus Horatianus ubique invenitur: in prooemio (pateras, aera, tripodas), in tractatione (tria bella Punica), in 26 (virtus, favor, lingua), in epilogo 29, 30 + 31, 32 + 33, 34 (1. Hercules, 2. Castor et Pollux, 3. Bacchus). Bellum Punicum tertium coeptum est *L. Marcio Censorino* M'. Manilio Coss. (Liv. Periocha 49, cf. Thes. L. L. Suppl. II 318). Vs. 17 et 18 ad hoc bellum pertinent, **15** et 16 ad b. Pun. secundum [1]), et quid aequius est quam bellum quoque Punicum primum hoc loco significari? Erat enim inter monumenta vetusta fori Romani columna illa Duilii (aetate Augusti restaurata) [2]), quam nemo Romanus non noverat. Ad hanc pertinent vss. 13 sqq. Similis trias est initio c. II 12, ubi *Scipio Africanus minor*, *Hannibal* et *pugnae navales primi belli Punici* tanguntur vel nominantur. In propatulo est haec verba: 'eius qui .... rediit', tanquam in parenthesi addita esse [3]); quamquam non eleganter neque poetice dicta sunt, carere iis tamen hoc loco non possumus (cf. Cic. de off. 2. 76 imitatus patrem Africanus nihilo locupletior Carthagine eversa). Horatius Scipionem minorem nominare vel laudare amat, Scipionem maiorem non memorat (Rh. Mus. 62, 633). Ad 'Calabr(as) Pierides' illius consuetudinis poetarum nobis in mentem venit (trabe Cypria, carmen Maeonium, Daunia Camena). Sunt igitur 'Musae carminis epici'; cf. versus quintus sequentis carminis IX: non, si priores Maeonius tenet sedes

1) Hoc bellum etiam in c. IV 4 memoratur. Vide imprimis vs. 37—40 (Rh. Mus. l.l.).

2) Wölfflin, Die Inschrift der Col. rostr. Sitz. Ber. der Bayer. Akad. 1890 III.

3) Prop. IV 2, 35 .... et eius | traicit alterno qui leve pondus equo. De Genitivis cumulatis cf. Draeger, H.S., I p. 472: Cic. Philip. 7, 5 cuius .... innumerabilia scelera urbani consulatus.

Homerus. Nemo est scilicet, quin de Ennio poeta cogitet, qui in Annalibus etiam bellorum Punicorum partem priorem et maiorem caneret. Neque 'Maeonias musas' neque 'musam Maronis' hic quisquam ferat. 'Virtus .... potentium vatum (vs. 26)' satis explanatur per Cic. pro Archia 10. 25 huius (Archiae) ingenium et *virtutem* in scribendo et copiam non expetisset? Intellegitur id quod una cum ingenio in poeta desiderari non debet, sc. ars illa vel poeticae artis studium (A. P. 408 sqq.) 'Virtus' ea, de qua Hor. A. P. 308 loquitur, tractatur fusius a versu 347 sqq.

In versibus 22—25 habemus duo exempla 'hominum' et Romani et Graeci regis. Sequitur *transitio* (vs. 28): Dignum laude virum Musa vetat mori i. e. itaque mortales, ut Romulus (Epod. 16, 13 ossa Quirini) et Aeacus, gloriam immortalem per poetas adipiscuntur (quidnam Censorinus cogitaret tum cum haec legebat?). *Epilogus*: Quin sunt quos caelo Musa beët, sic fit (i. e. poetarum arte) ut Hercules mensae Iovis accumbat, Castor et Pollux nautis in caelo splendeant, Bacchus deus hominibus prosit. Quod hoc loco poetae honori est, id ei probro apud Aetnae poetam ignotum tribuitur (fallacia vatum vs. 29).

Quantum in hoc carmine interpretando ab Eltero differam, videbit is qui et Elteri commentationes et meas perlegerit. Ubi de re stropharum disputat, me habet sodalem. Quocumque modo haec res se habet, opuscula collegae aestumatissimi me iam complures annos vinxerunt et occupaverunt. Verissima vero sunt quae olim Magister ille, omnibus philologis carissimus, Buechelerum dico, mihi scripsit: „Sie werden an der originellen, gelehrten, scharfsinnigen Argumentation sich wohl aehnlich wie ich erbauen oder belehren" [1]).

Ut haec scriberem maxime impulit me Elteri acutissima disputatio. Uter nostrum aenigma hoc philologicum solvendi viam aperuerit dies docebit. Simplicissima huius carminis interpretandi ratio mihi quidem certissima esse videtur: nihil addere, nihil detrahere, nihil mutare, nodum in scirpo non quaerere, audaces argutias vitare, sana mente non scholastice legere, intellegere velle, corrigere nolle.

---

1) Scripsit haec vir summus Bonnae die XXI m. Augusti 1907. Anno subsequenti III m. Mai mortuus est.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

J. VAN LEEUWEN J.F., J. J. HARTMAN.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN, J. C. NABER,
M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUADRAGESIMUM PRIMUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1913.

ideo minus refert, quia hic quoque apparet successisse chartae prolationem in locum auctoris dationis [1]), et quia iuris Romani et Longobardici non ea summa differentia est [2]), *qu(od) Longobardus semper d(e)t auctorem et numquam st(e)t loco auctoris, at Romanus semper st(e)t loco auctoris et numquam auctorem d(e)t* [3]), sed in eo potius consistit, quod *litigatorum alii ostendunt rem esse suam, unde appellantur, ut rei Longobardi, alii ostendunt rem, unde agunt, suam esse, ut (actores) Romani* [4]), quod Glossatoris testimonium rerum documentis plene confirmatur [5]). Fuerunt tamen etiam apud Longobardos [6]), qui negarent, hac in re esse differentiam proprii iuris et Romani, proinde neutra lege cogi possessorem *terram,* quam possideat, *suam esse probare* [7]). Nam de re mobili contendere non audent [8]). Atqui, si de re mobili constat, finitum est atque decisum de praediorum vindicatione, demonstrat enim lex Rotharis [9]) eandem in utroque genere defendendi esse rationem. Praescribitur ibi: *si quis alium de re mobili aut immobili pulsaverit dicendo quod malo ordine possideat et .... per annos quinque fuerit possessio, tunc ill(um) qui pos-*

---

1) Hoc vel ideo demonstratur, quia cartam ostendere et *loco auctoris stare* idem est.

2) Esse putat Laband, *Vermögensr. Kl.* p. 125 (ia. p. 124).

3) Glossa ad form. Roth. 231. Ita fieri *pro usu* docet Schupfer, *l'Allodio* § 56. 1: „*noi avvisiamo che essa (glossa) non accenni se non a ciò che si praticava comunemente*". Quod verum esse censet Tamassia (*Arch. giur.* 72 (1904) p. 477) in Longobardo possessore nam *pro usu* Romanum quoque dedisse auctorem.

4) Glossa ad Roth. 151 (remittit ad Roth. 151; 355 (non 360); Grim. 4 *et alias complures*). Glossa ad Roth. 319: *hic videtur* (= hinc intelligitur), *quod .... tenens habet ius suum dicere secundum vl.* Similis controversia ut hic inter ius Longobardicum et Romanum est in form. Visigoth. 40 inter actorem (*cur eam (rem) in tuo servitio habeas edicito*) et reum (*convincere te oportet*).

5) Brunner, *Forschungen* (1894) p. 114: „*in den Urkunden wird es geradezu als Sache des Beklagten bezeichnet,* ut rationem ponat, *d. h., dass er durch Angabe und Beweis der* causa possessionis *der Klage gegenüber Rechenschaft gebe*"; Hübner, *Immobiliarproz.* p. 164/5. — Horum et ipsius glossae (ad Roth. 151) nullam aut habuit rationem Schupfer (*l'Allodio* § 56-58) aut nunc habet Tamassia, *Arch. giur.* 72 (1904) p. 449-480.

6) Simile est apud Francos, quod non dubitat Beaumanoir (ed. 1899/1900), quin debeat actor rationem ponere, etiamsi rem mobilem vindicaturus sit (nis. 198 („*car demande qui est faite et l'on ne dit raison pourquoi .... ne vaut rien*); 280).

7) Expos. (§ 1) Liutpr. 89: *appellatus terram alienam malo ordine possidere neque Romanorum neque Longobardorum lege cogitur suam esse probare.*

8) Locos expositionis supra dedimus.

9) 228.

sedit aut per sacramentum debe(re) negare aut per pugnam defendere, si petitor [1]) id maluerit, et ipse *potuerit*. Ergo praediorum ius apud Longobardos qui putabant cum iure Romano convenire, ii haerebant in edicto et *erant quidam, qui dicebant, possessionem quinque annorum non valere,* id est, nihil novi tribuere [2]), *possessori, quum unius anni possessor eodem modo per pugnam se defend(a)t aut per sacramentum, si actor suam rem probare non potuerit, quemadmodum possessor quinque annorum,* aptato scilicet edicto ad ius Romanum, quo probatio incumbit actori. Quibus Expositor [3]), cui persuasum erat ipsi quoque, aptandum esse edictum ad ius Romanum [4]), respondet: regem post quinquennium petitori probationem denegare (*male dicebant, quia quinque annorum possessor, si de malo ordine* [5]) (*per sacramentum aut per pugnam*) *se defendere potuerit, rem non amittet, etiamsi actor rem suam esse probare possit*). Visum aliis eo pertinere edictum, ut habeat possessor quinque annorum interdictum veluti possessorium, supra docuimus. Unice quidem vera est Brunneri [6]) interpretatio: remittere regem ei, qui per quinque annos possederit, necessitatem auctoris dandi, quemadmodum alio edicto [7]) post quinque annorum possessionem chartam remittit ei, qui ab ipso

---

1) Non, quia, *si quis qualemcumque hominem ad regem accusaverit, quod (ad) animae suae pertineat periculum,* tunc licet accusato *per pugnam crimen .... desuper se .... eicere* (Roth. 9), dubitandum est — dubitat Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* IV § 63[20] (p. 380) — quin regulariter petitor tantum ad pugnam possit provocare (Expos. (§ 3) Roth. 366; expos. (§ 3) Roth. 202; glossa Liutpr. 11). Cf. van Kuyk, *Hist. besch. ov. het antw.* Diss. Leid. (1908) p. 13/4, 24/5; Loening, *Reinigungseid* (1880) p. 75-80; Zorn, *Beweisverf. nach Langob. Recht* (1872) p. 15[1 l]. Sunt nihilominus exempla duelli oblatitii non tantum Roth. 9 (Zorn p. 36; dissentit Loening p. 78/9) sed etiam l. Alam. 43 (44) (concedit Loening p. 117[33]; cf. praeterea Brunner, *Sitzungsber.* (*Berlin*) 1901 p. 953 not 4) atque singula apud Paulum Diac. IV c. 49 (i. f.); Nithardum II 5 (med.); Liutpr., Hist. Ottonis c. 7.

2) Cf. Expos. (§ 1) Grim. 2: *quid possessio secundum hanc legem ipsis valeat, quia* etc. Alio modo *quinque annorum possessionem valere,* id est, iura eius conservata esse, negat Expositor (§ 3) Aist. 9.

3) (§ 2) Roth. 228 Similiter solvit formularum auctor (ante formulas): *ante quinque annos dicat actor, qu(i)d sibi res pertineat, ut legitur in Romana lege.*

4) Expos. (§ 4 priore) Roth. 359

5) I e. de invasione (cf. l. Rip. 59 § 8). Etenim violentam possessionem non parere praescriptionem demonstravimus.

6) *Rechtsgesch.* II p. 517 (post not. 29).

7) Roth. 227.

petitore emisse se dicat, modo emisse se iuret. Ubi similiter secta haeret, sed non eodem modo extricat sese, quia nominatim ibi rex actori permittit, ut post quinquennium probet rem non esse venditam sed locatam. Ergo formularum auctor, quia hic non potest post quinquennium probationem denegare, intra quinquennium remittit iusiurandum [1]), quo fit ut adversarii possessio petitori proficiat, ipsi noceat quinquennium possedisse.

(*Continuabitur*).

1) vv. *in(t)ra quinque annos .... absque sacramento remanet suo loco possessio.*

AD PERSII PROLOGUM.

Quoniam vacui aliquid hic restat spatii, pauca de Persii prologo addere lubet. Semet ipsum poeta vs. 6 *semipaganum* appellat, quod vocabulum praestantissimus editor Groninganus sic accipit ut *paganus* sit *poëta.* Incredibile hoc mihi videtur, neque mihi Ciceronis locus, ad quem provocat ille, persuadet. Nihil enim ibi legitur quod de *poëtis* cogitare nos cogat. Sed hic illud *semipaganus* legens non potes non putare in altera parte contumeliae aliquid inesse, memor vocabulorum qualia sunt *semifer, semimortuus, semisomnis* atque illud *ἡμίτραγος* quod in Luciani Baccho pro absurdo *ἡμιστρατιώτης* est legendum. Neque me nunc fallunt vocabula a *semi* incipientia, quorum contraria est natura, qualia sunt *semideus, semivir, semidoctus,* sed illa quoque eiusmodi sunt ut statim unusquisque quae sit eorum vis perspiciat. Quis vero aequalium Persium potuisset intelligere si „ipse semipaganus" hoc dixisset sensu: „ego qui tantummodo pro altera parte poëta sum", quis non statim eadem verba intelligeret, si haec esset poetae mens: „ego semi-rusticus"? Sed fac recte interpretatum editorem nostratem, tum quoque *carmen nostrum* hunc habebit sensum: „carmen quale semipoetae facere solent", neque hic locus documento est, ubi *noster* pro *meus* dictum sit, tamen cum eo verbum in singulari iungi posse. Quod tamen omnino ita se habere probe novi.

J. J. H.

DE NOVA HORATII CARMEN IV 8
(DONAREM PATERAS)
INTERPRETANDI VIA.

SCRIPSIT

J. W. BECK.

.... *unsere Ode ist vonAnfang bis zu Ende echt.*

P. Cauer (a. 1892).

Post commentationes acutissimas, quas scripsit A. Elter, professor Bonnensis [1]), denuo philologorum cohortis pars Meinekianis valedixit [2]). Nam intellexerunt haud pauci vim et auctoritatem illius legis, quam dicebant, oportere concludi in eius generis carmina, in quibus vera divisio stropharum ipsius carminis indole et numero flagitaretur. At de hoc errore philologico ne unum quidem verbum amplius perdere praestat. Qui igitur hac doctrina feliciter liberatus carmen illud octavum libri IV explicare velit, omnes coniecturas vel emendationes aut olim aut nuper aut hodie factas — quibus nobis non opus est — seponat. Horatii opera satis accurate tradita esse scimus, virtutes eius atque vitia ut amicorum fere novimus neque eum tanta elegantia tantoque poetico ingenio scripsisse quanto ante plerique putarent, omnibus hodie constat [3]).

Itaque vinculo hoc molesto deiecto — ne dicam de illo male interpretandi i. e. nodum in scirpo quaerendi morbo in hoc car-

1) Progr. Universitatis Bonnensis 1905, 1906, 1907 (I; II 1. 2. 3).

2) Teuffel, R. L. II (6. Aufl.) p. 65.

3) Redslob, Kritische Bemerkungen zu Horaz (Weimar 1912). Vorwort: Das von ihm geprägte Wort „brevis esse laboro, obscurus fio" passt auf ihn selbst.

mine conspicuo — novam eandemque simplicem quandam interpretandi viam indicare tempus esse existimo. In hoc carmine omnia fere, quae olim dixi [1]) teneo, nisi quod sententiam meam novis argumentis confirmare probabilioremque reddere spero fore ut mihi contingat.

Carmen igitur sodali cuidam diviti eidemque artis poeticae amanti, cui nomen est C. Marcius Censorinus L. f. (cos. a. 8 a. C.), dedicavit poeta. Cur hoc carmen huic viro scripserit, quo tempore miserit, cur hanc ipsam formam elegerit, haec omnia satis obscura sunt. Merum ἐγκώμιον est poetarum vel artis poeticae: sine poetis neque gloria neque honor est, neque homines immortalitatem adipiscuntur neque deorum μῦθοι oriri potuerunt. Ecce thema vetustum (cf. Pind. Ol. XI (X) 95; Theocr. 16. 48)! Poeta gloriae praeco praecipuus est. Sic Cicero in oratione pro Archia poeta § 20: neque enim quisquam est tam aversus a Musis qui non mandari versibus aeternum suorum laborum praeconium facile patiatur (§ 20) [2]) et Hor. Ep. II 1, 248 Nec magis expressi, cet. [3]), tum imprimis cf. c. IV 9 ad Lollium. Multum autem differt hoc carmen ab illo. Lollius sentire poterat, quid hoc praeconium valeret, Censorinus, qui, quantum scimus, nihil memorabile fecerat, ipso dono gloriari contentus esse debebat (cf. Cic. ac. II 33, 102, Liv. Periocha 49, Vell. II 102). Ex his locis illi nobis aliquid pretii habere videntur, ubi traditum est ex maioribus Censorini aliquem consulem fuisse anno eodem quo bellum Punicum tertium geri coeptum est.

Horatius saepius theoriam rhetoricam in artem poeticam transtulit, quod ex ipso carmine de arte poetica (Norden, Hermes 1905 (XL) 481—528) aliisque colligi potest (Kukula, Röm. Säkularpoesie 1911, p. 13). In explicanda Ecloga illa IV Vergilii divisionem proposuit Kukula non minus probabilem (l.l. p. 51). Stropharum igitur divisione relicta carmen hoc, Censo-

1) Horazstudien (1907) p. 33—36 = Rhein. Mus. N. F. 62, 631 sqq.

2) Cf. et § 30: An statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt: consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam?

3) Nec magis expressi voltus per aenea signa
quam per vatis opus mores animique virorum
clarorum apparent.

rino sane satis idoneum, ἐγκώμιον quoddam poetarum, prosaice et rhetorice consartum, levi ironia imbutum perspiciemus.

In quattuor partes divisum est: I *Prooemium* (vs. 1—8), II *Transitio* + *propositio* (vs. 9—12), III *Tractatio* (vs. 13—27), IV *Conclusio* vel *epilogus transitione praemissa* (vs. 28 + 29—34). Laudat poeta munus suum (vs. 12), laudat simul artem suam. Subdivisio carminis minute et adamussim facta est. Media pars (tractatio) constat ex his versibus: 3 (13, 14, **15**) + 2 (**15**, 16) + 3 (17, 18, **19**) + 2 (**19**, **20**) + 3 (**20**, 21, **22**) + 3 (**22**, 23, 24) + 3 (25, 26, 27). Ceterum triadum usus Horatianus ubique invenitur: in prooemio (pateras, aera, tripodas), in tractatione (tria bella Punica), in 26 (virtus, favor, lingua), in epilogo 29, 30 + 31, 32 + 33, 34 (1. Hercules, 2. Castor et Pollux, 3. Bacchus). Bellum Punicum tertium coeptum est *L. Marcio Censorino* M'. Manilio Coss. (Liv. Periocha 49, cf. Thes. L. L. Suppl. II 318). Vs. 17 et 18 ad hoc bellum pertinent, **15** et 16 ad b. Pun. secundum [1]), et quid aequius est quam bellum quoque Punicum primum hoc loco significari? Erat enim inter monumenta vetusta fori Romani columna illa Duilii (aetate Augusti restaurata) [2]), quam nemo Romanus non noverat. Ad hanc pertinent vss. 13 sqq. Similis trias est initio c. II 12, ubi *Scipio Africanus minor*, *Hannibal* et *pugnae navales primi belli Punici* tanguntur vel nominantur. In propatulo est haec verba: 'eius qui .... rediit', tanquam in parenthesi addita esse [3]); quamquam non eleganter neque poetice dicta sunt, carere iis tamen hoc loco non possumus (cf. Cic. de off. 2. 76 imitatus patrem Africanus nihilo locupletior Carthagine eversa). Horatius Scipionem minorem nominare vel laudare amat, Scipionem maiorem non memorat (Rh. Mus. 62, 633). Ad 'Calabr(as) Pierides' illius consuetudinis poetarum nobis in mentem venit (trabe Cypria, carmen Maeonium, Daunia Camena). Sunt igitur 'Musae carminis epici'; cf. versus quintus sequentis carminis IX: non, si priores Maeonius tenet sedes

---

1) Hoc bellum etiam in c. IV 4 memoratur. Vide imprimis vs. 37—40 (Rh. Mus. l.l.).

2) Wölfflin, Die Inschrift der Col. rostr. Sitz. Ber. der Bayer. Akad. 1890 III.

3) Prop. IV 2, 35 .... et eius | traicit alterno qui leve pondus equo. De Genitivis cumulatis cf. Draeger, H. S., I p. 472: Cic. Philip. 7, 5 cuius .... innumerabilia scelera urbani consulatus.

Homerus. Nemo est scilicet, quin de Ennio poeta cogitet, qui in Annalibus etiam bellorum Punicorum partem priorem et maiorem caneret. Neque 'Maeonias musas' neque 'musam Maronis' hic quisquam ferat. 'Virtus . . . . potentium vatum (vs. 26)' satis explanatur per Cic. pro Archia 10. 25 huius (Archiae) ingenium et *virtutem* in scribendo et copiam non expetisset? Intellegitur id quod una cum ingenio in poeta desiderari non debet, sc. ars illa vel poeticae artis studium (A. P. 408 sqq.) 'Virtus' ea, de qua Hor. A. P. 308 loquitur, tractatur fusius a versu 347 sqq.

In versibus 22—25 habemus duo exempla 'hominum' et Romani et Graeci regis. Sequitur *transitio* (vs. 28): Dignum laude virum Musa vetat mori i. e. itaque mortales, ut Romulus (Epod. 16, 13 ossa Quirini) et Aeacus, gloriam immortalem per poetas adipiscuntur (quidnam Censorinus cogitaret tum cum haec legebat?). *Epilogus*: Quin sunt quos caelo Musa beët, sic fit (i. e. poetarum arte) ut Hercules mensae Iovis accumbat, Castor et Pollux nautis in caelo splendeant, Bacchus deus hominibus prosit. Quod hoc loco poetae honori est, id ei probro apud Aetnae poetam ignotum tribuitur (fallacia vatum vs. 29).

Quantum in hoc carmine interpretando ab Eltero differam, videbit is qui et Elteri commentationes et meas perlegerit. Ubi de re stropharum disputat, me habet sodalem. Quocumque modo haec res se habet, opuscula collegae aestumatissimi me iam complures annos vinxerunt et occupaverunt. Verissima vero sunt quae olim Magister ille, omnibus philologis carissimus, Buechelerum dico, mihi scripsit: „Sie werden an der originellen, gelehrten, scharfsinnigen Argumentation sich wohl aehnlich wie ich erbauen oder belehren" [1]).

Ut haec scriberem maxime impulit me Elteri acutissima disputatio. Uter nostrum aenigma hoc philologicum solvendi viam aperuerit dies docebit. Simplicissima huius carminis interpretandi ratio mihi quidem certissima esse videtur: nihil addere, nihil detrahere, nihil mutare, nodum in scirpo non quaerere, audaces argutias vitare, sana mente non scholastice legere, intellegere velle, corrigere nolle.

---

1) Scripsit haec vir summus Bonnae die XXI m. Augusti 1907. Anno subsequenti III m. Mai mortuus est.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

J. VAN LEEUWEN J.F., J. J. HARTMAN.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. HOLWERDA, H. T. KARSTEN, J. C. NABER,
M. C. VALETON, J. WOLTJER.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUADRAGESIMUM PRIMUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1913.

INDEX

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Calendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 5.25.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.